



LIBRARIÆ UNIVERS
IAGELL CRACOVI

4 3,79

# Chronica Slauorum,

SEV

# ANNALES

## HELMOLDI, PRESBYTERI

BVZOVIENSIS IN AGRO LVBECENSI: HISQVE SVBIECTVM DERELICTORUM Supplementum ARNOLDI Abbatis Lubecensis.

*Quæ omnia è diligenti codicum manuscriptorum collatione fideliter restituta, & accessione locupletissima, hoc est sex librorum, adaucta sunt:*

opera & studio

REINERI REINECCII STEINHEMII.

In fine adiecimus Appendicem tergeminam, de communibus gentium Germanicarum & Henetarum appellationibus: de illustriss. Billingorum familia: de Genealogia stirpis Estensis, quarum hæc paternam, illa per auiam Wulfhildin maternam HENRICO LEONI originem dedit.

CVM SVBIECTO INDICE.

*ACCESSIT ITEM HISTORIA DE VITA* HENRICI IIII. *Imp.* & HILTEBRANDI *Pont. Rom.* *cognomento Gregorij* VII.





FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.

LECTORI S.

*HAbes in hoc Opere, Lector, luculentam Slauorum, seu Henetorum maris Baltici accolarum, historiam, habes Cæsarum è prosapia Francica, Saxonica, Sueuica, multorumq́ aliorum Germaniæ Principum, nec non exterarum aliquot gentium, in primis verò HENRICI LEONIS, à quo illustriss. Ducum Brunsuicensium & Luneburg. domus est, res gestas: vnde in antiquitatis tractatu informari non minori cum fructu quàm voluptate possis.*

# IN ANNALES
# Helmoldi & Arnoldi
AD
## RELIGIOSISS. ILLVSTRISSIMVMQVE PRINC. ET DOMINVM DN. HENRICVM IVLIVM, ANTISTITEM HALBERSTAD. Ducem Brunſuic. & Luneburg. Dominum ſuum clementiſs. patronumque benigniſſimum,

## Procemium
REINERI REINECCII STEINHEMII.



*AXIMÆ & multiplicis præbet vtilitatis fructum, vel potius cum primis neceſſarium eſt, in omni doctrinarum genere inſpicere ac deguſtare fontes. Solent enim hi & limpidiores & dulciores eſſe, cùm riuuli & corrugi, eo ipſo dum ducuntur, cœno & fecibus fermè turbentur, nec raro planè quaſi degenerent.*

HOC *cùm ita ſit, in diſciplinæ cæterarum tam dignitatis excellentia, quàm emolumenti vi ac varietate, facilè principis, Hiſtoriæ inquam tractatione, etiam atque etiam opera danda eſt, vt fontes, hoc eſt, annales & id genus alia monumenta, vnde iuſtæ expoſitiones inſtitui & contexi ſolent, ſimul indagentur, ſimul conſeruentur. Neque hîc ſcrupulum iniicere cuiquam debet, quòd qui à noſtræ aut aliarum gentium hominibus poſt Romani Imperij occaſum conſcripti ſunt, vel barbarè loquantur, vel ea deficiantur orationis maieſtate, quam Oratores affectant. Alibi enim deliciæ iſtæ quærendæ ſunt: hîc rerum cognitio, & veritatis ſtudiũ, ſufficere debent. Referoq; eodem religionis inculcationem, in quam vbi hi annalium ſcriptores delabuntur, è ſuorum temporum ſuperſtitioſis opinionibus atque dogmatis ſæpenumero craſsè & grauiter impingũt. Nam vnde hoc noſtro, ea quidem parte feliciſsimo ſeculo, illam pius animus hauriat, præter ſcripta Biblica ſummorum virorum extant monumenta plurima*

CVM *igitur & mihi iſto in genere conari aliquid liberet, accidit fortè vt in annales Helmoldi inciderem. Præferebant hi expreſsionis auctorem Sigiſmundum Schorkeliũ Naumburg. eámq; ornabat præfixa Philippi Melanchthonis præfatio. Notatum etiam tempus fuerat, cùm primùm videre lucem cœpiſſent, nempe annus Ieſu Chriſti M. D. LVI. Quanquam editionem poſt ſeptendecim annorum interuallum repetitam, indices Francofurtenſes oſtendunt: quam tamen editionem nondum videre mihi contigit. Eſt autem quod vehementer Schorkelij operæ debeatur, eáq; viro illi laus non poterit non apud doctos & bo-*

*nos permanere integra. Nos omnia ad peculiare quoddam institutum nostrum reuocāda duximus, cùm scilicet Schorkeliana editio reliquisset, in quo fieri operæprecium posset. Quam ad rem cùm manuscriptis codicibus opus esset, dum in iis conquirendis nihil non molior, & inprimis amicorum opem imploro, tandem ceu virgula diuina duo offerūtur, alter Andreæ Puchenij à Martino Chemnicio, alter à Christiano Distelmeierio. Nec vel de Puchenio vel de Chemnicio, quorum illum Ecclesia Lubecēsis, hunc Brunsuicensis Doctorem, seu vt vetustò Isidori vocabulo appellamus, Superintendentem habet, addendum hîc prætereà aliquid putaui: Estq; spectata Distelmeierij dignitas, est in litteris eruditio, sunt cætera ingenij fortunæq; ornamenta, neque obscura in rem litterariam & homines doctos merita, in medio, vt alio nullo præconio nostro indigeant. Vnum istud dico, tam me priuatim, quàm publicè oēs de hoc præclarißimo beneficio debere. Iam quod ad codices attinet, equidem illos & inter se & cum expresso Schorkeliano diligenter contuli. Ac conueniebat idem Schorkelianus prorsus cū Pucheniano: nisi quòd hic cùm capitum numeris & inscriptionibus, tum priorum duorum librorum distinctione, carebat, denique etiam locupletior erat. Placuit autem librorum distinctionem vnà cum capitum numeris retinere: quippe quæ vtraque mirificè memoriæ seruiant, & respondeant editionibus, quæ de aliis argumētis à nobis susceptæ sunt. Inscriptiones tamen capitum remoui, quòd recentiores essent, id est, nō Helmoldum vel Arnoldum habere auctores, sed aliunde irrepsisse, videretur. Ac sicubi in singulis vocibus diuersitas occurreret, nec ei emphasis subesset, non etiam sententiæ obscuritas vel ambiguitas offunderetur, denique nihil notabile præ se ferret, aut quippiam deesset, curiosus ea in re esse nolui, sed simpliciter Schorkelianam editionem secutus sum. Accessionem Pucheniani codicis profectò insignem, nempe sex librorum, reperimus. Atque vtinam non vel aduersa quædam fatorum vis, vel temporum iniuria deformiter finem mutilasset, aut etiam auctori vitæ huius vsura frui diutius licuisset. Nam è quo horum potißimum vitium istud obuenerit, incertum est. Sed pergo nunc ad Distelmeierianum codicem: cuius id veluti meritum proprium est, quòd additam in historiæ Helmoldi primum librum præfationem habet, qua tam Schorkelianus quàm Puchenianus caret. De reliquis discrepantia mirifica est, sic vt Distelmeierianum codicem exemplum planè diuersum statuam. Sunt enim narrationes & rebus & verbis imperfectiores, imò alicubi integra capita desiderantur. Ac licet plerunque sententia respondeat, in orationis tamen contextu, quo Distelmeierianus codex epitomen repræsentat, vt altera exempla propius ad historicam copiam accedunt, discrimen est. Vt inde coniectura & opinione augurer, historiam Helmoldi diuersis exēplis exiisse, & principiò quidem rudius, cuius exemplum sit Distelmeierianus codex, deinde vbi sub incudem auctor reuocasset, & accuratiorem limam adhibuisset, politius & locupletius, cuius exēplum credi rectè Schorkelianus & Puchenianus codex posse videtur. Nam id institutum hominibus doctis vsitatißimum est: nec abs re Publ. Mimus discipulum prioris posteriorem diem appellauit. Quia autem tanta diuersitas distinctā propemodum ac nouam editionem postulabat, nos in Distelmeieriano codice lacunas, aut vbi expositio deficeret, omisimus, constititque ista parte opera nostra*

*vniuersa tantùm in verbis singulis, aut vbi maior sensus concinnitas appareret. Desinit Distelmeierianus codex eo loco, iisq; verbis, quibus cæteri: id quod argumento est, nihil præterea de Helmoldi historia extare. Certè Arnoldus fatetur, scriptiones suas Helmoldum, ita vt voluisset, absoluere nequiuisse.*

CÆTERVM *vt & de auctoribus quædã hîc perstringamus, ac primùm de Helmoldo eiusq; historia agamus, quo ille loco, quo in vitæ genere fuerit, in primum librum præfatione sua ostẽdit. Et celebrat ibidem præceptorem suum, historiæq; scribendæ auctorem, Geroldum, primum Lubecensem Antistitem. Nã qui ante hunc in munere eo fuere, de veteriore sede Aldeburgenses dicebantur. Addidit præterea, à quibus omnia habeat, quóve spectet. Sed de argumento postea plura. Nunc id teneatur, Buzoen, vbi Helmoldus Ecclesiasten* πρεσβύτερον, *seu vt Lat. linguæ metaphora appellamus, Pastorem egit, non eum, quem nomine eodem ager Megalburgius habet, sed territorij Lubecensis vicum esse. Nam id satis è præfatione liquet, confirmabatq; nos amplius Schorkeliana editio, confirmabat quædam Martini Chemnicij epistola. Inscriptionem historiæ Helmoldi tam in Pucheniano quàm in Distelmeieriano codice eandem reperimus: nominabat enim vterq; Chronica Slauorum. Quare & nos eam retinuimus. Tametsi non sit nihil, quod desiderari in ea posit. Qua de re suo loco explicabimus plenius. Estq; falsissimum, quòd Vandalos Helmoldus eosdem cũ Henetis credidit.* notatur error Helmoldi *Verùm & hoc excutietur à nobis alibi exquisitius. Modò vnum id infero, cùm de nominis istius vsurpatione error peruulgatus sit, verisimile fieri, hunc vel à sedibus iisdem, vel à nominum affinitate quadam extitisse. Nam quas terras Heneti tenuere, eas antea Vandalos possedisse, perhibent. Et vicina inter se sono nomina sunt* Ἑνετοί, *Vandali, Wenden: nec dubiũ habeo, è postremo Germanico suum Græcos, vt recentiores annalium auctores quartum Winiti, flexisse. Etenim ipsa Heneta lingua eo caret. Videbatur & alterum istud mentione hîc nostra ex Helmoldi historia repetendum, & cuiusdam quasi cautionis loco commonendum ac discutiendum, quòd Henricum Leonem, cùm is proscriptione Imp. Cæs. Friderici Barbarossæ dignitate & fortunis suis excidisset, recuperasse tandem vniuersa, seu, vt ipse loquitur, cessisse omnia iuxta placitum eius, & ereptum fuisse à circumuentione Principum absq; omni sui diminutione, affirmat.* Alius Helmoldi error. *Id enim perpetuo omnium qui eandem historiam monumentis commendarunt, repugnat consensui. Neque obscurum est, quibus Principis potentissimi exuuiæ cesserint. Quare hoc vel auctoris* σφάλμα, *vel libri mendum ducamus. Est enim parte illa expositionis series perturbatior. Interea tamen Helmoldus proscriptionis Hẽrici Leonis causam* προηγουμένην, *vt Arnoldus* προκαταρκτικὴν, *quemadmodum Dialectici vocarũt, enodare rectè videtur. Nam quod alij de Principis illius perfidia, alij de elati animi fastu, & morum peruersitate, inculcant & criminantur, locum habere non debet. Longeq; tutius mea sententia sequemur omnium oculati testis Arnoldi auctoritatem, quàm eos, qui pòst aut hisce nóstris temporibus scripsere. Hos enim nescio quo partium studio multa sæpe temerè finxisse, aut pleraque ignorasse, res docet. Primus igitur gradus, per quem ad Henricum Leonem de summo gloriæ & dignitatis fastigio depellendum fortuna ascendit, occulta fuit cæterorum Principum ex amplissima*

*eius potentia, æmulatio atque inuidia. Ferè enim iſta vt in vulgi animis, quibuſque præterea ſpectare per Momi feneſtrã libet, ita & in ſummis ordinibus dominatur peſtis, vt inſigniore quadam ἐξοχῇ excellere quempiam nolint, idq́ue ſi fortè eueniat, illico reperiantur, qui omnes machinas adhibeant, vt labefactatũ atq; impulſum in ordinem redigant. Ne tamen æſtus is erumperet, partim Henrici Leonis formido, partim Cæſaris auctoritas, diuerſisq; ex meritis erga eundẽ beneuolentia fecit. Satis enim conſtat, fidelem & fortem in expeditionibus Italicis Cæſari operam Henricum Leonem nauaſſe. Verum dum hãc ita Cæſar repetit, vt non contentus copiarum & pecuniarum ſubſidiis, quæ Henricus Leo perquam munifico ſtudio à ſe deferret, præſentiam illius expoſceret, & quia vel inſtantiſſimè vrgendo hoc impetrare nequiuerat, ex ea repulſa vehementiorem quandam offenſionem, cui mox frigidam, quemadmodum habet adagium, inuidorum Principum criminationes ſuffunderent, concepiſſet, ebulliit de iſto fonte veluti Lerna malorum, quæ Henricum Leonem in ſummas anguſtias adduxit, grauiterq; afflictum propemodum euertit. Quanquam ſi αὐτῶν παθῶν, quod iudiciaria Athenienſium lex requirebat, attendere ad ea voluerimus, quæ Henricũ Leonem pro ſe attuliſſe diximus, quæq́ue præterea Arnoldus habet, illa eiuſmodi ſint, in quibus acquieſcere nõ iniqui cenſoris animus poßit. Neq; inficias iuerim, aliquem his anathematis Pontificij (ipſi Bannum vocabant) quo Cæſar tũ obſtrictus eſſet, acceßiſſe terrorẽ. Sanè quæ per ea tempora, ac quàm diu viguit ſuperſtitio, credita huius vis fuerit, vt quotieſcunque id Pontifices vibraſſent, omnia domuerint, ꝓſtrauerint, ſubuerterint, adeoq; ſummos monarchas & reges de potentiæ culmine deturbarint (quandoquidem abſtenti, aut quibus diræ iſtæ obnunciatæ eſſent, non ſolùm ipſi Eccleſiæ communione arcerẽtur, ſed etiam populus ſubiectus, omnesq́ue ordines, ſacramenti religione ſoluerentur) diuerſis annalium exemplis docemur. Cumq́ue idem tandem in Henricum Leonem ille ἄσπονδος hoſtis ipſius Vdalricus Halberſtad. expediſſet, ſic leoninum armisq́ue inuictum pectus illius exhorruit, vt ſupplex ad pedes Antiſtitis ſe abiecerit, itáque expiationem & conciliationem popoſcerit. Forſitan tamen in eo cuipiam peccaſſe Henricus Leo videri poßit, quòd Cæſari pro pecuniaria mulcta amicã cauſæ compoſitionẽ pollicenti, parẽre noluerit, nec in comitiis eius gratia indictis ſe ſtiterit. Sed eſt, quod & hîc iure illum excuſet. Metuit enim ex aduerſariorum ingeniis, qui ſoli tum Cæſarem poßidebant, πολιτικὸν σκέμμα quoddam vt Cicero nominauit, metuit exiſtimationi & dignitati ſuæ: cui vt omnia poſtpoſuerit, de iterato eius exilio planum fit. Neque ego contumaciam, ſed circumſpecti animi prudentiam dixerim, quòd infenſiſsimorum inimicorum caſſes vitandos Henricus Leo exiſtimauit, præſertim cùm eſſet, quod contra iſtum iudicij ordinem à maiorum natali ſolo exciperet. Quæ cùm ita ſe habeant, non caret iuſtiſsima reprehenſione Helmoldus, qui omnia alto quodam ſilentio præterierit, & pro clariſsima veritatis luce neſcio quem fumũ offundere maluerit. Sunt tamẽ cæteris partibus expoſitiones eius inſignes. Nec quiſquam ante illum de Henetis, qui in Germaniæ ora propriè nomine eo appellati fuere, explicauit vel exquiſitius vel luculentius. Taceo, quòd ex eodem pateãt veræ illuſtriſsimarum Imperij familiarum duarum, Megalburgicæ & Pomeranicæ, origines. Nã*

*ambæ Henetæ stirpis sunt. Et est quidem illius fortuna vel ob id spectatior, maioreque admiratione digna, quòd cùm domi ab æmula familiæ Cruconis factione, forinsecus cõtinentibus fermè Saxonum bellis oppugnaretur ac vexaretur, feliciter tamen se conseruarit. Quod si neque istud de Henetorum historia reticendum, relinquuntur è religione ipsorum atque moribus documenta, quorum omnibus ætatibus vsus sit. Etenim quòd tanta animorum obstinatione Ethnicũ & barbaricum Deorum cultum retinuerunt ac propugnarunt, confirmat id, quod est apud Flaccum:*

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diu,

*seu difficulter ex animis hominum persuasiones effluere, quas cum nutricis lacte suxerint. Quàm etiam dulcis libertas sit, quàm non bene pro toto vendatur auro, secundum Ennianum elogium, tot gentis clades addocent. Iam vt nec Germanica prætermittamus, præcipuè ab Helmoldo de Henrico IIII. & Friderico Barbarossa Impp. operæprecium factum est. Nam reliquorum res gestas attigit potius quàm explicauit. Atq; haud scio, an Henrici IIII. exauguratio, captiuitas, exhumatio alibi vel verius vel disertius magisq; patheticè describatur. Tametsi in Pontifices, tantorum malorum auctores, stylo Helmoldus timidiore vtatur: Cùm interim non dissimulet, grauibus id facinus Ecclesiam Romanam cladibus luisse. Adhæc plurima, eaq; scitu dignissima, habet de antiquitatibus Saxonicis. Etenim vt cætera mittam, & Billinganam familiam accuratè pertractat, & cùm Holsatiæ ac Schaumburg. Comitum, tum Welforum in Saxonia primordia liquidissimè pandit. Sanè quod in Billingana familia è recentioribus plerique, nescio qua curiositate, de Bennone & Bernhardo dubium mouerũt, id totum Helmoldi tollit auctoritas. Ex hoc enim vt nominibus ita & personis diuersos facimus. Nec minus admirere tot nobilissimarum & florẽtissimarum ad mare Balticum vrbium fundationes, incrementa, excidia, instaurationes, admirere quæ passim de gentibus externis admiscuit. Sed ea singulatim hîc vel repetere vel discutere, extra propositum fore videbatur. Maximè tamen in Danica historia Helmoldus elaborauit. Et quæ ingenua quadam παῤῥησίᾳ in gentis regibus accusat, documento cæteris Principibus esse possunt, quales eos in officio tuendo, quales in republ. gerenda esse oporteat. Quid? quòd simul Ecclesiæ illius tempestatis ordinisq; Ecclesiastici statum, hoc est, vt is potentia, clientelis, opibus, dignitate in immensum creuerit, summa fide Helmoldus proponit. Vt ne enim cætera persequar, istud quidem admodum notabile est, quòd Ludouici Pij temporib. ascitos Episcopos inter Principes, ait: Quod ἀξίωμα cùm religionis & sanctitatis opinio roboraret, euenit id, de quo his verbis Hartuicus Brem. gloriatur historiæ Helmoldi lib. 1. cap. 70. Vbi Dux, inquit, vel Marchio, vbi in regno Principatus quantũlibet magnus, qui Pontificibus manus non offerat, recusatus, opportunè importunè se non ingerat? Certatim irruunt, vt homines fiant Ecclesiæ, & participes fiant beneficiorum eius. Hæc ille. Ac licet de Põtificum Rom. historia explicet Helmoldus, vt paulo suprà diximus, timidius, haud tamen negat, sæpe eos bellorum & aliorum seditiosorum motuum tubas extitisse. Nec possunt non, quotquot sanum adhibere iudicium volent, execrari*

*Gregorij VII. perfidiam, Hadriani IIII. turpem & stolidam ambitionem, Alexandri III.* φιλονεικίαν *nefariamq; peruicaciam. Enimuero cùm Gregorio lanista Germaniæ gentes duæ fortißimæ, Franci & Saxones, inter se commissæ fuissent, ita contentione ista Imperij vires concidére, vt instaurari nunquam potuerint. Et quod is primum in Imperatorem anathematis fulmen iaculatus fuerat, deinde successores tanquam Gorgon quadam armauit: quippe qui per illud nihil non obtinuerint, conculcataq; Imperatorum potentia, suam extulerint.*

ARNOLDVM *Abbatem Lubecēsem fuisse, Pucheniani codicis docet inscriptio. Pertinentq; eodē, quæ de Lubecensibus loquēs habet lib. 5. cap. 13. Nec dubium est, expreßisse hoc ei toties iterata vitæ monasticæ encomia. Antea ludimagistrum Arnoldum egisse, non obscurè Conradi Cancellarij, primò Hildesheimensis postea Wirceburg. Episcopi, testatur inserta historiæ eius epistola. Vocatq; eum illa ipsa epistola Præpositum Hildesheim. Etsi non sit nihil, quod scrupulum parte ista legentis animo inijcere meritò poßit. Ac patet tam ex eadem epistola, quàm de Philippi Antistitis Raceburgij historia, quam exponit lib. 7. cap. 11. cuiq; labores suos inscripsit, quo tempore vixerit. Quibus hoc insuper accedit, quòd expositiones eius desinunt in Othonis IIII. Cæs. Imperio. Quanquam, vt suprà monui, eæ ibi mutilæ sunt. Quas autem in Helmoldi Derelictis pertexendis Arnoldus profitetur partes, eas summa cū laude sustinuit. Nam non solùm illa pertractat, vbi Helmoldus substitit, sed etiam quædam altius repetit. In his cùm alia memorabilia sunt, tum facilè Princeps existit narratio de Hierosolymitano Henrici Leonis itinere. Incidit enim, si Crancio credimus, idem iter in annum Christi M. LXX. Nec vlla parte reliquas de Henrico Leone expositiones inferiores ducas, miramq; de Friderici Barbarossæ, Henrici VI. & Philippi F.F. Othonis IIII. & Canuti Dani rebus gestis diligentiam & fidem reperias. Nam cætera perstringenda hîc nobis non putauimus. In quibus quidem quæ de rebus Græcis, quæ item de Italiæ & Siciliæ antiquitatib. Arnoldus infarcit, fides eius non rarò labascit. Quare ea è suis quæque auctoribus peti, satius fuerit. Nunc id postremò adijcio, variare nonnihil de capitum libri secundi serie Puchenianum codicem à Schorkeliano. Sed maluimus & hîc nos cum Schorkeliano facere. Dictum est etiam à nobis suprà de egregia Pucheniani acceßione: Cui ita inhærere studuimus, vt cum auctore Arnoldo primum ipsius librum, secundum historiæ Helmoldi duceremus, sed de capitibus Schorkelianam digestionem retineremus. In eoq; instituto perseuerātes, capita non solùm paragraphis, sed etiam numeris distinximus. Nam his Puchenianus codex carebat, vt cōtrà alicubi capitum inscriptiones præferebat. Quas tamen nos ideo missas fecimus, quòd imperfectæ minusq; concinnæ essent, & supplere vicem illarum notæ seu* παροχαὶ *marginales posse viderentur.*

VENIT *autē in mentē,* HENRICE IVLI *Princ. Domine clementiß. historia hac illustriß. Excelsitatem T. ceu felicis ominis ergo affari, quòd eo loco natus sis, eam iam ætatē habeas, id deniq; munus geras, vt communis patriæ & maiorum origines non poßint non Excelsitatē T. vehementer cùm oblectare, tū suauißimis quibusdam adminiculis subleuare. Est enim* ἱστορίη συμφερτὴ σοφίη, *vt præclarè in versu quodam Naßianzenus. Fieriq; ita quadam à natura profecta*

lege

*lege cernimus, vt magis nos domestica quàm externa afficiant. Nam vt cæteros auos atauosq́; tuos, secundum Poetam, quos Helmoldi & Arnoldi annales tanquam in viuo speculo spectandos proponunt, reticeam, quàm accurato studio, qua religione, grauitate, fide de summi post homines natos herois,* HENRICI LEONIS, *rebus gestis ambo explicant? quàm exquisitè, quæ alij fœda simul malitia, simul ignorãtia omiserunt, pertractant? Enimuero mirari alia in alijs solemus, nec eadem omnium ingenij fortunæq́; auctoramenta existunt, non idem omnes fatum regit. Attamen hoc de Henrico Leone affirmare rectè posse videor, cum eo incolumi & florente non solùm Saxoniam, cæterasq́; subiectas prouincias, sed & totum Imperium statũ & decus suum saluum retinuisse, cum impulso verò ingens rursus incommodum sensisse, sic vt instar conuulsi ædificij labefactari ac nutare cœperit. Quare vt patriæ amatorib. omnibus, ita & Excelsitati T. quæ genus & originem ab Henrico Leone ducat, gratam memoriã, gratas res gestas eius esse, necesse est. Neque hîc grauis cuiusdam noxæ atque piaculi pleriq́; notam effugêre, qui dum maledicere optimè merito Principi non dubitarunt, summo quodam Germaniam spoliare ornamento voluisse videtur. Nam quod ad* κρησφύγετον *de Friderici Barbarossæ Cæs. offensa attinet, vt de alio, atq́; ipsi fingunt, principio illa extitit, ita virtutes & merita Henrici Leonis non extinxit, aut extinguere potuit, sed quicquid virium habuit, id tantùm in fortunas eius exeruit. Atque an non peruersi cuiusdam animi institutum ducemus, sic cuipiam patrocinari, vt alij procaciter lædantur? Sanè quod sapiens ille argutusq́; Lyricus scripsit:*

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

*idem etiam de Henrici Leonis posteris accidisse cernimus. Vt ne enim singulorum res gestas retexam, Otho quidem F. eam virtutis famam collegit, vt Imperium illi delatum fuerit. In quo administrãdo cùm omnes boni Principis partes obiret, & quæ Pontificum fraude alienata essent, armis repeteret, fuit istud scilicet, quo Camarinam mouisse, seu maiestatem Pontificiam læsisse, visus est. Aliquot ætatibus pòst eadem dignitas Friderico rediit. Et ad Neapolitanum regnum euocatum accepimus Othonem. In primis autem Martiũ decus Brunsuicensi & Luneburg. domui (nam ista postmodò Henrici Leonis posteritati inhæsit denominatio) ceu hæreditaria permansit. Quoad hac nostra memoria tam purioris in Christiana religione doctrinæ, quàm literarum & omnium bonarum artium patrocinium adiunxit. Certè Ernesti Luneburgij pietas, & in Ecclesiam ac rempub. merita, non possunt non, vt cum Horatio loquamur, extento viuere æuo. Ad idem exemplum dum æquè præclara ac felici æmulatione se componit Excelsitatis T. parens, princeps inquam optimus, omniq́; laude cumulatissimus,* IVLIVS, *tum Ecclesiæ tum litterarum hospitium & perfugiũ fines suos esse voluit, & condita amplissimis sumtibus academia, omnis generis doctrinarum sedem atq́; officinam effecit. Ergo vt de tantis maioribus ac imaginibus quod iure Excels. T. glorietur, habet, ita per eadem ingredi virtutum*

*vestigia, id est sui quàm simillima esse, perget. Est enim, quod de heroica Excelsitatis T. indole sperare omnes prolixè oporteat: & quædam iam cùm de scholastico in academia Iulia gesto, tum de Ecclesiastico in territorio Halberstad. inito magistratu edidisse specimina videtur. Cui addo statim ἀφ᾽ ἑστίας, quod aiũt, παίδων accuratam. Rectè enim idem Lyricus:*

Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectiq; cultus pectora roborant.

*Nec parum, opinor, Excels. T. diligenti historiarum lectioni debere volet: quippe in qua mirificè profecisse perhibeatur: Cùm non tantùm vt vitæ comitem, sed planè vt ducem, adeoq; verißimam τῆς συνέσεως πολιτικῆς καὶ δυνάμεως ἑρμηνευτικῆς, vt è Thucydide Lucianus nominauit, matrem adhibendam statuerit. Nam quæ cæteræ disciplinæ præceptorum veluti simulacris atque vmbris docent, ea historia viuis quibusdam exemplis ob oculos ponit. Atq; attexerem hoc loco, quæ peculiariter adhuc ad Helmoldi & Arnoldi annales pertinere videbantur, nisi ex iis, quæ suprà attulimus, ambos Excelsitati T. commendatißimos, vel potius eos esse, qui seipsos cõmendarent, persuasum haberem. Quod igitur de me restat, peto subiectiß. obseruantiæ officio huic nostro, peto, in qua versor, antiquitatis καὶ τοῦ γενεαλογικοῦ explicationi eum clementiß. patrocinij fauorem, quo litterarum cultores complecti Excels. T. consueuit. Nam vt parte ista nondum ἐγκυκλοπαιδεία coierit, sed fœda quadam ruptura hiulcet, quæ inde in vniuersam rem litterariam incommoda irrepserint, palàm atque in confesso est. Ego vt secundum cœlestis numinis respectum, quicquid opt. artium studiis, quicquid ingeniis præsidij & spei reliquum est, in eiusmodi consistere patrociniis perspicio, ita de humilitate mea in eo merito celebrando, & gratia pro modulo nostro rependenda, voluntatis cum debita subiectione conatum defero omni loco omni tempore promtißimum ac paratißimum. Illustriß. Excels. T. bene valeat. Francofurto Septemvirali ad Viadrum,* III. Cal. VIIbr. CIↃ.IↃ.XXC.

IN RES

# IN RES GESTAS HENETORVM, ET ORIGINEM familiæ Illustriss. Ducum Brunsuic. & Luneburg. editam à clarissimo viro Reinero Reineccio.

*CÆtera consumit rigida cū morte vetustas,*
*Nec constans terris quid sinit esse diu.*
*Inuida ne carpat gestorum obliuio famam,*
*Neu premat in tenebris fortia facta situs:*
*Musa vetat, seros & laudem mittit in annos*
*Nominis, & supera consecrat arce decus.*
*Hac ergo æthereas tollunt se vindice ad auras*
*Brunsuigiæ, fato prosperiore, Duces.*
*Quorum si primæ repetatur stirpis origo,*
*Clara per innumeros inuenietur auos.*
*His dedit hinc ortum Hermānus, qui maximus*
*Armorum, placidæ maximus arte togæ: (arte*
*A magno titulis illustribus auctus Othone,*
*(Illustres virtus sola, fidésque facit.)*
*Hinc sed Atestinæ referunt insignia gentis,*
*Quæ Longbardorum sanguine nata fuit.*
*Nunc igitur superi reuocata ad luminis oras,*
*Saxoniæ redeunt nomina tanta Ducum.*
*Iamq́ tubæ lituiq́ sonant, & clamor equorum,*
*Nunc iterum verso, terga dat hostis, equo.*
*Carolus ante omnes, Magnus cognomine, rerum*
*Gestarum fama maior & ingenio.*
*Ille vmbrata gerit ciuili tempora quercu,*
*Et quatit heroa tela cruenta manu.*
*Scilicet & paci & castrensibus vtilis armis,*
*Pulchrè oleæ iungit laurus odora comas.*
*Ille vides? Auceps Sclauorum terror, obibat,*
*Saxonici primus sanguinis, imperium.*
*Hunc tres illustres animæ comitantur Othonum,*
*Horrida qui rigidi fulmina Martis erant.*
*En horum virtute viget Germania, si quid*
*Antiqui, miserè fracta, vigoris habet.*
*Nec minus Henricos, fortissima pectora, terræ*
*Lumina, Francorum stirpe creata, vides.*
*Quos Baal OEnotrius rabioso percitus œstro,*
*Ambitione furens, cæcus auaricia:*
*Impulit vt sua sæuirent in viscera: Roma*
*Nullius non est causa caputq́ mali.*
*Excepit rabies Fridericos illa, sed horum*
*Virtus non diris victa, dolisve fuit.*
*Concutit ingentem vastis Leo viribus hastam,*
*Quem Cæsar supplex ipse poposcit opem:*
*Cui Rhenus, iugaq́ Hercyniæ, cui paruit Albis,*
*Præbuit & victas Vandala terra manus.*
*Aspice Cæsareo fulgentem vertice Othonem,*
*Qua se fronte infert? quantus in arma patet?*
*Hunc auus ingreditur iuxta, cui filia Magni*
*Lotharij, fausto sidere, iuncta fuit.*
*Quid memorem reliquos, mora quos est lōga re-*
*Vertice qui tangunt cælica signa suo? (ferre,*
*Deseret antè locum tellus, mergetur & vndis*
*Oceani, nostro proxima stella polo:*
*Guelphorum pereant quàm facta æquantia cælū,*
*Ortus Brunsuigij stemmatis vnde venit. (tus,*
*Quos mare, quos tellus norūt, quos vesper & or-*
*Quos Aquilo, & madido subdita regna Noto.*
*Saluete heroës, numero quos prendere non est,*
*Solis vtrasq́ subit gloria vestra plagas.*
*Quòd leges, pietasq́ suo est in honore, nec hostis*
*Germanam dira cæde repleuit humum,*
*Muneris hoc vestri est, vestris debetur id omne*
*Auspiciis, seruent hoc pia fata genus.*
*Eruit hos tenebris, & cæcis eximit vmbris,*
*Nec sinit obscuros nocte silente tegi,*
*Helmoldus, veterū heroū monumenta recensens,*
*Et veri Arnoldus simplicitate mouens.*
*Addidit his lucem, mendas, Reinerus, & omnes*
*Sustulit, historiæ dexter in omne genus.*
*Perge age, & heroas doctis fer ad æthera chartis,*
*REINERE, æterno nomine notus eris.*
*Tuq́ Henrice, Ducū flos, & decus infulæ,* IVLI,
*Sospite quo Musæ, Relligioq́ manent:*
*Magnanimos imitatus auos, patris æmulus, hui*
*Macte animi, Musas perge fouere sacras.*
*Hæ tua transcribent meliori nomina seclo,*
*Ne, veluti corpus, famáque laúsque cadant.*

## Epigramma.

*Tertia Reineri est, Helmoldi palma secunda,*
*Principibus meritò gloria prima datur.*
*Sed quia cū ducibus latuisset scriptor, ab vmbris*
*Hos nisi Reinerus vindicet & tenebris:*
*Huius laus prima est, quòd gesta heroica profert,*
*Vt ferat exhaustus præmia digna labor.*
*Indignus patria, indignus maioribus, à se*
*Degener, & famæ prodigus ipse suæ est:*
*Cui curæ non est, longum transmittere in æuum,*
*Aut legere, aut luci reddere gesta patrum.*

Michaël Boiemus Pirnensis, M.
IIII. Non. VIIbr. Torgæ xxc.

## IN ANNALES HELMOLDI ET ARNOLDI, editos à Reinero Reineccio, &c.

*ANnales operæ fidelioris,*
*Et gentis Slauuicæ vetustioris,*
*Autorum pariter probatiorum*
*Helmoldi simul, & sui sequacis*
*Arnoldi, tenebris quòd eruendo,*
*In commune bonum edis, & perennem*
*Das,* REINERE, *etiam videre lucem:*
*Est, quod debeat alta gens Slauuorum,*
*Nec non posteritas tibi omnis omni*
*Ætate, ac recolat sereniori*
*Vultu frugiferos tuæ labores*
*Tantæ sedulitatis, & salutis,*
*In authoribus à situ leuandis,*
*A scombris vel item redintegrandis.*
*Nostri quin etiam tibi Bohemi,*
*Stirps Slauuinica, gens & hospitalis,*
*Plaudent vocibus hospiti benignis,*
*Annalesq́; tua subinde voluent*
*Renatos quasi denuò officina.*

Thomas Mitis à Lymusa
VII. Cal. VIIIbr. Pragæ
CIↃ. IↃ. XXC.

## LECTORI S.

*DIctum est à me in procemio, unde historiam hanc & emendarim & locupletarim. Nunc istud præterea, candide lector, de vulgaribus notis duabus † *, quæ passim insertæ sunt, habeto, obeliscum variantem lectionem, & P. quidem litteram è Pucheniano, D. è Distelmeieriano codice; asteriscum verò nunc vitium & mendum, nunc ex alterutro codice supplementum quoddam, aut pro barbara vel suspecta voce Latiniorem vel veriorem significare. Tu opera nostra fruere feliciter, & eandem deinceps in id genus auctoribus producendis, & antiquitate illustranda, tibi paratissimam fore, statue.*

HELMOL-



# HELMOLDI, PRESBYTERI BUZOVIENSIS,

## CHRONIC. SLAVORUM LIBER I.

*REVERENDIS DOMINIS AC PATRIBUS, SANctæ Lubecensis Ecclesiæ Canonicis, Helmoldus, Ecclesiæ, quæ est in Buzu, indignus seruus, debitæ obedientiæ voluntariam exhibitionem.*



Etractaui in longa meditatione, quid operis acceptarem, quo matri meæ, sanctæ Lubecensi Ecclesiæ, aliquem famulatus mei honorem impenderem, sed nihil aptius occurrit animo, quàm vt ad laudem ipsius scribam conuersionem Slauicę gentis, quorum scilicet regum siue prædicatorum industria, Christiana religio his in partibus primùm plantata, & postmodò restaurata fuerit. Hortatur me ad id studium scriptorum, qui ante nos sunt, imitabilis deuotio, quorum plerique propter magnum scribendi studium, dum omnibus negotiorum tumultibus renunciarunt, vt in secreto contemplationis otio inuenire possent viam sapientiæ, præferentes eam auro obryzo, & cunctis opibus preciosis: qui etiam extendentes aciem ingenij ad inuisibilia Dei, & ipsis arcanis approximare cupientes, plerunque supra vires laborare nisi sunt. Alii autem, quorum conatus non fuit tanti, consistentes in suæ dispositionis meta, auxerunt & ipsi de simplicitate sua arcana scripturarum, multaq; ab ipsa constitutione mundi de regibus & Prophetis & variis bellorum euentibus commentantes, super virtutibus laudem, vitiis verò detestationem suis præconiis addiderunt. In huius enim seculi tenebrosa caligine si desit lucerna scripturarum, cæca sunt omnia. Arguenda igitur est modernorum insolentia, qui de abysso iudiciorum Dei multa, sicut olim, ita & nunc, emanare videntes, obturauerunt venas eloquentiæ suæ, auersi in lubricas huius vitæ vanitates. Ego autem in eorum laudem, qui

*Auctoris institutum, operisq; argumentum.*

*γνώμη Christiana.*

*In literatos desides.*

Slauorum prouinciam diuersis ætatibus manu, lingua, plerique etiam in sanguinis effusione illustrarunt, operis huius paginam dicandam arbitror: quorum gloria non erit obstruenda silentio: quia post excidium Aldenburgensis Ecclesiæ Lubecensium inclytam ciuitatem, Domino fauente, ad hunc decoris apicem prouexerunt, vt inter omnes Slauorum optimatissimas ciuitates hæc iam caput extulerit, tam rerum opulentia quàm religione diuina. Porrò aliis omissis, quæ nostra ætate gesta sunt, quæ aut longæuis viris referentibus percepi, aut occulta cognitione didici, statui Domino propicio cum fide perscribere, tanto sanè effusius, quanto vberius suppeditat scribenda gestarum nostro tempore rerum magnitudo. Nec ad hoc opus temeritas impulsat, sed præceptoris mei venerabilis, Geroldi Episcopi, adduxit persuasio, qui primus Lubecensem Ecclesiam fecit insignem cathedra simul & clero.

*Lubecæ elogium.*

*Geroldus Episc. Helmoldi præceptor.*

CAPVT



# CAPVT I.



Operæprecium existimo in conscriptionis huius initio aliqua de Slauorum prouinciis, natura, moribus, historico prælibare compendio, quātis scilicet ante cōuersionis gratiā, errorū nexibus impliciti fuerint, vt per quantitatem morbi facilius agnoscatur efficacia diuini remedij. Slauorum ergo populi multi sunt, habitātes in littore Baltici maris. Sinus huius maris ab occidentali oceano Orientem versus porrigitur, appellatus ideo Balticus, quòd in modum balthei longo tractu per Scythicas regiones tendatur vsque in Grçciam. Idémque mare barbarum, seu pelagus Scythicum vocatur, à gentibus, quas alluit, barbaris. Hoc mare multæ circumsedent nationes. Dani siquidem, ac Sueones, quos Northmannos vocamus, septentrionale littus, & omnes in eo obtinent insulas. At littus Australe, Slauorum incolunt nationes, quorum ab Oriente primi sunt Ruzi, deinde Poloni, habentes à septentrione Pruzos, ab Austro Boiemos, & eos qui dicuntur Morahi † siue Carinthi, atque Sorabi. Quòd si adieceris Vngariam in partem Slauoniæ, vt quidam volunt, quia nec habitu nec lingua discrepat, eousq; latitudo Slauicæ linguæ succrescit, vt penè careat æstimatione. Omnes hæ † regiones, præter Pruzos, Christianitatis titulo decorantur. Diu enim est ex quo Ruzia credidit. Russia autem vocatur à Danis, Ostrogard, eo quòd in Oriente positus, omnibus abundet bonis. Hæc etiam Chunigard dicitur, eo quòd ibi sedes Hunorum ✳ fuerit. Huius metropolis, ciuitas est Chue. Quibus autem doctoribus ad fidem venerint, minimè compertum habeo, nisi quòd in omnibus obseruantijs suis, Græcos magis quàm Latinos imitari videntur.

*Mare Balticum. Notio eius fabulosa: est enim à Baltia insula. Nomēclatura diuersa. Accolæ. Dani. Sueones, alio nomine Normanni. Slaui horūq; gentes. Russi. Poloni. Prussi. Boiemi. Morauj. Sorabi.* †Hanc particulam D. C. nō habet. *Prussorū religio Ethnica: Russorū Christiana.* †P. natiōes. *Russia diuersa nomēclatura.*

Nam Rutenum mare, breui * in Græciam transmittit. Pruzi necdum lumen fidei cognouerunt, * homines multis naturalibus bonis præditi, humanissimi erga necessitatem patientes, qui etiam obuiam tendunt his, qui in mari periclitantur, vel qui à piratis infestantur, & subueniunt eis. Aurum & argentum pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum nostro orbi superbiæ venenum propinauit. Et illi quidem vt stercora hæc habent, ad nostram credo damnationem, qui ad Marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus Faldones, illi offerunt tam preciosos martures. Multa poterant dici de hoc populo laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cuius prædicatores immaniter persequuntur. Apud illos martyrio coronatus est illustris Boemię Episcopus, Adelbertus. Vsque hodie profectò inter illos, cùm cætera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu. Carnes iumentorum pro cibo sumūt, quorum lacte vel cruore vtuntur in potu, ita vt inebriari dicantur. Homines hi cerulei, facie rubea & criniti. Pręterea inaccessi paludibus, nullum inter se dominum pati volūt. Vngarica gens validissima quondam, & in armis strenua, ipsi etiam Romano Imperio formidolosa. Nam post Hunorum atque Danorum strages, tertia Vngarorum desęuijt irruptio, * omnia finitima regna vastans atque collidens. Collecto enim immenso exercitu *, omni Bauaria & Sueuia potiti sunt: Præterea loca Rheno contigua depopulati sunt: Saxoniam quoque vsque ad oceanum Britannicum igni atque cruore compleuerunt. Quantis autem Imperatorum laboribus & Christiani exercitus dispendio subneruati fuerint, & diuinis legibus subacti, multorum habet notitia, & publicè loquuntur historiæ. Carinthi confines sunt Bauaris, homines diuino cultui dediti, nec est vlla gens honestior, & in cultu Dei, & sacerdotum veneratione deuotior. Boemia habet regem, & viros bellicosos, plena est Ecclesijs, & religione diuina. In duos disterminatur episcopatus, Pragensem, & Olomucensem. Polonia, magna Slauorum prouincia, cuius terminum in Ruziæ regnum dicunt connecti. Et diuiditur in octo Episcopatus. Quondam habuit regem, nunc autem ducibus gubernatur. Seruit & ipsa, sicut Boemia, sub tributo Imperatoriæ maiestati. Est autem Polonis atque Boemis eadem armorum facies, & bellandi consuetudo.

* P. primò. *Metropolis. Religionis ritus. σφάλμα Geographicū.* * D. spatio. *Prussorū in religione Eth. mores.* * D. tamen sunt. *Faldones. Adelbert⁹, Episcopus Pragensis martyr. γαλακτοφάγοι. Vngari, eorúmque in Imperium irruptio.* * P. bellica manu. *Carinthiorum elogiū. Boiemi. Poloni. Ambo Vectigales Imperio.*

*Militaris eorum rapacitas atque truculẽtia.*

Quoties enim ad externa bella vocantur, fortes quidē ſunt in congreſſu, ſed in rapinis & mortibus crudeliſſimi: non monaſteriis, non Eccleſiis, aut cœmiteriis parcunt. Sed nec alia ratione extraneis bellis implicantur, niſi conditionibus admiſſis, vt ſubſtantiæ, quas ſacrorum locorum tuitio vallauerit, direptionibus publicentur. Vnde etiam contingit, vt propter auiditatem prædarum, amiciſſimis ſæpe abutantur vt hoſtibus, ob quod rariſſimè ad quaſlibet bellorum neceſſitates adſciſcuntur. Hæc de Boemis atq; Polonis, & cæteris orientalibus Slauis dicta ſufficiant.

*σφάλμα.*

## CAPVT II.

*Slaui iidem qui Winithi ſiue Vinuli, Wenden.*
*Pomerani.*
*† D. portenditur.*
*Odera ſeu Viadrus.*
*Albis.*
*Vinneta emporium.*
*† P. Niniueta D. Immu ueta. Philippus in Orat. de Ioan. Bugẽnagio eã dem Venetam nominat, reſpexitque eodem interpres Chron. Car. pag. 331.*
*Eius excidium.*
*Fretũ naturæ triplicis.*

VBi ergo Polonia finē facit, peruenitur ad ampliſſimā Slauorum prouinciā, eorū qui antiquitus Wandali, nunc autem Winithi ſiue Winuli appellãtur. Horū primi ſunt Pomerani, quorū ſedes † portenduntur vſq; ad Odoram. Eſt aũt Odora ditiſſimus amnis Slauicæ regionis, & oritur in profundiſſimo ſaltu Marahorū, qui ſunt ab oriente Boemiæ, vbi & Albia ſortitur principium. Nec longis ab inuicē diſtant ſpaciis, ſed diuerſo currunt meatu. Albia enim in occaſum ruens primo impetu Boemos alluit cū Sorabis, medio curſu Slauos dirimit à Saxonibus, nouiſſimo Hammenburgenſem diuidens parochiam à Bremenſi, victor Oceanū ingreditur Britannicum. Alter fluuius, id eſt, Odora, vergens in Boream, tranſit per medios Winulorum populos, diuidens Pomeranos à Wilzis: in cuius oſtio, qua Balticum alluit pelagus, quondam fuit nobiliſſima ciuitas † Vinneta, præſtãs celeberrimam ſtationem barbaris & Græcis, qui ſunt in circuitu. De cuius præconio vrbis, quia magna quedã & vix credibilia recitantur, libet aliqua cõmemorare, digna relatu. Fuit ſanè maxima omniũ quas Europa claudit ciuitatum, quam incolũt Slaui cum aliis gentibus permixtis, Græcis & Barbaris. Nam & aduenæ Saxones parē cohabitandi licentiam acceperunt, ſi tantum Chriſtianitatis titulũ ibi commorantes non publicaſſent. Omnes enim vſq; ad excidiũ eiuſdē vrbis, paganicis ritib. oberrarũt. Cæterum moribus & hoſpitalitate, nulla gens honeſtior aut benignior potuit inueniri. Ciuitas illa mercibus omnium nationum locuples, nihil non habuit iucundi aut rari. Hanc ciuitatem opulentiſſimam, quidam Danorum rex, maxima claſſe ſtipatus, funditus euertiſſe refertur. Præſto ſunt adhuc antiquæ illius ciuitatis monumenta. Ibi cernitur Neptunus triplicis naturæ. Tribus enim fretis alluitur illa inſula, quorum aiunt vnum viridiſſimæ eſſe ſpeciei, alterum ſubalbidæ, tertium motu furibundo, perpetuis ſæuit tempeſtatibus.

*Heruli ſeu Heueldi.*
*Leubuzi.*
*Wilini.*
*Stoderani.*
*Tholenzi ſiue Redarii.*
*Rethre opp.*
*Radegaſt idolum.*
*† P. Curipanos.*
*Circipani.*
*Kycini.*
*Demin opp.*
*Wilzi quatuor gentium nomen.*
*Lingones, Warnaui.*
*Obotriti, Mekelẽburg*
*Polabi.*
*Racesburg.*
*Trauena.*
*Aldenburg.*
*Inſulæ maris Baltici.*
*† D. Fẽbre.*
*† D. ab Aldenburg.*
*Rani alio nomine Rugiani.*
*Eorum rex Deorum familiaris.*
** P. & inſulas.*
*Slauorum mores.*

Sunt & alii Slauorū populi, qui inter Albiā & Odorā degũt, longoq; ſinu ad Auſtrum portenduntur, ſicut Heruli, vel Heueldi, qui ſunt iuxta Habolã fluuiũ, & Doxam, Leubuzi, & Wilini, Stoderani, cū multis aliis. Poſt Odorę igitur lenē meatũ, & varios Pomeranorũ populos, ad occidentalē plagã occurrit Winulorũ prouincia, eorũ qui Tholenzi ſiue Redarii dicuntur. Ciuitas eorũ vulgatiſſima Rethre, ſedes idololatriæ. Templum ibi magnum conſtructum dæmonibus, quorum Princeps eſt Redegaſt. Simulacrum eius auro, lectus oſtro paratus. Ciuitas ipſa, nouē habet portas, vndiq; lacu profundo incluſas. Pons ligneus tranſitũ præbet, per quē tantũ ſacrificãtibus, aut reſpõſa petentib. via cõceditur. Deinde venitur ad † Circipanos & Kyzinos, quos à Tholēzis & Rederis ſeparat flumē Panis, & ciuitas Dimine. Kyzini & Circipani, cis Panim, Tholenzi & Redari, trans Panim habitant. Hi quatuor populi à fortitudine Wilzi ſiue Lutici appellãtur. Vltra illos ſunt Linguones, & Warnaui. Hos ſequũtur Obotriti, ciuitas illorũ Mikelinburgk. Inde verſus nos, Polabi, ciuitas eorum Racisburg. Inde tranſitur fluuius Trauena, in noſtram Wagirēſem prouinciam. Ciuitas huius prouinciæ quondam fuit Aldenburg maritima. Sunt & inſulæ Baltici maris, quæ incoluntur à Slauis, quarum vna † Wemere vocatur. Hęc oppoſita eſt Wagiris, ita vt videri poſſit † Aldenburg. Altera inſula longè maior eſt, contra Wilzos poſita, quam incolunt Rani, qui & Rugiani, gēs fortiſſima Slauorũ, qui ſoli habēt regem, extra quorũ ſententiã nihil agi de publicis rebus fas eſt, adeò metuuntur propter familiaritatem Deorum, vel potius Dæmonum, quos maiori præ cæteris cultura venerantur. Hi ergo ſunt Winulorum populi, diffuſi per regiones & prouincias * maris. Omne hoc hominũ genus, idololatriæ cultui deditũ, vagum ſemper & mobile, piraticas exercētes prædas, ex vna parte Danis, ex altera

Saxonibus

Saxonibus infeſtum. Sæpius ergo multisq; modis, magnorum Imperatorum atq; ſacerdotum ſolertia tentatum eſt, ſi gentes iſtæ rebelles & incredulæ poſſent aliquatenus ad agnitionem diuini nominis & credulitatis gratiam adduci.

## CAPVT III.

INter omnes ergo ſtrenuos Chriſtianæ fidei propagatores, qui pro fidei ſuæ merito laudabilem adepti ſunt principatum, glorioſiſſimus ſemper elucet Carolus, vir omnium ſcriptorum præconijs attollendus, & in fronte ſtatuendus eorum, qui pro Domino in partibus aquilonis laborauerunt. Ipſe enim Saxonum gentem ferociſſimam, atq; rebellem, ferro perdomuit, & Chriſtianis legibus ſubegit, Saxones aũt, vel Thuringi, itemq; cæteræ quę iuxta Rhenum ſunt nationes, ex antiquo Francis tributariæ leguntur. Quibus deinde à regno eorum deficientibus, Pipinus, genitor Caroli, bellum intulit, quod tamen filius maiore fœlicitate peregit. Longo ergo tempore bellum aduerſus Saxones profligatum eſt, quod magna vtrinq; animoſitate, maiori tamen Saxonum quàm Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat quidem citius finiri, ſi Saxonum pertinacia hoc pateretur, qui libertatem armis tueri malentes, Francorum terminos vſq; ad Rhenum vaſtabant. Nullis itaque ferè annis à bello vacantibus, tandem Saxones ita profligati leguntur, vt ex his, qui vtrasq; ripas Albiæ incolunt, decem millia hominum cum mulieribus & paruulis in Franciam tranſlati ſint. Et hic annus eſt diuturni Saxonum belli triceſimus tertius, quem Francorum hiſtorici ponunt memorabilem, ſcilicet Caroli Imperatoris triceſimum ſeptimum, quo Widikindus rebellionis incentor, depoſita tyrannide, imperio ſubiectus, baptizatusq; eſt ipſe cũ alijs Saxonũ magnatibus: & tunc demũ Saxonia in prouinciam redacta eſt. Hac itaq; in bellis victoria potitus fortiſſimus Carolus, nõ in ſe, ſed in Domino Deo exercituũ confiſus eſt, fortia geſta ſua, gratiæ ipſius adiumentis attribuens. Qui etiã magna vſus induſtria, Saxonũ populos, licet malè meritos, ſtatuit ſupernę mercedis intuitu omni debito cenſu abſoluere, atq; priſtinæ libertati condonare, ne fortè ſeruitijs aut tributis prægrauati, ad rebellionis neceſſitatem, & paganiſmi errores impellerentur. Porrò ea conditio à rege propoſita, & ab ipſis ſuſcepta eſt, vt abiecto Dæmonum cultu, Chriſtianæ fidei Sacramenta ſuſciperent, eſſentq; tributarij & ſubiugales Domini Dei, omnium iumentorum ſuorũ & fructuum culturæ ſeu nutrituræ ſuæ decimas ſacerdotibus legaliter offerẽtes, & Francis † adiurati, vnus cum eis populus efficerẽtur. Diuiſa eſt ergo Saxonia in octo Epiſcopatus, & digniſſimis paſtoribus ſubiecta, qui ad imbuendas rudes in fide animas verbo & exemplo ſufficerent. Quibus etiam huius vitæ ſtipendia memoratus Cæſar multo honore, plena denique munificentia prouidit. Perfectum eſt ergo in Saxonia nouellę plantationis opus, & pleno vigore conſtabilitum. Sed & Freſonum agreſtes illo tempore receperunt Chriſtianæ fidei gratiam. Ex tunc ergo præparatum eſt iter prædicatoribus verbi * trans Albiam, exieruntque angeli veloces annunciare Euangelium pacis in vniuerſam latitudinem Aquilonis. Quo tempore, cũ Slauorum quoq; gentes Francorum imperio ſubijcerentur, fertur Carolus Hammenburg, ciuitatem Nordalbingorum, conſtructa ibidem Eccleſia, Heridago cuidam ſancto viro, quem loci Epiſcopum deſignauit, regendam commiſiſſe, proponens eandẽ Hammenburgenſem Eccleſiam, cunctis Slauorum Danorúmque gentibus metropolim ſtatuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi Presbyteri, & occupatio bellorum Carolum imperatorem, ne deſyderata compleret, præpediuit. Idem † enim victorioſiſſimus Princeps, qui omnia Europæ regna ſubegerat, nouiſſimum cum Danis bellum ſuſcepiſſe narratur. Nam Dani, & * qui trans Daniam ſunt populi, ab hiſtoricis Francorum Nortmanni vocantur: Quorum Rex Godefridus, iam antea Freſis, itémque Nordalbingis, Obotritis, & aliis Slauorum populis tributo ſubactis, ipſi Carolo bellum minatus eſt. Hæc diſſenſio maximè voluntatem Imperatoris de Hammenburg retardauit. Tandem extincto cœlitus Godefrido, Henning ei ſucceſſit, patruelis eius, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdoram fluuium accepit regni terminũ. Nec multo pòſt Carolus præſenti

*Caroli Magni elogium.* — *Saxones & Turingi Francorum vectigales.* — *Pipinus.* — *Bellum Saxonicum triecennale.* — *Colonia Saxonũ in Gallia.* — *Witschind' auctor & Dux belli Saxon.* — *Caroli M. pietas.* — *Clementia.* — *Conditiones pacificationũ cũ Saxonib.* — †D. adunati. — *Episcopatus Saxoniæ.* — *Frisii Christianismum amplexi.* — *P. Dei. — *Hamburgũ.* — *Heridagus Episcopus.* — †D. etiam. — *Bellum Danicum.* — *P. cæteri. — *Dani & cæteræ aquilonares gentes Frãcis Nortmanni.* — *Godefridus Rex Danorum.* — *Henningus, patruelis & successor Godefridi.*

*Caroli M. mors cum iterato elogio.* *Constantinopolis Imperii Rom. sedes.* *Muliebris imperii incommoda.*

vita decessit, vir tam in diuinis quàm in humanis rebus probatissimus, primúsque qui de Francorum regno ad imperium meruit prouehi. Nam Cæsarea dignitas, quæ post Constantinum in Græcia, vrbe scilicet Constantinopoli, multis ætatibus laudabiliter viguit, deficientibus inibi regalis prosapiæ viris, adeò concidisse dinoscitur, vt respub. cui in primitiuo vigore, insimul tres consules vel dictatores, vel Cæsares vix sufficiebant, muliebri tandem conditione gubernaretur. Consurgentibus ergo vndique aduersus imperium rebellibus, cùm omnia penè Europæ regna ab Imperio defecissent, ipsa quoq; mater orbis Roma, finitimis bellis attereretur, nec esset defensor, placuit Apostolicæ sedi, solenne sanctorũ adunari concilium, & de generali necessitate commune participare consilium. Omnium ergo votis, omnium laudatione, insignis Francorum rex Carolus, corona Rom. imperij sublimatus est, eo quòd ipse, fidei merito, & potestatis gloria, nec non bellorum victorijs neminem in orbe videretur habere consortem. Atque in hunc modum Cæsareum nomen, de Græcia translatum est in Franciam.

*ἀξίωμα Imperii de Græcis in Fr̃acos tr̃aslatum.*

## CAPVT IIII.

*Ludouicus Pius Cæs.*

POstquam ergo Carolus Francorum rex, & Romanorum Imperator Augustus, cum magno bonorũ fructu ad cœlos emigrauit, Ludouicus filius eius, successit ei in regnum. Qui paternis per omnia votis concordans, eadẽ liberalitate, qua pater eius, erga cultum domus Dei, & omnem clerum, vsus est, amplissimas regni diuitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ intorquens, intantum, vt Episcopos, qui propter animarum regimen Principes sunt cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret regni. Hic vbi super Hammenburg patris sui comperit votum, communicato statim sapientum consilio, sanctissimum virum Anscarium, quem etiam aliquando ad Danos & Suedos prædicatorẽ direxerat, Hammenburgensi Ecclesiæ ordinari fecit Archiepiscopum, statuens eandem ciuitatem metropolin vniuersis borealib. populis, vt legatio verbi Dei exinde vberius pullularet in omnes barbaras nationes. Quod & factum est. Nam Hammenburgensis Ecclesię pontificum instantia, disseminatum est verbum Dei in omnes Slauorum, Danorum, siue Nortmannorum populos, & dissolutum est gelidum illud frigus Aquilonis à calore verbi Dei.

*Episcopi inter Imperii Principes lecti.* *Anscarius Archiepisc. Hamburgensis.*

Multis itaq; diebus siue annis, maximisq; doctorum laboribus, in gentibus his desudatum est. Tanta enim fuit opacitas errorum, & difficultas syluescentis idololatriæ, vt nec subito, nec facile potuisset euinci. Sed & bellorum variæ tempestates, post obitum piissimi Ludouici latius emergentes, vocationem gentium non modicè retardarunt. Illo siquidem ex hac luce subtracto, orta sunt intestina bella, quatuor scilicet filijs eius propter Principatum contendentibus. Multa itaque inter fratres orta est discordia, bellúmque maximum, in quo, vt historici testantur, omnes Francorum gentes consumptæ sunt. Tandẽ mediante Papa Sergio, discordia sedata est, regnúmque diuisum est in quatuor partes, ita, vt Lotharius maior natu, cum Italia Romam, Lotharingiam, cum Burgundia possideret: Ludouicus Rhenum cum Germania, Carolus Galliam, Pipinus Aquitaniam.

*Bellum plus quàm ciuile filiorum Lud. Pii.* *Sergius Papa pacis sequester.* *Roma Imperatori nõ Papæ subiecta.*

## CAPVT V.

*Fructus belli ciuilis.* *Danorum potentia & in Germaniam irruptio.* *Colonia.* *Hamburgũ euersum.* *Nordalbingi.* *Anscarius.* *Lud. Germanicus.*

EA ergo tempestate, quã germana discordia maximos bellorum motus, & diminutionem scisso imperio parturiuit, multos ad rebellionem opportunitas temporis adduxit. Inter quos primi vel præcipui Danorum populi, viribus & armis præpotentes, prius quidem Slauos, itémque Fresones tributis subijciunt. Dehinc classe piratica per Rhenum subuecti, Coloniam obsederunt: per Albiam Hammenburg funditus exciderunt. Inclyta ciuitas, & recens Ecclesiæ structura, tota incendio disperijt. Quin & Nordalbingorum prouincia, & quidquid flumini contiguum fuit, barbarorum direptionibus cessit. Saxonia magno terrore concussa est. Sanctus autem Anscarius Hammenburgensis archiepiscopus, & cæteri prædicatores in Slauiam siue Daniam destinati, magno persecutionis feruore sedibus suis pulsi sunt, & vsquequaque dispersi. Ludouicus ergo, cui Germaniam cessisse

cessisse suprà dictum est, glorioso genitori suo nomine & pietate per omnia similis, defectum Hammenburgensis Ecclesiæ taliter resarcire studuit, vt Bremensis sedes, quæ tunc defuncto pastore vacabat, Hammenburgensi Ecclesiæ adijceretur, essentque decætero non duæ Parochiæ, sed vna. Quia enim vtraque ciuitas propter piratarum incursus plena fuit periculis, vtile fuit vnam alterius ope leuari, atque foueri mutuo. Accepto ergo super hac re Apostolicæ sedis mandato, ad effectum perducta sunt omnia quæ fuerant animo pij Principis digesta. Vnitáque est Ecclesia Bremensis Hammenburgensi, & recepit sanctus Anscarius vtramque regendam, factúmque est vnum ouile, & vnus pastor. Post non multum temporis, furore Danorum aliquantulum sopito, cœperunt reædificari diruta Hammenburgensis vrbis, & Nordalbingorum populi ad proprias sedes reuersi sunt. Pontifex quoque Anscarius Cæsaris legatione functus, regem Danorum frequenter adijt, vbi pro commodis vtriusque regni, & pacis stabilimento strenuè agens, multam apud regem, licet gentilem, familiaritatis gratiam, pro fidei suæ reuerentia, consecutus est, cui etiam *facultatem attribuit, Ecclesiam statuendi in Sleswich, & Ripe, præbita prius licentia, ne quis volentes baptizari, & Christianis legibus vti, impediret. Nec mora, sacerdotes ad hæc explenda directi sunt. Procedentibus itaque sensim diuinæ gratiæ incrementis in gente Danorum, cœpit memoratus Pontifex magno desyderio assurgere ad Sueonum conuersionem. Hoc iter arduum per seipsum aggressus, petijt literas & nuncium regis Danorum, profectúsque cum multis nauali itinere peruenit ad Byrcam principalem Suediç ciuitatem, vbi multo fauore & lætitia exceptus est fidelium, quos ipse quondam ante pontificatus honorem, illò prædicator directus, Christo acquisierat: obtinuítque apud Regem, vt volentibus Christianitatis assumere titulum, libera pateret facultas. Dato ergo in Suedia Episcopo, & sacerdotibus, qui vice sua diuinas res, & populi salutem curarent, & singulos ad fidei perseuerantiam adhortatus, reuersus est ad propriam sedem. Ab eo ergo tempore iactum semen verbi Dei, in populis Danorum atque Sueonum, vberius fructificare cœpit. Quamuis enim in eisdem gentibus multi postmodum tyranni surrexerint, qui crudelitatem suam non solùm in Christicolas suæ gentis, sed etiam in exteras nationes extenderint, datur tamen intelligi, Christianitatis titulum, post primum fundationis suç tempus, in Dania siue Suedia, eousque conualuisse, vt etsi persecutionum procellis impellentibus aliquando titubauerit, nunquam tamen penitus exciderit.

*Episcopatus Bremensis Hamburgēsi insertus.*

*Hamburgū instauratū. Anscarius pii Episcopi exemplum.*

*P. Rex.

*Slesuicum. Ripa.*

*Sueones iidem qui Sueci.*

*Byrca Suecia metropolis.*

*Primordia Christianismi in Dania & Suecia.*

## CAPVT VI.

INter omnes autem borealium nationum populos, sola Slauorum prouincia remansit cæteris durior, atque ad credendum tardior. Sunt autem multi, vt suprà dictum est, Slauorum populi, quorum hi qui dicuntur Winuli siue Winithi, magna ex parte respiciunt Hammenburgensem Parochiam. Nam præter honorem metropolitanæ sedis, qua omnes nationes siue regna complectitur aquilonis, habet vtique Hammenburgensis Ecclesia præscriptos terminos suæ parochiæ, vltimam scilicet partem Saxoniæ, quç est trans Albiam, & dicitur Nordalbingia, continens tres populos, †Tethmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kycini, Circipani, & vsque ad flumen Panim & vrbem Dimin. Ibi est limes Hammenburgensis Parochiæ. Non caret ergo admiratione, quòd dignissimi præsules, & Euangelici prædicatores, Anscarius, Reimbertus, & sextus in ordine, Vnni, quorum in conuersione gentium ingens claruit studium, Slauorum curam tantoperè dissimulauerint, vt nec per se, nec per ministros, aliquem in eis fructum fecisse legantur. Effecit hoc, vt æstimo, populi huius incredibilis duritia, non autem prædicatorum torpor, quibus animus circa vocationem gentium adeò fuit affectus, vt nec opibus, nec vitæ pepercerint. Tradit enim veterum antiqua relatio, quòd temporibus Ludouici secundi, egressi fuerint de Corueia Monachi sanctitate insignes, qui Slauorum salutem sitientes, impenderunt seipsos

*Slauorum pertinacia.*

*Iurisdictio Antistitis Hamburgēsis quousque patuerit.*

*Nordalbingia, huiusque gentes tres.*

†P. Thetmarcos.

*Panis fl.*

*Vnni Episc. sextus.*

*Slaui obstinati idololatræ.*

*Corbeia.*

*Rugianorũ sedes.* — *Christianismus.* — *Apostasia.* — *S. Vitus Slauorum Iupiter opt. max.*

ad subeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratísq; multis Slauorum prouinciis, peruenerunt ad eos, qui dicuntur Rani, siue Rugiani, & habitãt in corde maris. Ibi fomes est errorum, & sedes idololatriæ. Prædicantes itaq; verbum Dei cum omni fiducia, omnem illã insulam lucrati sunt, vbi etiam oratorium fundauerunt in honorem Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi, & in commemorationem sancti Viti, qui est Patronus Corueiæ. Postquam autem, permittente Deo, mutatis rebus, Rani à fide defecerunt, statim pulsis Sacerdotibus atque Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem ac seruum Christi confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturã anteponentes creatori. Nec est aliqua barbaries sub cœlo, quæ Christicolas ac sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur, cui etiam templum ac simulacrum amplissimo cultu dedicauerunt, illi primatum deitatis specialiter attribuentes. De omnibus quoque prouinciis Slauorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones. Sed nec mercatoribus, qui fortè ad illas sedes appulerint, patet vlla facultas vendendi vel emendi, nisi prius de mercibus suis deo ipsorum preciosa quæque libauerint, & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem suum non minus quàm regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primò fidei renunciauerunt, hæc superstitio apud Ranos perseuerat vsque in hodiernum diem.

## CAPVT VII.

*Normanorũ copia è quibus gentib. collecta.* — *Eorundẽ in Gallias & Germaniã irruptio.* — *Lutetia Parisiorum.* — *Carol. Rex.* — *Normania.* — *Ludouicus Germanic⁹.* — *A morte ei⁹ motus in Slauis.* — †D. Ansi. — *Bruno Dux Saxoniæ, eiusq; interitus.* — *Traiectum* — *Colonia* — *Treuiri.* — *Megũtia instaurata.* — *Carol. Crassus Cæsar.* — *Intẽpestiua eius clementia.* — *D.Sui.

SAnè populis Slauorum & cæteris gentibus fide imbuendis, graue ab initio præbuit impedimentum ea bellorum tempestas, quę Nortmannis tumultuantibus in toto penè desęuiit orbe. Porrò Nortmannorum exercitus collectus fuit de fortissimis Danorum, Sueonum, Norueorum, qui tunc fortè sub vno principatu constituti, primo omnium Slauos, qui præ manibus erant, miserunt sub tributum, deinde cætera finitima regna, terra marique vexabant. Quibus sanè non parum addiderat virium, ea Romani imperij diminutio, qua, vt suprà dictum est, post tempora senioris Ludouici, prius quidem intestinis bellis exhaustum, postea in quatuor diuisum portiones, totidẽ gubernabatur regulis. Constat ergo, isto tempore Nortmannos per Ligerim Turones succendisse, per Sequanam Parisios obsedisse, Carolum regem timore compulsum, terram eis dedisse ad habitandum, quæ à Nortmannis possessa, Nortmanniæ nomẽ accepit. Deinde Lotharingia vastata, & subacta est Fresia. Noster autem Ludouicus, Rex scilicet Germaniæ, Nortmannos fœderibus siue prælijs hoc modo retinuit, vt cùm Franciam totam vastauerint, regno eius vel minimè nocuerint. Post cuius mortem, effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boemi, Sorabi, † Susi, & cæteri Slaui, quos ipse tributis subiecerat, tunc seruitutis iugum excusserunt. Tunc etiam Saxonia vastata est à Nortmannis siue Danis. Bruno Dux occisus cum duodecim Comitibus: Theodoricus & Marquardus Episcopi obtruncati. Tunc Fresia depopulata est: Traiectum ciuitas excisa. Tunc piratæ Coloniam & Treuiros incenderunt, Aquisgrani palatium stabulum equis suis fecerunt, Maguncia propter metum barbarorum instaurari cœpit. Carolus adolescens, filius Ludouici, ipso tempore Roma rediens cum grandi exercitu, Nortmannos iuxta Mosam fluuium apprehendit. Quos obsidione coarctans, quintodecimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo tyrannos Danorum, non ea qua decuit hostes Dei seueritate vltus est, sed ad * diuturnam deiectionem & grauem Ecclesiæ ruinam parcens impijs, accepto ab eis iureiurando, & fœderis conditione, amplissimè donatos ab se abire permisit. At illi regis adolescentis inertiam irridentes, vbi noxia libertate potiti sunt, rursum in vnũ conglobati, tantas strages dederunt, vt crudelitas modum excesserit. Quid multa? vrbes cum ciuibus, episcopi cum toto grege simul obruti sunt, Ecclesiæ illustres cum fidelium caterua simul incensæ sunt. Quamobrem Carolus accusatus in curia, & ob stulticiam regno depositus, Arnolphũ germani sui filium accepit successorem. Qui congregato exercitu, fines adijt Danorum, eósque multis grauibúsque prælijs ad internecionem vsq; deleuit. Bellum cœlitus administratum, siquidem centum

*Exauctoratio.* — *Arnolphus, Caroli Crassi successor.* — *πόλεμος ἀδακρυς.*

millibus

millibus paganorum prostratis in bello, vix vnus de Christianis cecidisse repertus est. Et ita extincta est persecutio Northmannorũ, Domino vindicante sanguinẽ seruorũ suorum, qui iam per annos septuaginta effusus est. Hæc autem acta sunt tempore Adelgarij archiepiscopi, qui fuit successor beati Reimberti, & tertius à beato Anscario. Defuncto Adelgario, successit ei Hogerus in Cathedrã; post hũc Reinwardus. In regum quoq; successione post Arnulphum regnauit Ludouicus puer. In isto Ludouico, Magni Caroli finitur prosapia. Hic postmodum regno depositus, Conradum Francorum ducem habuit successorem.

*Series Archiepiscop. Hamburgẽsium.* *Lud. Cæs. vltimus è Caroli M. prosapia.* *Conradus I. Cæsar.*

## CAPVT VIII.

ITaque regnante Conrado, orta est Vngarorum grauis irruptio, qui non solùm nostram Saxoniam, aliásq; cis Rhenum prouincias, verumetiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti sunt. Tunc incensis Ecclesijs, cruces à barbaris truncatæ & ludibrio habitæ, sacerdotes ante altaria trucidati, clerus vulgo mixtus, aut interfectus, aut in captiuitatem ductus, cuius signa furoris, ad nostrã durauerunt ætatem. Dani quoq; Slauos auxilio habentes, primò Nordalbingos, deinde Transalbinos Saxones vastantes, magno Saxoniam terrore quassabant. Apud Danos eo tẽpore Worm regnauit, crudelissimus inquã vermis, & Christianis non mediocriter infestus. Ille Christianitatẽ, quę in Dania fuit, prorsus demoliri molitus, sacerdotes à finibus suis depulit, plurimos etiam per tormenta necauit. At verò Henricus *, successor Conradi, iam tunc à puero timens Dominum, & in eius misericordia omnem ponens fiduciam, Vngaros maximis prælijs vicit & triumphauit, Boemos & Sorabos, ab aliis regibus edomitos, & cæteros Slauorũ populos, vno grandi prælio ita percussit, vt cæteri, qui perpauci remanserant, & Regi tributũ, & Deo Christianitatẽ vltrò promitterẽt. Deinde Daniã cũ exercitu ingressus, Worm regẽ primo impetu adeò perterruit, vt imperata se facere mãdaret, & pacẽ supplex deposceret. Sic Henricus rex victor, apud Sleswich, quæ † tũc Heidebo dicitur, regni terminos ponẽs, ibi & Marchionem statuit, & Saxonũ coloniam habitare præcepit. Videns ergo sanctissimus Archiepiscopus Vnni, qui Reinwardo successit in cathedram, misericordia Dei nostri, & virtute Regis Henrici, Danorũ, Slauorúmque pertinaciam esse edomitam, ostiumq; fidei in gentibus apertũ esse, omnẽ suæ diœcesis latitudinem elegit per seipsum circuire. Multis ergo religiosis comitatus, peruenit ad Danos, vbi tũc crudelissimus Worm regnauit. Et illũ quidem pro ingenita flectere nequiuit sæuitia, filium aũt Haroldum cõuertit, & fidelem Christo perfecit, ita vt Christianitatem, quam pater eius semper odio habuit, ipse seruari publicè permiserit, quamuis ipsemet Baptismi Sacramentũ nondũ perceperit. Ordinatis itaq; in regno Danorũ per singulas Ecclesias sacerdotibus, sanctus Dei multitudinem credentium commẽdasse fertur Haroldo, cuius etiam fultus adiutorio & legato, omnes insulas Danorum penetrauit, euangelizans verbum Dei, & fideles quos inuenit illic captiuos, in Christo confortans.

*Vngarorum in Germaniam et Galliã irruptio.* *Danorũ & Slauorum in Saxoniã.* *Gormo Rex Danorum.* *P. Rex. Hẽricus Auceps eiusq; de Vngaris, Slauis et Danis victoria.* *Gormo debellatus.* *Slesuici nomen pristinum, Marchia, colonia è Saxonib.* *† P. nunc.* *Vnni Archiepiscopus, Slauorum, Danorũ & Suecorum Euangelista.* *Haroldus, F. Gormonis, Christian⁹, nominisque Christiani protector.*

Deinde vestigia secutus magni prædicatoris Anscarii, remigãs mare Balticum, non sine labore peruenit ad Byrcam, principalem Suediæ ciuitatem, quò iam post obitum sancti Anscarii, nemo doctorum annis septuaginta venire ausus est, præter solum, vt legimus, Reimbertum. Est autem Byrca oppidum Gothorum celeberrimum, in medio Suediæ positum, quod tractus quidam Baltici maris alluit, reddens portum optabilem, quo omnes Danorum, Noruecorum, itemq; Slauorũ ac Semborum naues, aliiq; Scythiæ populi pro diuersis commerciorum necessitatibus, solenniter conuenire solent. In eo ergo portu, confessor Domini egressus, insolita populos appellare cœpit legatione. Quippe Sueones & Gotthi propter varia temporum pericula, & regum cruentam feritatem, Christianæ religionis penitus obliti fuerant. Sed fauente gratia Dei, à sancto patre Vnni, denuò ad fidem reuocati sunt. Perfecto ergo legationis suæ ministerio, cùm iam redire disponeret Euangelista Dei, ægritudine correptus, apud Byrcam fessi corporis sarcinã deposuit. Obijt autem peracto boni certaminis cursu, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo, tricesimosexto. Cui successit in Cathedra venerabilis Adheldagus.

*Episcopi olim Ecclesiæ Doctores nõ satrapæ aut Ductores bellici.* *Byrca.* *Sueci & Gotthi ad Christianismũ reducti.* *Mors Vnni.* *Atheldag⁹ Vnni successor.*

## CAPVT IX.

*Henrici Aucupis mors. Otho Magnus. Dani in armis. Slesuicum euersum. Slaui rebelles. Othonis M. expeditio in Danos. Victoria. †D. regredienti. Pacificatio cum hoste. Haroldus Rex Christianismo initiatus. Gunilda Regina. Suein Otto. Daniæ Episcopatus subiecti Hamburgensi.*

EOdem quoq; anno contigit gloriosum Imperatorē Henricum migrare de hac vita, & constitutus est in regnum filius eius Otto, cognomento Magnus. Qui cùm regnare cœpisset, multas perpessus est iniurias à fratribus suis. Rex quoq; Danorum, qui patri eius fuit tributarius, reiecto seruitutis iugo, arma corripuit pro libertate. Et primo omnium, Marchionem qui erat apud Sleswich, quæ alio nomine Heidebo dicitur, cum legatis Regis Ottonis obtruncauit, omnem Saxonum coloniam quę ibidem erat funditus extinguens. Slaui etiam nouas res affectantes, nihilominus rebellare moliti sunt, multis terroribus Saxonum confinia pulsantes. Rex ergo Otto, diuino fultus auxilio, vbi primum de insidijs fratrum suorum liberatus est, fecit iudicium & iustitiam populo suo. Deinde postquam omnia penè regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo subiugauit imperio, in Danos arma corripuit. Transgressus ergo cum exercitu fines Danorum, qui olim fuerant apud Sleswich, ferro & igne vastauit omnem regionem vsq; ad mare nouissimum, quod Nortmannos dirimit à Danis, & vsque in præsentem diem à victoria regis Ottensund dicitur. Cui † ingredienti, Haroldus rex, apud Sleswich bellum intulit, in quo vtrisque viriliter concertantibus, Saxones victoria potiti sunt, & Dani terga vertentes ad naues cesserunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni subijcitur, & ab eo regnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit. Nec mora, baptizatus est ipse Haroldus cum vxore sua Gunnild, & filio paruulo, quem rex noster à sacro fonte susceptum, Suein Otto appellauit. Eo tempore Dania plenariè recepit fidem, & diuisa in tres episcopatus, Hammenburgensi metropoli subiecta est. Igitur beatissimus Adheldagus, primus ordinauit episcopos in Daniam, & ex eo tempore Hammenburgensis Ecclesia cœpit habere suffraganeos. Et hæc quidem initia cœlestis misericordiæ, secutum est tale incrementum, vt ab illo tempore vsq; in hodiernum diem Ecclesiæ Danorum multiplici borealium gentium fructu redundare videantur.

*Slaui ab Othone victi tributo & Christianismo pacem redimunt.*

His ritè peractis in Dania, fortissimus Otto Rex conuertit exercitum ad subiugandos Slauorum rebęlles, quos pater eius vno grandi bello domuerat, ipse tanta deinceps virtute constrinxit, vt tributum & Christianitatem, pro vita simul & patria, libenter offerrent victori, baptizatúsque est totus gentilium populus: Ecclesiæ in Slauonia tunc primum constructæ. De quibus rebus suo loco vt gesta sunt opportunius aliqua scribenda sunt.

## CAPVT X.

*Otho M. in Italiam euocatus. Saxonia à Caroli M. tēporib. Duce caruit. Hermanus Billingus Othonis per Saxon. legatus. †D. hortulanis. Eiusdē incrementa.*

POst hæc autem cùm rex victoriosissimus Otto, ad liberandam sedem Apostolicam vocaretur in Italiam, consilium fertur habuisse, quem post se vicarium potestatis relinqueret, ad faciendam iustitiam in his partibus, quæ barbaris confines sunt terminis. Nondum enim post tempora Caroli, propter veteres illius gentis seditiones, Saxonia ducem acceperat nisi Cæsarem. Ne ergo in regis absentia Dani, siue Slaui, noui aliquid molirentur, Rex necessitate persuasus, Hermanno primum tutelæ vicem in Saxonia commisit. De quo viro, & progenie viri, quoniam nostris temporibus multum inualuerunt, aliqua commemorare necessarium duxi. Vir iste, pauperibus ortus natalibus, primo, vt aiunt, septem mansis, totidémque † manentibus, ex hæreditate patrum fuit contentus. Deinde, quòd erat acris ingenij, decorisq; formæ, tum pro merito fidei & humilitatis, quam dominis & paribus exhibuit, facilè notus in palatio, ad familiaritatem ipsius regis peruenit, qui comperta iuuenis industria, suscepit eum in numero ministrorum, deinde nutricium esse præcepit filiorum: mox etiam succedentibus prosperis, commisit ei vices prefectorum, in quibus officijs strenuè administratis, dicitur manentes suos pro furto in iudicio delatos, data sententia simul omnes damnasse ad mortem. Cuius nouitate facinoris, & tunc carus in populo, & clarissimus deinceps factus est in palatio.

*Creatur Dux Saxoniæ. Othonis in Italiam expeditio.*

Postquam verò ducatum Saxoniæ meruit, iudicio & iustitia gubernauit prouinciam, & in defensione Ecclesiarum sanctarum studiosus permansit vsq; in finem.

Igitur tali viro pijssimus Rex vicem suam in hac regione commendās, in Italiam discessit.

discessit. Vbi rex habito concilio Episcoporum, Ioannem Papam, cui Octauianus cognomẽtum erat, multis accusatum criminibus deponi fecit, quamuis absentem: nam fuga iudicium subterfugerat, & in locum eius Protum Leonem ordinari fecit, à quo ipse mox coronatus, Imperator Augustus à Pop. Romano consalutatus est, anno regni eius XXVIII. post coronatum Romæ Carolum, centum quinquaginta tres anni fluxerunt. Eo tempore Imperator cum filio quinquennium in Italia commoratus, filios Berengarii debellauit, Romámq; pristinæ reddidit libertati. Reuersus ergo in patriam, omne studium intorsit ad gentium vocationem, præcipuè verò Slauorum, quod etiam pro sententia eius ita euenit, Deo cooperante, & piissimi regis dextram in omnibus corroborante.

*Ioannes XIII. Papa exauctoratus.*
*Leo VIII.*
*Roma ab Othone M. libertate donata.*

## CAPVT XI.

SVbactis autem, Christianæq; fidei copulatis Slauorum gentibus, magnus Otto inclytam vrbem Magdeburg, super ripas Albiæ fluminis condidit, quam Slauis metropolin statuens, Adelbertum summę sanctitatis virum, ibidem consecrari fecit Archiepiscopum. Is primus in Magdeburg ordinatus, duodecim annis strenuè pontificatum administrauit, multósque Slauorum populos illic prædicando conuertit. Cuius ordinatio facta est anno Imperatoris XXXV. & sunt anni post ordinationem sancti Anscarii CXXXVII. Magdeburgensi autem episcopatui subiecta est tota Slauia, vsque ad Panim fluuium: episcopatus suffraganei quinq;, quorum Merseburg & Cicen, super Salam fluuium *, Misna verò super Albiam, Brandenburg & Hauelberg interius vadunt. Sextus episcopatus Slauiæ est Aldenburg. Hunc episcopatum, sicut & cæteros, Imperator Otto, Magdenburgensi primum subijcere decreuerat, quem tamen postmodum Adheldagus Hammenburgensis Episcopus requisiuit, eo quòd terminus suæ Ecclesię antiquis Imperatorum priuilegiis esset circumscriptus.

*Magdeburgũ Slauorũ metropolis.*
*Adelbertus Archiepisc. Magdeburg.*
*Slauorũ Antistites Magdeburg. suffraganei.*
**P. conditę.*
*Ateldagus Hamburg.*

## CAPVT XII.

EStautem Aldenburg ea, quæ Slauica lingua Starigard, hoc est, antiqua ciuitas dicitur, sita in terra Wagirorũ, in occiduis partib. Baltici maris, & est terminus Slauię. Hæc aũt ciuitas siue prouincia fortissimis quódã incolebatur viris, eo quòd in fronte totius Slauiæ posita, contiguos haberet Danorũ siue Saxonum populos, & omnes bellorũ motus ipsi aut primi inferrent, aut aliis inferentibus exciperent. Tales autem in eis quandoque reguli fuisse probantur, qui omni Obotritorum, siue Kycinorum, & eorum qui longè remotiores sunt, dominio fuerint potiti. Conclusa ergo atque subneruata, vt suprà dictum est, omni Slauorum prouincia, vrbs nihilominus Aldenburg ad fidem conuersa est, & facta est numero fidelium copiosissima. Huic vrbi præcellentissimus Cęsar pontificẽ dederat venerabilẽ virum Marconem, subdens ei omnẽ Obotritorum prouinciam, vsq; ad Penem fluuium, & vrbem Dimine: præterea ciuitatẽ opimatissimã Sleswich, quę alio nomine Heidibo dicitur, eiusdẽ curæ delegauit. Eo enim tempore Sleswich cũ prouincia adiacente, quę scilicet à lacu Slya, ad Egdorã fluuium protenditur, Romano imperio subiacebat, habens terrã spaciosam & frugibus fertilem, sed maximè desertam, eo quòd inter Oceanum & Balticum mare sita crebris insidiarũ iacturis attereretur. Postquam aũt misericordia Dei, & virtute magni Ottonis matura pax omnia possedit, cœperũt habitari deserta Wagricæ & Sleswicensis prouinciæ, nec vllus iam angulus relictus fuerat, qui non esset conspicuus vrbibus & vicis, plerisq; etiã monasteriis. Adhuc restãt antiquę illius habitationis pleraq; indicia, præcipuè in sylua quæ ab vrbe Lucilinburg per lõgissimos tractus, Sleswich vsq; protrahitur, cuius vasta solitudo & vix penetrabilis inter maxima syluarũ robora, sulcos prætendit, quib. iugera quondã fuerãt dispertita: vrbiũ quoq; seu ciuitatum formã, structura vallorũ prætẽdit: in plerisq; etiã riuis qui propter molendina stipãdis aquis aggeres congesti sunt, ostendunt omnẽ illum saltũ à Saxonibus quondã inhabitatum. Primus ergo, vt dixi, huic nouellæ plãtationi episc. Marco præfuit, qui populos Wagirorũ siue Obotritorũ sacro baptismatis fonte lauit. Quo defuncto Sleswich sin-

*Aldenburg. Slauis Stargard.*
*Marco primus Aldeburg. antistes.*
*Slesuicum. Slya.*
*Lucilinburg.*
*Episcopatus Slesuicensis primordia.*

*Eduardus, Marconis successor.* †D.Eckvvardus.

gulari Pontifice honorata est. Aldenburgensem sedem suscepit regendam venerabilis vir † Edwardus, qui multos Slauorum conuertit ad Dominum. Ordinatus est à sancto Adeldago, Hammenburgensi Archiepiscopo. Creuit autem populus fidelium, nec fuit aliquid quod nouellæ ecclesiæ aduersaretur omni tempore Ottonum. Horum tres fuisse comperi, omnes pari deuotione erga Slauorum vocationem affectos. Et repleta est omnis Wagirorum, Obotritorum, siue Kycinorum prouincia, Ecclesiis, Sacerdotibus, Monachis, & Deo dicatis virginibus. Porro Aldenburgensis ecclesia dedicata fuit in commemoratione sancti Ioannis Baptistæ, existens honore matricis Ecclesiæ insignis. Mikelinburgensis verò ecclesia fuit constructa in honore Principis Apostolorum Petri, continens monasterium Virginum. Fuerunt præterea Aldenburgenses Pontifices admodum honorabiles erga regulos Slauorum, eo quòd munificentia magni Principis Ottonis cumulati essent temporalium rerum affluentia, vnde possent copiosè largiri, & fauorem sibi populi consciscere. Dabatur autem Pontifici annuum de omni Wagirorum siue Obotritorum terra tributum, quod scilicet pro decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, & quadraginta resticuli lini, & duodecim nūmi puri argenti. Ad hæc vnus nummus, precium colligentis. Slauicum verò aratrum, par boum, aut vnus conficit equus. De vrbibus verò, aut prędiis, aut curtium numero, quę ad possessionem Pontificis pertinebant, non est huius operis explanare, eo quòd vetera in obliuionem venerint, & ecce noua sunt omnia.

*Episcopi Aldeburgici in Slauis honores.*

*Reditus.*

## CAPVT XIII.

*Mors Othonis M.*

*Otho II.*

*Otho III.*

Anno ergo regni sui 38. Imperii 11. magnus Princeps Otto, domitor omnium septentrionis nationum, fœliciter migrauit ad Dominum, & sepultus est in ciuitate sua Magdeburg. Cui filius Otto medianus succedens, per x. annos strenuè gubernauit imperium. Is statim Lothario & Carolo Francorum regibus subactis, cùm in Calabriam bellū transferret, à Sarracenis, & Græcis, victor, & victus, apud Romam decessit. Illi tertius Otto, cùm adhuc esset puer, in regnum substitutus, annos decem & octo, forti & iusto sceptrum ornauit imperio.

† anno. *Mors Hermāni Ducis Saxoniæ.* *Benno, Hermanni F. & successor.* *Wago terti' Aldeburg. antistes.* *Billug Obotritus.*

Eodem † tempore Hermānus Dux Saxonum obiens, hæredem suscepit filium Bennonem, qui etiam vir bonus & fortis memoratur, excepto quòd degenerans à patre populum rapina grauauit. Apud Aldenburg defuncto Edwardo, successit Wago. Hic in summa prosperitate inter Slauos degens, sororē fertur habuisse speciosam, quàm appetiit regulus Obotritorum, nomine Billug. Cumque allegationibus crebris Pontificem super hoc negotio conuenisset, quidam familiarium Episcopi, petitionem incauta verborum iniuria repleuerunt, dicentes, iniustum esse pulcherrimam virginem inculto & agresti viro copulare. Quam ille contumeliam dissimulatione repressit, & amoris stimulo concitatus, preces iterare non destitit. Timens autem Episcopus, ne Ecclesiæ nouellæ, grauius aliquid exinde emergeret, postulationi eius fauore concurrit, data ei sorore sua in coniugio. Procreauit autem ex ea filiam, nomine Hodicam, quam Pontifex auunculus eius, monasterio virginum contraditam, & sacris literis edoctam, Abbatissam præfecit virginibus, quæ degebant Mikilinburg, cùm tamen necdum peruenisset ad annos. Quod vtique frater eius Missizla ægrè tulit, odio, licet occulto, concitatus Christianæ religionis, timens etiam, ne hoc exemplo peregrinus mos illis in partibus inolesceret. Patrem autem frequenter coarguit, quasi qui mente alienatus, superuacuas diligeret adinuentiones, nec timeret patriis derogare legibus, prius quidem ducens vxorem Teutonicam, deinde filiam suam monasticæ clausuræ contradens. Cumque his verbis patrem sæpius exacueret, ille cœpit sensim flecti animo, iamque cogitare de acceptæ coniugis repudio, & de mutatione rerum. Sed conatus eius timor repressit, eo quòd grauium causarum introitus semper sint difficiles, virtus quoque Saxonum admodum esset formidabilis. Necesse enim fuit, repudiata sorore Pontificis, & diuinis rebus pessundatis, statim ad bella veniri.

*Hodica Billugi F.*

*Micislaus religionis & nominis Germanici hostis.*

CAPVT

## CAPVT XIIII.

*Mekelenburg.*

*Billugi insidiosa machinatio.*

QVadam ergo die cõtigit Pontificem venire in ciuitatẽ Obotritorum Mikilinburg, visitationis gratia, quo etiam Billug cũ primoribus occurrerat, exceptu rus eũ simulata deuotione. Episcopũ itaq; publicis causis intentũ, sæpedictus Obotritorũ regulus palàm alloquitur, Magnas pietati tuæ, pater venerabilis, debeo gratulationes, licet me ad has exoluẽdas nequaquã sufficere, ipse recognoscã. Priuata enim beneficia, quæ mihi impẽdisti, quia multiplicia sunt, & ꝓlixo sermone egẽt, ad præsens differo. Generale aũt totius Prouinciæ bonũ cõmemorare compellor. Solicitudo enim tua super Ecclesiarũ instauratione, & animarũ salute, omnib. manifesta est: Sed nec latet, quantas principũ offensas tua prouidentia fregisti, vt cum pace & tranquillitate in gratia principum consistere possimus. Honori ergo tuo, si postulati fuerimus, & nos, & nostra incunctãter impendemus. Petitionẽ aũt paruulã apud te deponere nõ dubito: ne cõfundas faciẽ meam. Est apud Obotritos Pontificale tributũ, quod pro decima imputatur, de quolibet scilicet aratro, quod duobus bobus, aut vno cõstat equo, mensura grani, & XL. restes lini, & XII. nũmi probatę monetę: præterea vnus nũmus, qui debetur colligenti. Hoc me rogo permittas colligere, deputandũ stipendiis neptis tuæ, filiæ scilicet meę. Quod ne forte ad tui iniuriã, & annonę diminutionẽ rogare videar, adijcio possessioni tuę in singulis vrbib. quę sunt in terra Obotritorum, villas quas ipse elegeris, exceptis his, quę ad ius Pontificale, imperatoria iã dudũ concessione peruenerũt. Pontifex ergo, non aduertẽs callidissimi hominis dolũ, verborũ coloribus adumbratũ, reputans etiã, nihil sibi officere cõcãbium, sine mora petitioni eius annuit: ipse quidẽ villas amplissimę possessionis accepit, tributũ verò quod suprà memoraui, affini suo ad manus filiæ ipsius colligendũ resignauit: aliquandiu etiã apud Obotritos cõmoratus, prædia colonis exercẽda distribuit, ordinatisq; omnib. in terrã Wagirorũ reuersus est. Ibi enim statio opportunior fuit, & extra pericula posita, eo quòd Slauorũ animi naturaliter sint infidi, & ad malum proni, cóq; cauendi. Habuítque præter alias, curtes duas nobiles, apud quas sæpius Pontifex diuersatus est, vnam in villa publica, quæ dicitur Buzu, alteram super fluuiũ Trabennam, in loco qui dicitur † Nezenna, vbi etiã fuit oratorium, & caminata murato opere facta, cuius fundamenta ego adolescentulus vidi, eo quòd nõ fuerint longè à radice montis, quem antiqui † Edberg, moderni propter castellum impositum Sigeberg appellant. Post multos ergo dies cũ Pontifex Wago, aliàs occupatus, terrã Obotritorũ rarius inuiseret, supradictus Billug, vnà cũ filio suo Missizla, opportunitatẽ nactus, dolũ, quẽ erga Dominum & Pastorẽ suũ cõceperat, paulatim detexit, cœpitq; possessiones Episcopales, quas sibi vt fideli & affini suo tuẽdas Episc. cõmendauerat, occultis vastare latrociniis, & sub intromittere seruos suos, qui colonis equos & cæteras substãtias furtim auferrent. Conatus illius ad id vsq; ꝓcessit, vt Episcopũ sicut decimarũ iure, sic possessionib. exueret, perturbatoq; capite, cultus Dei facilius pateret exterminio. Tandẽ ergo Pontifex veniens in prouinciã Obotritorũ, ibiq; habita cũ colonis inquisitione, deprehendit ad liquidũ, quorũ machinamẽtis tanta possessioni suę immitterẽtur latrocinia. Permotus itaq;, quod non mirũ, stupore simul & timore, eo quòd atrocissimos insidiatores inuenisset eos, quos putabat amicissimos, iãq; præsentis nouellæ plantationis defectionẽ timẽs, multũ cœpit fluctuare animo. Recurrens aũt ad id, quod pro tẽpore tutius videbatur consilium, tentare cœpit, si fortè verbis suasibilib. mederi posset morbo paulatim subrepẽti, multisq; affinẽ blandiciis mulcere cœpit, vt à cœptis desisteret, néve possessiones Ecclesiasticas prædonib. depascẽdas exponeret, prouenturã sibi, si nõ resipuerit, non solũ offensam diuinitatis, sed & maiestatis imperatorię. Ille obiectionib. dolos pręstruens, respondet, nunquã se erga dominũ & patrẽ suum, tantã admisisse impusturã, erga quẽ animũ habuerit optimè semper affectũ: si quid aũt factũ fuisset, latronum hoc insidiis contigisse, qui de Ranis siue Wilzis commeantes, fortè nec suis parcerent: se quidẽ ad hos cohibendos, cõsilio & auxilio libenter affuturum. Facilè ergo persuasum est simplici viro, cõcepta opinione desistere. Postquã aũt accepta satisfactione Pontifex abscessit, illi statim rupta pollicitatione ad cœpta deuoluti sunt flagitia, furtisq; villarum incendia copu-

*Slaui perfidiosi.*

*Buzu.*

† P. Nezetina.

*Nezenna.*

† P. Eilberg, D. Eilburg.

*Sigeberg.*

*Billugi & Micislai F. in possessiones Ecclesiasticas occulta excursiones.*

*Wagonis moderatio.*

*Veteratoria Billugi dissimulatio.*

*Malicia barbarica.*

*Diuortium cum vxore Germanica.*

*Benno.*

lauerunt. Præterea colonis omnibus, qui ad ius Epiſcopi pertinebant, niſi quantocyus prædia desererent, mortem interminati ſunt. Sicq; poſſeſſiones illas in breui deſolatio cōſecuta eſt. Acceſſit his malis, quod idē Billug matrimonii ſui iura corrupit, repudiata ſcilicet ſorore Pontificis. Fuit hæc cauſa inimicitiarū præcipua occaſio, cœperūntq; res Eccleſiaſticæ paulatim titubare, nec fuit vnde ſtatus nouellæ eccleſiæ ad plenum poſſet conualeſcere, eo quòd magnus Otto iampridem præſenti vita deceſſiſſet, medius quoq;, necnon & tertius Otto bellis Italicis eſſent occupati: & ob hanc cauſam Slaui temporis opportunitate freti, non ſolùm diuinis legibus, ſed & imperatoriis iuſſis, cœpiſſent paulatim obniti. Solus Saxoniæ Dux Benno, aliquam dominationis vmbram, licet tenuem, prætendere videbatur, cuius reſpectu Slauorum impetus retardati ſunt, ne aut fidei Chriſtianæ renunciarent, aut arma corriperent.

*Ezico, Wagonis ſucceſſor.*

*Series antiſtitum.*

*Adamus Hiſtoricus.*

*† P. ſermone.*

Wagone ergo facto de medio, Ezico ſucceſſit in Cathedram. Iſte ſuſcepit ordinationem à ſanctiſſimo Adeldago, Hammēburgenſi Archiepiſcopo. Quatuor ergo Pontifices ante excidium Aldenburgenſis Eccleſię extitiſſe comperimus, videlicet, Marconem, Edwardum, Wagonem, & Eziconem, quorum tempore Slaui in fide perſtiterunt, Eccleſiæ in Slauia vbiq; erectæ ſunt, monaſteria virorum & mulierum Deo ſeruientium conſtructa ſunt plurima. Teſtis eſt Magiſter Adam, qui geſta Hammenburgenſis Eccleſiæ Pontificum, diſertiſſimo † ſtylo conſcripſit, qui cùm commemoret, Slauiam in duo de viginti pagos diſpertitam, affirmat præter tres, omnes ad fidem Chriſti conuerſos.

## CAPVT XV.

*Boleslaus Chrobrus Rex Polon.*

*Reliquiæ Adalberti Epiſc. in Poloniam trāſlatæ.*

*Micislaus, Naccon, Sederich, Slauorum Winithorū dynaſtæ.*

*Micislaus, occultè Ethnicus.*

*Hodica.*

*Monaſteriū Megalburg. deſolatum.*

*Sueni Ottonis in patrē impietas.*

*Haroldi regis elogium.*

EOdē quoq; tempore Bolizlaus, Polonorū Chriſtianiſſimus rex, confœderatus cū Ottone tertio, omnē Slauiam, quæ eſt vltra Odoram, tributis ſubiecit, ſed & Ruſſiā, & Pruſſos, à quib. paſſus eſt Adelbertus Epiſc. cuius reliquias tūc Bolizlaus tranſtulit in Poloniam. Principes Slauorū, qui Winuli ſiue Winithi dicuntur, fuerunt eo tēpore, Miſizla, Naccon, & Sederich, ſub quib. pax cōtinua fuit, & Slaui ſub tributo ſeruierunt. Nec prętereundum videtur, quòd idē Miſizlaus, Obotritorum Princeps, Chriſtum palàm cōfitens, ſed clā perſequens, ſororē ſuam, Deo dicatam virginē Hodicam, monaſterio virginum, quod erat Mikilinburg, ſubtraxit, eamq; cuidā Boliſlao, inceſtiſſimo ſociauit coniugio: Cęteras virgines quę ibidē repertæ ſunt, aut militib. ſuis nuptum tradidit, aut ad terrā Wilzorum ſiue Ranorum tranſmiſit, ſicq; monaſterium illud deſolatio conſecuta eſt. Siquidē in diebus illis, permittente Deo, propter peccata hominū, perturbata eſt apud Danos & Slauos trāquillitas, & pulchris diuinæ religionis incrementis, inimicus homo ſuperſeminare zizania conatus eſt. Apud Danos enim Sueinotto, filius Chriſtianiſſimi regis Haroldi, diabolico ſpiritu inflāmatus, multas aduerſus patrē molitus eſt inſidias, cupiens eum quaſi longæuum, & minus validum, regno priuare, & opus diuinę plantationis de finibus Danorum penitus exterminare. Haroldus autem, vt ſuprà dictum eſt, primum quidē gentilis, deinde magni patris Vnni doctrina ad fidē Chriſti conuerſus, tanta ſe erga Dominum deuotione exercuit, vt non ſurrexerit ſimilis ei inter omnes reges Danorum, qui tantā Aquilonis latitudinem, ad fidē diuinæ cognitionis traxerit, & omnē terram Eccleſiis & Sacerdotibus fecerit eſſe inſignem. Huius viri induſtria, in diuinis quidē rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundana ſapientia, in his videlicet quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, vt leges & iura ſtatuerit, quæ pro authoritate viri, non ſolùm Dani, ſed & Saxones adhuc hodie ſeruare contendunt. Concitantibus ergo his, qui Deo ſeruire & pace regi detractabant, Dani vnanimi conſpiratione Chriſtianitatem abdicant, & ſtatuentes impium Suein in regnum, patri eius Haroldo bellum indicunt. Qui licet ab initio regni ſui ſemper ſpem ſuam in Deo poſuerit, vel tunc maximè Domino commendauit euentum rei, non tam dolens ſua pericula, quàm filii delictum, & Eccleſię anguſtias. Cernens † enim tumultum non poſſe ſedari ſine prælio, arma ſumpſit inuitus, adhortantibus his qui Domino & regi ſuo fidem inuiolatam exhibere nitebantur. Ventum eſt ergo ad bellum, in quo conflictu victa eſt pars Haroldi, ceciderúntque vulnerati multi. Ipſe verò Haroldus grauiter ſauciatus

*Leges, æque à Saxonibus atq; Danis obſeruatæ.*

*Bellū ciuile inter Haroldum & Suenonem.*

*† P. autem.*

*Clades Haroldi & fuga.*

ciatus fugit ex acie, ascensaq; naui elapsus est ad ciuitatem opinatissimam Slauorum, nomine Winnetam. Vbi præter spem, quia barbari erant, humanè receptus, post aliquot dies ex eodem vulnere deficiens, in Christi confessione migrauit, adscribendus non solùm inter Deo dignos reges, sed etiam inter gloriosos martyres. Regnauit autem annis quinquaginta. Quo defuncto, Suein regno potitus, in sua crudelitate sæuire cœpit, grauissimam in Christianos persecutionẽ exercens. Consurrexerúntque omnes iniqui in finibus Aquilonis, gaudentes vel tunc patere locum maliciæ suæ, bellis scilicet & perturbationibus, cœperúntque finitima regna vexare terra mariq;. Primum ergo conflato nauali exercitu, remigantes mare Britannicum breui compendio, appulerunt littoribus Albiæ fluminis, vbi improuisi irruẽtes super quietos & improuidos, vastarũt omnia maritima Hathelen, omnẽq; terram Saxonum, quæ erat super ripas Albię fluminis, quousque peruenirent Stadium, quod est opportuna statio nauium per Albiam descendentium. Quo tristi rumore velociter comperto, Comes Sigefridus, & Thidericus, cæteriq; nobiles, ad quos prouinciæ tutela pertinebat, ruerunt obuiam barbaris, cùm tamen essent perpauci, constricti temporis articulo, exceperúntque hostes in memorato portu Stadii. Facta est ergo pugna vehemẽtissima, in qua superãtibus Danis, virtus Saxonum penitus est attrita. Comites ambo, cæteriq; nobiles & militares viri, qui interfectioni superfuerãt, vincti & catenati ad naues perducti sunt. Comes Sigefridus, auxilio cuiusdam piscatoris, noctu profugit, & euasit captionem. Quamobrẽ barbari furore correpti, omnes quos habebant in vinculis nobiliores, truncauerũt manibus & pedibus, & nare præcisa ad terram semianimes proiecerũt. Deinde quod residuum fuit prouincię illius, impune prędati sunt. Altera pars piratarum, quæ per Wirraham subuecta, omnem illius fluminis ripam vsq; † Lestmonam vastauerat, cum maxima captiuorum multitudine peruenerunt ad paludem Glindesmor. Vbi cùm quendam Saxonem militem captiuum facerent ducem itineris, ille perduxit eos ad loca difficiliora paludis, in qua illi diu fatigati, facilè à Saxonibus qui insecuti sunt, disiecti sunt, & perierunt ex eis XX. millia. Nomen militis, qui deduxit eos ad inuium, fuit Herwardus, qui perenni Saxonum laude celebratur.

*Mors & regni anni.* *Sueno Apostata & tyrannus.* *Danorum piratica.* *Hathelen opp.* *Staden.* *Sigefridus.* *Theodoricus.* *Barbarica Danorum sæuitia.* *Wirrha.* † P. Lescinouam. *Glindesmor.* *Danorum clades.* *Herwardus.*

## CAPVT XVI.

Circa idem tempus impletus est annus incarnationis verbi millesimus primus, in quo fortissimus Imperator Otto Tertius, cùm iam tertio victor Romam intrasset, immatura morte præuentus occubuit. Cui successit in regno † pius Henricus, iustitia & sanctitate insignis, ille inquam, qui Bauenbergensem fundauit episcopatum, & erga cultum Ecclesiarum amplissimæ fuit munificentiæ. At verò anno regni eius decimo, mortuus est Dux Saxoniæ Benno, vir omni probitate conspicuus, & strenuus Ecclesiarum defensator. Cuius principatus hęres factus est Bernhardus filius eius, licet à paterna fœlicitate diuerterit. Ex illo enim tẽpore, quo Dux constitutus est, in hac regione nunquã cessauit discordia, & perturbatio, quoniam Dux Henrico Imperatori rebellare ausus, totam secũ ad rebellandum Cæsari mouit Saxoniam. Deinde surgens in Christum, omnes Ecclesias Saxoniæ terruit atq; turbauit, illas præcipuè, quę in memorata rebellione, ipsius maliciæ noluerunt applicari. Accessit his malis, quòd idem Dux, tam paternæ quàm auitæ deuotionis, quam erga Slauos habebant, penitus immemor, gentem Winulorum per auaritiã crudeliter opprimens, ad necessitatem paganismi coegit. Sanè eo tempore Slauorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, & Dux Bernardus, illo quidem orientalem, isto occidentalem possidente prouinciam, quorũ ignauia, Slauos coegit fieri desertores. Rudes enim adhuc in fide gentiliũ populos, quos optimi quondam Principes cum magna lenitate fouerant, temperantes rigorem his quorum propensius insistebant saluti, isti tanta crudelitate insectati sunt, vt excusso tãdem seruitutis iugo, libertatem suam armis defendere cogerentur. Principes Winulorum erant Mistiwoi, & Mizzudrag, quorum ductu seditio inflammata est. Sermo ergo est, & veterum narratione vulgatum, quòd idem Mistiwoi, petiit sibi neptem Ducis Bernardi *, & ille promisit. Tunc idem princeps Winulorum, volens spon-

*Othonis III. mors.* † D. sanctus. *Henricus II. fundator Episcopatus Bamberg.* *Bẽnonis D. S. mors & elogium.* *Bernhardus Bennonis F. & successor.* *Eiusdem res gestæ.* *Theodoricus Marchio.* *Mistowens & Missudragus Slauorũ dynastæ.* * D. dari in vxorem.

*Theodorici Marchionis contumelioſum dictum. Indignatio iuſta ex ignominia.*

ſione dignus fieri, perrexit cũ Duce in Italiã cum equitibus mille, qui omnes ferè ibidẽ ſunt interfecti. Cúmq; rediens de expeditione, pollicitam ſibi mulierem expeteret, Theodoricus Marchio intercepit conſiliũ, conſanguineam ducis nõ dandam proclamans cani. Quo ille audito, cũ magna indignatione receſſit. Cùm ergo Dux, mutato conſilio, nuncios poſt eum direxiſſet, vt concupitis potiretur nuptiis, ille refertur tale dediſſe reſponſum: Oportet quidem generoſam magni Principis neptem præſtantiſſimo viro copulari, non verò cani dari. Magna nobis gratia pro ſeruitio refertur, vt iam canes, non homines iudicemur. Si ergo canis valẽs fuerit, magnos morſus dabit. Et hoc dicens, reuerſus eſt in Slauiam, & primo omnium

*Rethre.*

tranſiuit in ciuitatem Rethre, quæ eſt in terra Lutitiorum, conuocatisq; omnibus Slauis, qui ad orientem habitant, intimauit eis illatam ſibi cõtumeliam, & quia Saxonum voce Slaui canes vocentur. At illi: merito hæc, inquiunt, pateris, qui ſpernens contribules tuos, excoluiſti Saxones, gentem perfidam & auaram. Iura ergo nobis quòd deſeras eos, & ſtabimus tecum. Iurauítq; eis.

*Bernhardi Ducis in Cæſarem & Slauorũ in hũc cũ Chriſtianiſmi abiectione rebellio.*

Poſtquam autẽ Dux Bernardus emergentibus cauſis, arma aduerſus Cæſarem corripuit, Slaui opportunitate accepta, cõgregato exercitu, totã primò Nordalbingiam ferro & igne depopulati ſunt; deinde reliquam peragrantes † Slauaniam, omnes Eccleſias incenderunt, & ad ſolum vſq; diruerunt: ſacerdotes autem, & reliquos Eccleſiarum miniſtros, variis ſuppliciis enecantes, nullum Chriſtianitatis veſtigium trans Albiam reliquerunt.

*† P. Slauiã.*

*Odium Chriſtiani nominis. Strages in Hamburgẽſes & Aldẽburg.*

Apud Hãmenburg eo tempore, ac deinceps, multi ex clero & ciuib. in captiuitatẽ abducti ſunt, plures etiam interfecti, propter odium Chriſtianitatis. Narrãt ſeniores Slauorum, qui omnes Barbarorum geſtas res in memoria tenẽt, Aldenburg ciuitatem, populatiſſimam de Chriſtianis inuentam fuiſſe. Sexaginta ergo presbyteri, cæteris more pecudum obtruncatis, ibi ad ludibrium ſeruati ſunt. Quorũ maior loci præpoſitus Oddar nomen habuit. Ille ergo, cũ cæteris, tali martyrio cõſummatus eſt, vt cute capitis in modũ crucis inciſa ferro, cerebrum ſingulis aperiretur. Deinde ligatis poſt terga manibus, cõfeſſores Dei per ſingulas ciuitates Slauorum tracti ſunt, vſq; dum deficerent. Taliter illi ſpectaculum facti & Angelis & hominibus, in ſtadio medii curſus exhalarunt victorem ſpiritum. Multa in hunc modum per diuerſas Slauorum ac Nordalbingorum prouincias tunc facta memorantur, quæ ſcriptorum penuria nunc habentur pro fabulis. Tanti deniq; in Slauia habentur martyres, vt vix poſſint libro comprehendi.

*Slaui quam diu Chriſtianiſmi cultores. Exclamatio Chriſtiana.*

Omnes ergo Slaui, qui inter Albiam & Odorã habitant, per annos ſeptuaginta, & amplius, Chriſtianitatẽ coluerunt, omni ſcilicet tempore Ottonũ, taliq; modo ſe abſciderũt à corpore Chriſti, & Eccleſię, cui antè cõiuncti fuerant. O verè occulta ſuper homines Dei iudicia, qui miſeretur cui vult, & quem vult, indurat. Cuius omnipotentiã mirantes, videmus eos ad Paganiſmũ relapſos eſſe, qui primi crediderunt, illos aũt cõuerſos ad Chriſtũ, qui videbantur nouiſſimi. Ille ergo iudex iuſtus, fortis & patiens, qui olim deletis corã Iſrael ſeptem gentibus Canaan, ſolos reſeruauit allophylos in quibus experiretur Iſrael, ille, inquam, modicã gentiliũ por-

*Bernardi D. & Theodorici M. in Slauos iniuria.*

tionẽ nunc indurare voluit, per quos noſtra cõfunderetur perfidia. Hęc facta ſunt vltimo tempore ſenioris Libentii Archiepiſcopi, ſub duce Bernardo, filio Bennonis, qui populum Slauorum grauiter afflixit. Theodoricus Marchio Slauorum, cui cum commemorato eadem fuit auaricia, ſimilis crudelitas, depulſus ab honore, &

*ἀδραςία. Miſtouei de Chriſtianiſmo repetito exilium. Bardi.*

omni hæreditate, prębendarius apud Magdeburg, mala morte, vt dignus fuit, vitã finiuit. Miſtiwoi princeps Slauorum, circa vltima tempora pœnitentia ductus, ad Dominum reuerſus, cùm nollet Chriſtianitatem deſerere, depulſus eſt à patria, fugiénsq; ad Bardos, ibidem conſenuit fidelis.

## CAPVT XVII.

*Series antiſtitum Aldenburg. & Hamburg.*

DEfuncto ergo Ezicone in Aldenburg, ſucceſſit Volckwardus, poſt quẽ Reginbertus. Quorũ prior, Volckwardus, perſecutionis tẽpore Slauia pulſus, abiit in Norwegiã, ibiq; multos Domino lucratus, cũ gaudio rediit Bremã. In Hãburgenſi quoq; metropoli, Adeldago, qui primus in Aldẽburg ordinauit epiſcopos, ſucceſ-

ſit

fit Libentius, vir ſanctitate inſignis. Huius temporibus Slaui defecerunt à fide. Poſt hunc fuit Vnnuanus, clariſſimo genere oriundus, prӕterea diues & largus, omnibus hominibus acceptus, clero autem apprimè beneuolus. Eo ergo tempore, quo dux Bernardus, ſuique complices, Cӕſari Henrico rebellauit, omnibúſque Saxoniӕ Eccleſiis eſſet grauis, & infeſtus, illis maximè, qui erga maieſtatem Imperatoriam fidelitatis ſuӕ iura temerare noluiſſent, eius impetum viri dicitur Archiepiſcopus Vnnuanus ſua magnanimitate refregiſſe, vt propter ſapientiam & liberalitatem Epiſcopi cogeretur ipſe Dux, eccleſię, cui antea aduerſatus eſt, deinceps benignus eſſe in omnibus. Igitur habito Pontificis conſilio, rebellis Princeps tandem flexus, apud † Schalchisburg Cęſari Henrico ſupplex dedit manus. Mox quoque fauente Vnnuano, Slauos tributo ſubijciens, pacem reddidit Nordalbingis, & † matri Hammenburg. Ad cuius reſtaurationem venerabilis metropolitanus aſſeritur poſt cladem Slauicam, ciuitatem & Eccleſiam feciſſe nouam, ſimul ex ſingulis congregationibus ſuis, quӕ virorum eſſent, tres eligens Fratres, ita vt 12. fierent, qui in Hammenburg Canonica degerent conuerſatione, vel qui populum conuerterent ab errore idololatriӕ. Ordinauítque in Slauiam, mortuo Reginberto, Bennonem virum prudentem, qui de fratribus Hammenburgenſis Eccleſiӕ electus, in populo Slauorum multum prӕdicando fructum attulit.

*Bernhardus D.S. aduerſus Cӕſ. rebellis.*

† D. Schalckesburg.

*Eidē reconciliatus Slauos pacat.*

† D. matrici Eccleſiӕ.

*Hamburgū inſtauratū.*

*Benno antiſtes Reginberti ſucceſſor.*

## CAPVT XVIII.

† BEnno magnӕ deuotionis vir, cupiens diruta Aldenburgenſis ſedis reӕdificare, perquirere cœpit de poſſeſſionibus & reditibus, quos ad ius epiſcopale magni Ottonis deputauerat inſtitutio. Sed quia poſt excidium Aldēburgenſis eccleſiӕ, primitiua inſtituta, & magnorum principum donationes venerant in abolitionem, & Slauorum poſſeſſioni ceſſerant, memoratus Pontifex in prӕſentia Ducis Bernardi queſtus eſt, quòd Wagiri & Obotriti, cӕteriq; Slauorum populi, debita ſibi negarent ſtipendia. Vnde principes Winulorum ad colloquium euocati ſunt, & interrogatione habita, quare Pontifici legitimam ſubtraherent annonam, illi prӕtendere cœperunt varias exactionum grauedines, expedire ſibi egredi terram potius, quàm implicari maioribus vectigalium penſionibus. Conſyderans ergo Dux, non poſſe inſtaurari Eccleſiaſtica iura ſecundum eam formam, qua fuerant tempore magni Ottonis, petitione adhibita, vix obtinuit, vt de qualibet domo, paupere vel diuite, per omnem Obotritorum terram, duo nummi Pontificalibus ſoluerentur impenſis. Prӕterea curtes illę notiſſimӕ, Buzu & Necenna, & cęterӕ pōſſeſſiones in terra Wagirorum, Epiſcopo reſtitutӕ ſunt rurſus incolendӕ. Illa verò prӕdia quę fuerunt in remotiori Slauia, quę olim ad Aldenburgenſe epiſcopium pertinuiſſe antiquitas commemorat, vt eſt Derithſewe, Motize, Cuzin, cum attinentiis ſuis, epiſcopus Benno nullatenus per Ducem obtinere potuit, licet ad hӕc requirenda ſӕpius eniſus fuerit. Poſtquam autem placuit piiſſimo Cӕſari Henrico, curiam celebrare in caſtro Werbene, quod eſt iuxta Albiam, ad experiendos animos Slauorum, venerunt omnes Principes Winulorum in prӕſentiam Cӕſaris, ſeq; imperio ad bonū pacis & ſubiectionis obtēperaturos proteſtati ſunt. Ibi ergo cùm Aldenburgenſis Pontifex in facie Cӕſaris veterem pro Eccleſiӕ ſuӕ bonis innouaret querimoniam, interrogati Principes Slauorum de poſſeſſionibus ad ius Epiſcopi pertinentibus, recognouerunt memoratas vrbes cū ſuburbiis eorū, eccleſię & Pōtifici debere pertinere. Prӕterea omnes Obotriti, Kycini, Polabi, Wagiri, & cӕteri Slauorum populi, qui terminis Aldenburgenſis Eccleſiӕ concludebantur, polliciti ſunt dare omnem cenſum quem pro decima magnus Otto eccleſiaſticis ſtipendiis deputauerat. Quorum tamen pollicitatio, plena ſimulatione & fallacia fuit. Statim enim vt Cӕſar ſoluta curia ad alia ſe conuertit, nihil de promiſſis curauerunt. Dux quoque Saxonum Bernardus, in armis quidem ſtrenuus, ſed totus auaricia infectus, Slauos quos è vicino poſitos bellis ſiue pactionibus ſubegerat, tantis vectigalium penſionibus aggrauauit, † vt nec memores Dei, nec ſacerdotibus ad quidquam eſſent beneuoli. Quamobrem Chriſti confeſſor

† P. Hic ſanè.

*Refert animum ad inſtaurationē Epiſcopatus Aldenburg.*

*Bernhardus Dux Saxon.*

*Buzu. Necenna.*

*Prӕdia detracta Antiſtiti Aldenburg.*

*Conuentus Verbenēſis.*

*Slaui imperio ſe ſubiciunt.*

*Eorundē ſimulata promiſſa.*

*Bernhardi D.S. auaritia.*

† D. vt Dei & legis eius immemores etiam ſacerdotibus eſſent infeſti.

*Benno desperata Episcopatus instauratione Hildeshemum petit.*

Benno,videns legationis suæ ministerium,à Principibus seculi non solùm non adiuuari,imò funditus præpediri,casso labore fatigatus,cũ non inueniret vbi requiesceret pes eius,peruenit ad sanctissimũ virum Berenwardũ,Hildensemensem præsulẽ,ostendẽs ei angustias suas,& quærens in tribulatione consolationẽ. Ille vt erat vir mitissimus,collegit hospitẽ,& præbuit lasso humanitatis officia,& de facultatib. ecclesię suę suppeditauit ei vitę stipẽdia,quatenus ad legationis suę opus exiẽs,atq; reuertens,inueniret stationẽ tutã in qua pausare posset. Eo tempore memoratus Põtifex Berenwardus,in possessione quę sibi hæreditario iure prouenerat,magnã fundauit Ecclesiam,amplissimis,vt videri potest,impensis, in honore S. Michaelis archangeli,in qua etiam copiosam monachorum turmam ad seruiendum Deo aggregauit. Consummata ergo ad votum basilica, ad denunciatũ dedicationi festũ, conuenit immensa multitudo,vbi cùm sinistrum ecclesiæ latus noster Episcopus Benno dedicaret,à populo compressus & attritus,post paucos dies, morbo ingrauescẽte,vita defunctus est,& in aquilonari eiusdem ecclesię absida honestam obtinuit sepulturam.Huic successit†Meinherus,qui suscepit benedictionẽ à Libentio secundo.Post hunc fuit Abelinus,ordinatus ab Alebrando Archiepiscopo.

*Bernvvard⁹ Antistes Hildesheimẽs.*

*Mors & sepultura Bennonis.*

†P. Reinerus.

*Meinerus et Abelin⁹ antistites, successores Bennonis.*

## CAPVT XIX.

*Conradi II. Cæs. bellum sacrum aduersus Slauos.*

*Bernhardi Ducis auaritia iterũ notata.*

*Vdonis in Christianos odium & cædes.*

*Godescalc⁹, Vdonis F. ex paterna nece apostata.*

*Vastat Nordalbingiã.*

†D. Ezcho.

*Tangitur religione.*

IN diebus illis pax firma fuit in Slauia,eo quòd Cõradus,qui Henrico Pio successit in imperiũ, Winithos frequentib. bellis attriuerit. Verũtamen Christiana religio,& cultus domus Dei,paruũ recepit incrementum,præpediente auaritia Ducis,& Saxonũ,qui omnia corradentes,nec ecclesiis,nec sacerdotib. quidquã passi sunt esse residui. Principes Slauorũ, Anadrag,Gneus,& tertius Vdo,malè Christianus: Vnde & propter crudelitatẽ suam à quodã Saxonum transfuga improuisè cõfossus est. Filius eius Godescalcus nomine,apud Lunenburg,scholarib. erudiebatur disciplinis. Qui morte patris cõperta,fidẽ reiecit cũ litteris,amneq; trãsmisso, venit ad gẽtẽ Winitorũ. Cõgregataq; multitudine latronũ,percussit in vltionẽ patris omnem terrã Nordalbingorum,& tantas strages fecit Christianæ plebis,vt crudelitas omnẽ modum excesserit. Nihilq; remãsit in Holsatorũ & Sturmariorum prouincia,siue eorũ qui Thetmarsi dicuntur,quod manus eius effugerit,præter notissima illa præsidia†Etheho & Bokeldeburg: illò se quidã armati contulerant, cum mulieribus & paruulis,& substantiis quę direptioni superfuerant. Quadã ergo die cùm cõmemoratus Princeps latrocinali more per campos & miricas ferretur, vidẽs regionẽ viris & Ecclesiis quandoq; refertã, vastæ solitudini subiacere,exhorruit propriæ crudelitatis opus,& tactus dolore cordis intrinsecus,deliberauit à nefariis cœptis tandẽ cohibere manus. Auulsus ergo parũper à sociis,& quasi ad insidias exiẽs,inopinatè offendit quendã Saxonẽ Christianum. Qui cùm armatũ eminus venientẽ fugeret,ille clamore sublato hortatur,vt subsistat,iurat etiã se nihil ei nociturũ. Cúmq; vir timidus,recepta fiducia,substitisset, cœpit percunctari ab eo, quis esset,aut quid nosset rumoris. At ille,ego sum,inquit, homo pauper, Holsatia genitus. Sinistros aũt rumores quotidie experimur,quia princeps iste Slauorũ Godschalcus,multa mala infert populo & terræ nostræ,sitimq; crudelitatis suæ saturare cupit sanguine nostro. Tẽpus enimuero esset, vt vindex Dominus vlcisceretur iniurias nostras. Cui Godeschalcus: multũ,inquit,coarguis virũ illum, principem Slauorũ. Reuera enim multas ille pressuras suscitauit populo & terræ vestræ, vltor paternæ cædis existens magnificus. Ego aũt sum vir iste,de quo nunc sermo est, & veni vt loquar tecũ. Doleo enim me tantũ nefas cõmisisse aduersus Dominum & Christicolas,& vehemẽter cupio redire in gratiã eorũ,quibus me tanta iniustè intulisse recognosco. Accipe ergo verba mea,& reuertens ad populum tuum,annuncia eis,vt ad locum destinatum transmittant viros fideles, qui mecum clam agant de fœdere,& pacis†conditione. Quo facto omnem hanc turbam latronum, cum quibus magis necessitate quàm voluntate detineor, tradam in manus eorum. Et hęc dicens,designauit ei locum & tempus. Qui cùm venisset ad præsidium,in quo Saxonũ superstites cum magno timore consistebant,nunciauit senioribus verbum istud absconditũ,suggerens omnibus modis,vt transmitterent viros ad præfixum colloquij locum. At illi non intenderunt,reputantes dolum insidiis opportunum.

*Studet pacificationi.*

†P. conuentione.

Post

Poſt aliquot itaq; dies, idem Princeps à Duce captus, & quaſi princeps latronum in vincula coniectus eſt. Reputans autem Dux virum fortem, & ad arma ſtrenuum, vtilem ſibi fore, inijt cum eo fœdus, & honorificè donatum, abire permiſit. At ille dimiſſus, abiit ad regem Danorum Kanutum, & manſit apud illum multis diebus ſiue annis, variis bellorum exercitiis in Nortmannia ſiue Anglia virtutis ſibi gloriam conſciſcens. Vnde & filia regis honoratus eſt.

*Captus à Bernhardo Duce admiratione virtutis dimittitur.*

*Militat Canuto, regi Danorum.*

## CAPVT XX.

POſt mortem ergo Kanuti regis, reuerſus eſt Godeſcalcus in terrã patrum ſuorum. Et inueniens hęreditatem ſuam à quibuſdã tyrannis inuaſam, dimicare ſtatuit, & comitante victoria, poſſeſſiones cũ principatu ex integro recepit. Statímq; ad conquirendum ſibi apud Dominum gloriã & honorẽ animũ intendens, Slauorum populos, quos Chriſtianitatis olim ſuſceptæ obliuio iam tenebat, ad recipiendam credulitatis gratiam, & ad gerendum Eccleſiæ curã ſuſcitare ſtuduit. Et proſperatum eſt opus Dei in manibus eius, adeò vt infinita gentilium multitudo conflueret ad Baptiſmi gratiam. Et reædificatæ ſunt per vniuerſam Wagirorum prouinciam, nec non & Polabingorum, & Obotritorum, eccleſiæ quondam dirutæ. Iámq; miſſum eſt in omnes prouincias pro ſacerdotibus ac miniſtris verbi, qui rudes gentilium mentes doctrina fidei imbuerent. Gratulabãtur itaq; fideles de nouellæ plantationis incremento. Factúmq; eſt vt prouinciæ plenæ eſſent Eccleſiis, Eccleſiæ verò ſacerdotibus. Sed & Kycini & Circipani, & quęcunque gentes circa Panim habitãt, receperunt gratiam fidei. Eſt aũt Panis fluuius, in cuius oſtio ſita eſt ciuitas Dimine. Illuc quondã portẽdebatur limes Aldẽburgenſis Parochiæ. Igitur omnes Slauorum populi, qui ad Aldenburgenſem pertinebant curã, toto tempore quo Godeſcalcus ſuperuixit, Chriſtianam fidem deuotè tenuerunt. Sanè magnæ deuotionis vir dicitur tanto religionis diuinæ exarſiſſe ſtudio, vt ſermonẽ exhortationis ad populũ frequenter in Eccleſia ipſe fecerit, ea ſcilicet quæ ab Epiſcopis vel Presbyteris myſticè dicebãtur, cupiens Slauicis verbis reddere planiora. Proculdubio in omni Slauia nemo vnquam ſurrexit potentior, & tam feruidus Chriſtianæ religionis. Etenim ſi vita ei longior concederetur, omnes paganos ad Chriſtianitatem cogere diſpoſuit, cùm ferè tertiam partem eorum cõuerterit, qui prius ſub auo eius Miſtiwoi relapſi ſunt ad paganiſmum. Tunc etiam per ſingulas ciuitates Cœnobia fiebant ſanctorum virorum canonicè viuentium: item Monachorum atque Sanctimonialium, ſicut teſtantur ij, qui in Lubeke, Aldenburg, Raceſburg, † Leontio, & in aliis ciuitatib. ſingulas viderunt. In Magnopoli verò, quæ eſt inclyta Obotritorum ciuitas, tres fuiſſe congregationes Deo ſeruientiũ referũtur.

*Recuperat ſua à tyrannis.*

*Studet inſtaurando Chriſtianiſmo.*

*Panis fl. Demin.*

*Godeſcalcus exemplũ pij Principis.*

*Miſtouens auus Godeſcalci.*

† *D.* Lenſtein.

*Magnopolis Mekelẽburg*

## CAPVT XXI.

IN diebus illis factus eſt motus magnus in orientali prouincia Slauorum, ciuili inter ſe bello dimicãtium. Quatuor autem ſunt populi eorum, qui Lutitii ſiue Wilzi dicuntur, quorum Kycinos atque Circipanos † citra Panim, Riaduros ſiue Tolenzos cis Panim habitare conſtat. Inter hos de fortitudine & potentia valida orta eſt contentio: Siquidem Riaduri ſiue Tolenzi, propter antiquiſſimam vrbẽ & celeberrimum illud fanum, in quo ſimulacrũ Radigaſt oſtenditur, regnare volebãt, adſcribentes ſibi ſingularem nobilitatis honorem, eo quòd ab omnibus populis Slauorum frequentarentur, propter reſponſa & annuas ſacrificiorũ impenſiones. Porrò Circipani atq; Kycini ſeruire detrectabant, imò libertatem ſuam armis defendere ſtatuerunt. Creſcente igitur paulatim ſeditione, tandem peruenitur ad prælium, vbi inter validiſſimas pugnas Riaduri atque Tolenzi fuſi ſunt. Ideo ſecundo & tertio reſtauratum eſt prælium: item iidem ab eiſdem contriti ſunt. Multa millia hominum hinc & inde proſtrata. Circipani & Kycini, quibus bellum neceſſitas indixerat, victores. Riaduri atque Tolenzi, qui pro gloria certabant, deiectionis ſuæ pudore vehementer afflicti, accerſierunt in auxilium fortiſſimũ regem Danorum, & Ducem Saxonum Bernhardum, necnon & Godeſcalcum, principem Obotritorum, ſingulos cum exercitibus ſuis, aluerúntque tantam multitudinem de propriis ſtipendiis ſex hebdomadibus. Inualuítque prælium aduerſus Circipanos atque Kycinos, nec habuerunt vires reſiſtendi, obſeſſi tanta

*Motus in Slauis.*

*Luticis ſeu Wilzi gentium quatuor nomẽ.*

† P. circa.

*Fanum idololatricum Radegaſti.*

*Praliũ ter repetitum.*

*Riaduri & Tolenzi externa accerſunt auxilia.*

*Bernhardus D.S. Godeſcalcus.*

multitudine, cæſaque eſt ex eis maxima multitudo, & quamplurimi in captiuitatem ducti. *[Pax precio redemta.]* Ad vltimum 15. millibus Marcarum, pacem mercati ſunt. Principes pecuniam inter ſe partiti ſunt. De Chriſtianitate nulla fuit mentio, nec honorem dederunt Deo, qui contulit eis in bello victoriam. *[Profanitas & auaritia taxata.]* Vnde cognoſci poteſt Saxonum inſatiabilis auaritia, qui cùm inter gentes cæteras, Barbaris contiguas, præpolleant armis, & vſu militiæ, ſemper proniores ſunt tributis augmentandis, quàm animabus Domino conquirendis. Decor enim Chriſtianitatis, ſacerdotũ inſtantia, iamdudum in Slauia conualuiſſet, ſi Saxonum auaritia non præpediſſet. *[Godeſcalci elogium.]* Prędicetur ergo & omni laude extollatur digniſſimus ille Godeſcalcus, qui barbaris gentibus oditus, munus fidei, credulitatis gratiam ſuę genti cum pleno dilectionis feruore reparauit. Arguantur Saxonum proceres, qui Chriſtianis proauis geniti, & gremio ſanctæ matris Eccleſiæ foti, ſteriles ſemper & inanes in opere Dei ſunt inuenti.

## CAPVT XXII.

EA ergo temporum ſerie, qua miſericordia Dei & virtute religioſiſſimi viri Godeſcalci, ſtatus Eccleſiæ & ſacerdotii cultus in Slauia decenter viguit, defuncto Abellino Pontifice, Aldenburgenſis Eccleſia in tres diuiſa eſt epiſcopatus. *[Aldeburgēſis Epiſcopat. diſcerptus.]* Quod quidem imperiali minimè factum eſt inſtitutione, ſed Magni Adalberti, Hammenburgenſis Archiepiſcopi adinuentione ita ordinatum fuiſſe, conſtat. *[Adalbertus Archiepiſc. Hamburg.]* Ille enim vir magnificus & præpotens in regno, cùm fortiſſimum Henricum Cæſarem, videlicet Conradi filium, nec non & Papam Leonem haberet propicios, atq; voluntati ſuæ per omnia conſentaneos, in omnibus Borealibus regnis, Dacię ſcilicet, Suedię, Norwegiæ, functus eſt authoritate Archiepiſcopali, & legationis Apoſtolicæ miniſterio. *[Eiuſdem ambitio.]* Nec his contentus Patriarchatus honorem aſſequi voluit, eo ſcilicet ordine, vt infra terminos ſuæ parochiæ 12. ſtatueret Epiſcopatus, de quibus narrare ſuperuacaneum eſt, eo quòd ſapientibus ineptiæ quædã & deliramenta viſa fuerint. Confluebant ergo in curiam eius multi ſacerdotes, & religioſi, plerique etiam Epiſcopi, qui ſedibus ſuis exturbati, menſæ eius erant participes. Quorum ſarcina ipſe alleuari cupiens, transmiſit eos in latitudinem gentium, quoſdam locans certis ſedibus, quoſdã incertis. *[Ezo antiſtes Aldeburg. Abelini ſucceſſor. Ariſto Racesburg. Ioannes Megalburg.]* E quibus Ezonem ſubrogauit Abelino in Aldenburg, Ariſtonem quendam à Hieroſolymis veniente in Racesburg eſſe conſtituit, Ioannem in Mikilinburg deſtinauit. Iſte Ioannes peregrinationis amore Scotiam egreſſus, venit in Saoniam. Et clementer, vt omnes, ſuſceptus ab Archiepiſcopo, non multo pòſt in Slauiam miſſus eſt ad Godeſcalcum, apud quem commoratus, illis diebus multa millia paganorum baptizaſſe deſcribitur. *[Henric. III. Cæſ.]* Pax firma fuit in omni regno, quia fortiſſimus Cæſar Henricus, Vngaros, Boemos, Slauos, & omnia finitima regna potenti manu coercuerat. *[Hēric. IIII. puer, & inde in Imperio turba.]* Quo tranſlato ad ſuperos, ſucceſſit in ſceptrum filius eius Henricus, puer octo annorum. Statimque ebullierunt perturbationes variæ in regno, eo quòd principes, qui contentiones affectabant, contemnerent infantiam regis. Et ſurrexit vnuſquiſque aduerſus proximum ſuum, & multiplicata ſunt mala multa in terra, deprædationes, incendia, & mortes hominum. *[Bernhardi D. S. mors.]* Poſt non multum quoque temporis mortuus eſt Bernardus Dux Saxonum, qui res Slauorum & Saxonum, quadraginta annis ſtrenuè adminiſtrauit. *[Ordulfus & Hermannus F. F.]* Cuius hæreditatem Ordulfus & Hermannus filii eius inter ſe partiti ſunt. Et quidem Ordulfus Ducatum ſuſcepit gubernandum, licet fortitudine & militiæ vſu longè à fœlicitate paterna diuerterit. *[Godeſcalcus Obotritus à ſuis ob Chriſtianiſmum caſus.]* Denique poſt mortem patris vix quinque tranſierunt anni, ſtatim Slaui rebellare parantes primo omnium Godeſcalcum interfecerunt. Et quidem vir omni æuo memorabilis propter fidem Deo & Principibus exhibitam à barbaris occiſus eſt, quos ipſe nitebatur ad fidem conuertere. Nec dum enim completæ ſunt iniquitates Amorræorum, nec venit tempus miſerendi eorum. Ideo neceſſe fuit, vt venirent ſcandala, vt probati fierent manifeſti. *[Leontium Lenzin.]* Paſſus eſt autem alter ille Machabæus in vrbe Leontio, quæ alio nomine Lenzin dicitur, 7. idus Iunii, cum *[Eppo.]* Presbytero Eppone, qui ſuper altare immolatus eſt, & aliis multis tam Laicis quàm *[Anſuerus Monachus.]* clericis, qui diuerſa pro Chriſto pertulerunt ſupplicia. Anſuerus Monachus, &

cum

cum eo alii apud Racesburg lapidati sunt. Idibus Iulii, passio eorum occurrit. Fertur idem Ansuerus cùm ad passionem venisset, flagitasse paganos, vt prius socii, quos timebat deficere, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum Stephano, genua posuit.

## CAPVT XXIII.

IOannes Episcopus senex, cum cæteris Christianis in Magnopoli, id est Meckelenburg, captus, seruabatur ad triumphum. Ille ergo pro confessione Christi fustibus cæsus. Deinde per singulas ciuitates Slauorum ductus ad ludibrium, cùm à Christi nomine flecti nō posset, truncatis manibus ac pedibus corpus eius in plateà proiectum est. Caput verò desectum, quod barbari conto præfigentes in titulum victoriæ Deo suo Radigasto immolauerunt. Hæc in metropoli Slauorum Rethre gesta sunt, IIII. idus Nouembris.

*Ioannes, Episc. Megaburg. martyr.*
*Magnopolis.*

## CAPVT XXIIII.

FIlia regis Danorum, apud Mikelenburg, ciuitatem Obotritorum, nuda dimissa est cū cæteris mulieribus. Hanc enim, vt suprà diximus, Godescalcus Princeps habuit vxorem, à qua & filium suscepit Henricum. Ex alia verò Buthue natus fuit, magno vterq; Slauis excidio genitus. Et Slaui quidem victoria potiti, totam Hammenburgensem prouinciam ferro & igne demoliti sunt, Sturmarii & Holsati ferè omnes aut occisi, aut in captiuitatem ducti. Castrum Hammenburg funditus excisum, & in derisionem saluatoris nostri, etiam cruces à paganis truncatæ sunt. Ipso eodémque tempore Sleswich, quæ alio nomine Heidibo dicitur, ciuitas Transalbianorum, quæ sita est in confinio regni Danici, opulentissima atque populosissima, ex improuiso barbarorum incursu funditus excisa est. Impleta est nobis prophetia, quæ ait, Domine, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt tabernaculum sanctum tuum & reliqua, quæ prophetice deplorantur in Hierosolymitanæ vrbis excidio. Huius auctor cladis Blusso fuisse dicitur, qui sororem habuit Godescalci, domúmque reuersus & ipse obtruncatus est. Itaque omnes Slaui facta conspiratione generali, ad paganismum denuò relapsi sunt, eis occisis, qui perstiterunt in fide. Dux Ordulfus in vanum sæpe contra Slauos dimicans per 12. annos, quibus patri superuixit, nullam vnquam poterat obtinere victoriam: toties͂que victus à paganis, à suis etiam derisus est. Accidit autem perturbatio hæc in Slauorum prouincia, anno post incarnationem Domini millesimo sexagesimosexto, anno regni Henrici Quarti VIII. Et vacauit sedes Aldenburgensis annis octoginta quatuor.

*Mekelenburg.*
*Vxoris Godescalci exilium.*
*Henricus & Buthues Godescalci F.F.*
*Hamburgū & Slesuicū euersa.*
*Blusso Godescalci sororius, fax belli.*
*Slauorum à Christianismo defectio.*
*Ordulfus Dux S. bellator infelix.*

## CAPVT XXV.

POstquam ergo mortuus est Godescalcus, vir bonus & cultor Dei, ad filium eius Buthue peruenit principatus eius hæreditaria successio. Timentes autem ij qui patrem eius interfecerant, ne fortè filius vltor † patriæ cædis fieret, concitauerunt tumultum in populo, dicentes: Non hic dominabitur nostri, sed Cruco, filius Grini. Quid enim proderit nobis, occiso Godescalco libertatem armis acceptasse, si iste hæres principatus extiterit? Iam enim plus iste nos affliget, quàm pater. Appositúsque populo Saxonum, nouis prouinciam inuoluet doloribus. Statímque conspirata manu, statuerunt Cruconem in principatum, exclusis filiis Godescalci, quibus iure debebatur dominium. Quorum iunior Henricus profugit ad Danos, eo quòd regia Danorum stirpe esset oriundus. At senior Buthue declinauit ad Bardos, quærens auxilium à Saxonum principibus, quibus pater eius deuotus semper & fidelis extiterat.

*Buthues, Godescalci F. et successor.*
† P. paternę.
*Cruco, Grini F. tyrannus.*
*Buthue & Henrici fratris exiliū.*
*Bardi Saxones.*
*De iisdē suprà cap. 16.*

Qui etiā rependentes beneficiis gratiam, susceperunt pro eo prælium, multóque expeditionum fatigio restituerunt eum in locum suum. Attamen status Buthue semper erat infirmus, nec ad plenum roborari potuit, eo quòd Christiano parente natus, & amicus Principum, apud gentem suam, vt proditor li-

*Buthues à Saxonib. restitutus, suos infidos experitur.*

*Slauorum pervicacia & Christianismi odiū.*

bertatis haberetur. Post eam victoriam enim, qua primùm Godescalco interfecto Nordalbingorum prouincia percussa est, Slaui seruitutis iugum armata manu submouerunt, tantaque animi obstinatia libertatem defendere nisi sunt, vt prius maluerint mori, quàm Christianitatis titulum resumere, aut tributa soluere

*Auaritia & expilationū fructus.*

Saxonum Principibus. Hanc sanè contumeliam sibimet parturiuit infœlix Saxonum auaritia, qui cùm adhuc virium suarum essent compotes, & crebris attollerentur victoriis, non recognouerunt, quia Domini est bellum, & ab ipso

*† P. quin.*

est victoria, † quando potius Slauorum gentes quas bellis aut pactionibus subegerant, tantis vectigalium pensionibus grauauerunt, vt diuinis legibus & Principum

*ἀδρασία in Ordulfum.*

seruituti refragari amara necessitate cogerentur. Luit hanc noxam Ordulphus, Saxonum Dux, qui derelictus à Deo, quamdiu patri superuixit, nullam contra

*Godescalci F. F.*

Slauos victoriam consequi potuit. Vnde etiã contigit, vt filii Godescalci, qui spem suam in Duce posuerant, super baculum arundineum atque confractum innisi

*Magnus, Ordulfi F.*

sunt. Defuncto Ordulpho successit in Principatum filius eius Magnus, natus de filia regis Danorum. Statimque in ipso principatus sui exordio ad subneruandos

*Buthues.*
*Cruco.*

Slauorum rebelles, animum & vires intendit, exacuente eum ad id Buthue filio Godescalci. At illi vnanimiter refragari cœperunt, secuti Cruconem, filium Grini, qui erat inimicitias exercens aduersus Christianum nomen & honorem Principum. Et primum quidem Buthue prouincia pepulerunt, diripientes præsidia, in quibus confugium habebat. Videns autem se principatu extorrem,

*Magnus de auxiliis à Buthue sollicitatus.*

confugit ad Ducem Magnum, qui tunc fortè Lunenburg degebat, & allocutus est eum: Nouit excellentia tua virorum maximè, qualiter pater meus Godescalcus procurationem Slauicę prouincię ad honorem Dei, & progenitoris tui, fideliter semper intorserit, nihil prætermittens eorum, quę ad cultum Dei & fidem principum iure pertinuerint. Ego quoq; paternam æmulans modestiam, omni fide & deuotione mandatis principum obsecundaui, infinitis me obijciens periculis, vt mihi vel vacuum honoris nomen, vobis verò fructus permaneret. Qualis autem merces & me & patrem meum exceperit, neminem latet, cùm illum quidem vita, me patria exemerint hostes nostri, hostes, inquã, non tantùm nostri, sed etiam tui. Si ergo honorē tuum & salutem tuorum curare volueris, viribus & armis vtendum est. Deniq; fortuna nostra in extremo sita est, & maturãdum est, ne vltra pro-

*Einsdem in exulem benignitas.*
*Bardi.*
*Ditmarsi.*

gredientes inimici, etiam Nordalbingorum prouincia abutantur. His auditis Dux respondit: Non possum hac vice ipse egredi, eo quòd detinear magnis impedimentis, sed dabo tibi Bardos, Sturmarios, Holzatos, atque Thethmarchios, quorum auxilio fretus, hostiū impetus ad tempus excipere valeas. Ego quoq; si necesse fuerit, quantocyus subsequar. Porrò dies nuptiarū ad pręsens Ducem vetabat. Assumptis ergo Buthue fortissimis Bardorū transiit Albiam, & pręcucurrit in terrã Wagirorū. Nuncii quoq; ducis percurrentes omnē Nordalbingorū prouinciã, vrgebãt populū egredi ad ferendū auxilium Buthue, qui expugnabatur ab hostibus. At ille

*Vrbs & castrū Plune.*

præierat cum sexcentis & eo amplius viris armatorum, veniensq; ad castrum Plunense, vrbem, præter spem, apertam, & vacuam viris reperit. Quo cùm intrasset, mulier Teutonica, quæ inibi reperta fuit, locuta est ad eum: Accipe quod repererit

*Dolus hostilis.*

manus tua, & festina velociter egredi, quia per dolum actū est, vt vrbs hęc aperta & vacua custodib. dimitteretur. Audito enim introitu tuo, crastino cū maximo exer-

*Buthues rectè monentē non audit.*

citu Slaui redibunt, & vrbē hanc obsidione cõcludent. Qui verba referentis dissimulans per noctē in eodē castro remansit. Est aūt vrbs hæc, vt hodie videri potest, lacu profundissimo vndiq; inclusa, & cõmeantibus aditū pons longissimus continuat. Crastina ergo lucescente, Slauorum infinita agmina, vrbem, vt vespere prædictum fuerat, obsidione vallauerunt. Prouisum autem fuerat, ne nauicula aliqua

*Obsessus, cõflictatur cū fame & hoste.*
*Strale riuulus.*
*† P. distermi nat.*

in omni insula inueniretur, per quam obsessis euadendi locus pateret. Buthue ergo cum sociis obsidionem cum magna famis difficultate sustinuit. Audito autem sinistro hoc nuncio, Holzatorum, Sturmariorum nec non Thetmarchiorum fortissimi accelerauerunt, vt vrbem obsidione liberarent. Cúmq; peruenissent ad riuulum, qui dicitur Strale, quiq; † determinat Saxones à Slauis, præmiserunt virum gnarum Slauicę linguæ, qui exploraret, quid Slaui agerent, aut qualiter expu-

gnationi

gnationi vrbis instarent. Missus itaque vir ille à sociis, peruenit ad exercitum Slauorum, qui cooperuerat faciem campi, præparans diuersas machinas expugnationi opportunas. Quos etiam his verbis alloquitur: Quid facitis ô viri, oppugnantes vrbem & viros amicos Principum & Saxonum? Non vtique conatus iste cedet vobis in prosperum. Mandat autem vobis Dux, cæterique Principum, obsidione quantocyus discedere. Quod si non feceritis, in breui sentietis vltionem. Qui cùm anxiè inquirerent vbi nam esset Dux: respondit, eum in proximis adesse cum armatorum infinita multitudine. Princeps ergo Slauorum Cruco, assumpto seorsim nuncio, percunctatus est ab eo certius rei veritatem. Ad quem ille: quid, inquit, dabis mihi precii, si prodidero tibi ea quæ tu quæris, & fecero te compotem voluntatis tuæ, super vrbe hac, & his qui sunt in ea? At ille pactus est ei XX. marcas. Statim vbi firmata sunt promissa, dixit traditor ille Cruconi, & sociis eius: Dux iste, quem tu formidas, necdum transiuit ripas Albiæ, detentus grauibus impedimentis: Soli Sturmarii, Holzatii, & Thetmarchi, egressi sunt cum breui numero *. Hos ergo facilè vno verbo seducam, & faciam redire ad loca sua. His dictis, transiit pontem & locutus est ad Buthue & ad socios eius: Consule saluti tuæ & tuorum, qui tecum sunt, quia Saxones, in quibus tu habebas fiduciam, non venient hac vice succurrere tibi. Tunc ille consternatus animo, respondit: Heu me miserum, quare deseror ab amicis? Siccine Saxones optimi, supplicem sui & auxilii indigum in tribulatione deserent? Malè delusus sum, qui Saxonibus bona semper fiducia innitens, nunc in extrema necessitate pessundatus sum. Ad quem ille: Venit, inquit, dissensio in populum, & tumultuantes inter se, reuersi sunt vnusquisque in domum suam. Alio ergo consilio tibi vtendum est. Confusisq; taliter rebus, nuncius ad suos reuersus est: Sciscitantibúsque Saxonum expeditis, quidnam causæ esset, respondit dicens: Veni ad castrum, ad quod misistis me, & nullum, Dei gratia, ibi periculum est, nec vllus obsidionis timor. Quin potius vidi Buthue, & eos qui cum ipso sunt, lætos, & nil habentes turbulentiæ. Atque in hunc modum retardauit exercitum, ne obsessis fierent præsidio. Factus est vir ille Buthue & sociis eius materia perditionis. Statim enim vbi obsessi traditoris dolo decepti, à spe euasionis deciderunt, cœperunt perquirere ab hostibus, si quid pro vitæ remedio acceptare vellent. Quibus illi responderunt: Nos aurum & argentum à vobis non recipimus, vitam tantùm & membrorum integritatem postulantibus prębebimus, si exeuntes ad nos, arma dederitis. Hoc audito, Buthue dixit ad socios: Durus nobis, ô viri, sermo proponitur, vt exeuntes arma resignemus. Scio quidem quia deditionem fames perurget. Sed si proposita nobis conditione, inermes exierimus, nihilominus periculum subeundum erit. Fides enim Slauorum quàm sit mobilis, quàm incerta, sæpius compertum habeo. Videtur ergo mihi omnium saluti cautius esse, dilatione adhuc, licet difficili, vitam redimere, & expectare si fortè Deus alicubi auxiliatores nobis admittat. Contra socii renisi sunt, dicentes: Conditionem quidem, quæ nobis ab hostibus offertur, ambiguam, plenámque formidinis esse fatemur. Nec tamen ea abutendum est, eo quòd præsens periculum euitandi alia via non sit. Quid enim dilatio iuuat, vbi nemo est, qui obsidionem soluat? Atrociorem autem mortem fames quàm gladius affert, meliúsque est compendio vitam finire, quàm diu torqueri.

*Explorator factus proditor.* *Cruco.* *Auri sacra fames quid nō mortalia cogis Pectora?* *P. virorū.* *Buthues fortunā suam lamētatur.* *Dehortatur ab periculosa pacificatione.* *Slaui infidi.*

## CAPVT XXVI.

Videns igitur Buthue socios animis obfirmatos ad egrediendum, iussit sibi cultiora exhiberi vestimēta, quibus indutus cum sociis egreditur. Transieruntq; pontem, bini & bini, dantes arma, atque in hunc modum perducti sunt ad faciem Cruconis. Vbi ergo omnes præsentati sunt, mulier quædam præpotens de castro mandauit Cruconi, cæterisque Slauis, dicens: Perdite viros, qui se tradiderunt vobis, & nolite seruare eos, quia intulerunt maximas violentias vxoribus vestris, quæ derelictæ fuerant cum ipsis in vrbe, & auferte opprobrium *. His auditis, Cruco & socii eius statim insilierunt in eos, omnemq; multitudinem hanc interfecerunt

*Buthues vt se ad deditionem comparārit.* *P. nostrū.*

*Iugulatur cum Bardis sociis. Cruconis tyranni successus. Nordalbingorũ gentes.*

in ore gladii. Et interfectus est Buthue & omne robur Bardorũ coram castro Plune, in die illa pariter. Inualuitque Cruco, & prosperatum est opus in manibus eius, obtinuitque dominium in vniuersa terra Slauorum, & attritæ sunt vires Saxonum, & seruierunt Cruconi sub tributo, omnis terra videlicet Nordalbingorum, quæ disterminatur in tres populos: Holzatos, Sturmarios, Thetmarchos. Omnes hi durissimum seruitutis iugum portauerunt omni tempore Cruconis. Et repleta est terra latrunculis, facientibus mortes & captiones in populo Dei, & deuorauerunt gentes Saxonum † toto ore. In diebus illis surrexerunt de populo Holzatorum, amplius quàm sexcentę familiæ, transmissóque amne abierunt via longissima, quærentes sibi sedes opportunas, vbi feruorem persecutionis declinarent. Venerúntq; in montes Harticos, & manserunt ibi, ipsi, & filii & nepotes eorum, vsque in hodiernum diem.

*† D. pleno. Holsatorum in Hercynia colonia.*

## CAPVT XXVII.

*Turbulentũ Henrici IIII. imperium. Odium in Saxones. Otto, Dux Saxoniæ. Welfo. Hartesberg arx diruta. Conspiratio Saxonum in Cæsarem.*

NIl autem mirum, si in natione praua atque peruersa, in terra horroris & vastæ solitudinis, sinistri casus emerserint. siquidem per omne regnum illis in dieb. bellorum tempestates consurgebant. Regni enim gubernacula, quæ regis Henrici pueritia non modicè dissoluta fuerant, ipso adolente non minus inuenere periculum. Statim enim vt factus est vir, & sublato pædagogo suimet compos effectus est, omnem gentem Saxonum atrociter persequi cœpit. Deniq; Ottoni ducatum Bauariæ, quia Saxo erat, abstulit, & Welponi dedit. Post hæc ad depressionem totius Saxoniæ, in Hartico cliuo castrum firmissimum, quod dicitur Harthesberg, collocauit. Quamobrem irati Saxonum Principes, & in vnum cõglobati, castrum quòd ipsis propter iugum positum fuerat ad solum diruerunt. Et obfirmati sunt animi Saxonum aduersus Regem, fuerúntq; eis Principes, Wizelo Magdeburgensis, Bucco Halberstadẽsis Episcopus, Otto Dux, Magnus Dux, Vdo Marchio, & alii multi nobiles. Ad quorũ audaciam † obtundendam rex celeriter cum exercitu venit, adiuncto sibi Sueuorum duce Rudolpho, multísque regni Principibus. Sed & Saxones nil morati, viriliter occurrerunt in prælium, conuenerúntque exercitus iuxta flumen Vnstroth. Cúmque non longè abesset pugna, factum est ex consilio vtriusque partis, vt laudaretur pax vsque post biduum, sperantes bellum pace sopiri. Saxones ergo pace delectati, statim exuerunt se armis, & diffusi sunt per latitudinem campi, figentes castra, & curam corporis exequentes. Circa horam diei nonam videntes speculatores regis, Saxones remissos, & dispersos super faciem campi, nihilque suspicantes mali, festinantes renunciauerunt regi, quia Saxones se præpararent ad prelium. Itaque concitatus exercitus regis, transmisso vado, irruerunt super quietos & inermes, prostrauerúntque multa millia Saxonum in die illa. Cùm igitur Saxones pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent, dux Sueuorum vir bonus, & amator pacis, primum regio honori, deinde Saxonum saluti consulens, apud Saxones obtinuit, vt se in potestatem regis contraderent Principes eorum, Wizelo Magdeburgensis, Bucco Halberstadensis, Otto Dux, Magnus Dux, Vdo Marchio, interpositis scilicet conditionibus, ne aut captiuitate grauarentur, aut vllam sustinerẽt læsionis molestiam. Statim ergo vbi Saxones consiliis illecti, potestati regiæ se tradiderunt, ille iussit eos arctiori custodiæ mancipari, nõ reueritus promissionum fidem. Et contristatus est Rudolphus Dux, eo quòd promissa implere non potuisset.

*† D. reprimendam. Rudolphus Dux Sueuiæ. Vnstroth fl. Exploratorum Cæsarianorum hostilis perfidia. Clades Saxonum. Rudolfus Sueuus, pacis sequester. Principes Saxonũ sub fide se dedẽtes in vincula coniiciuntur.*

## CAPVT XXVIII.

*Custodia elapsi Cæsarẽ Papæ accusant. Gregorius VII.*

POst paucos autem dies, Principes Saxonum præter voluntatem Regis, captiuitate absoluti, in propria reuersi sunt, nec vnquam de cętero promissionibus regis fidem præbuerunt. Missa ergo relatione Saxonum principes ad Apostolicam sedem conquesti sunt reuerendissimo Papæ Gregorio septimo, qualiter rex diuinæ legis contemptor, Ecclesiis Dei, in statuendis Episcopis, omnem Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de vxore sua publicum fecisset prostibulum,

subiiciens eam per vim aliorum libidini, aliáque perplurima, quę inconuenientia visa sunt, & auditu difficilia. Quamobrem Dominus Apostolicus, zelo iustitię permotus, missis legatis, vocauit regem ad Apostolicæ sedis audientiam. Qui secundam & tertiam vocationem dissimulans, ad vltimum familiarium consiliis astrictus, timentium ne regno iustè deponeretur, iuit Romam, vbi super his, vnde iustè pulsabatur, sese pastoris permisit arbitrio. Accepit ergo in mandatis, vt anno integro Roma non discederet, equum non ascenderet, sed in veste humili circumiret limina Ecclesiarum, orationibus & ieiuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. Quod rex humiliter adimplere sategit. Videntes ergo Cardinales, & ij qui de curia sunt, quia præ timore sedis Apostolicæ contremiscunt potestates, & curuantur ij, qui portant orbem, suggerunt Apostolico, vt transferat regnum ad alium virum, dicentes, indignum esse, vt talis regnet, qui de publicis conuictus est facinoribus. Percunctanti ergo Apostolico, quisnam in Alemania dignus esset tanto culmine, designatus est Dux Sueuorum Rudolphus, quòd scilicet fuerit vir bonus, amator pacis, & circa cultum sacerdotii & ecclesiarum optimè affectus. Cui Dominus Papa auream transmisit coronam * hoc versu intitulatam: Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Præcepitque Moguntino & † Coloniensi cæterisque Episcopis & Principibus, vt adiuuarent partes Rudolphi, & statuerent eum in regem. Quotquot ergo receperunt verbum Domini Papæ, elegerunt Rudolphum in regem, additique sunt parti eius Saxones & Sueui. Cæteri Principum, ciuitatésque quæ sunt circa Rhenum, non receperunt eum, omnésque Francorum populi, eo quòd iurassent Henrico, & iuramenta temerare noluissent. Porro Henricus consistebat apud Romam mandatis obsecundans, ignarúsque malorum quæ aduersus ipsum agebantur.

*Cæsar propter obiecta crimina Romam euocatus.*

*Eidē expiatio indicta.*

*Cardinales.*

*Cæsar dum satisfacere pontifici studet ab eodem exauctoratur.*

*Rudolphus Cæsar designatus.*

*Hunc versum P.C. nō habet. Reperitur tamē in D.

† D. Treuirensi.

*Factiones in Imperio.*

## CAPVT XXIX.

SVrrexit ergo quidam Strateburgensis Episcopus, amicissimus Regi Henrico, & velociter vadens Romam, diu quæsitum regem inuenit inter memorias martyrum diuersantem. De cuius aduentu rex lætior effectus, cœpit percunctari de statu regni, aut si omnia in pace consisterent: cui ille intimauit, nouum principem electum, factúque opus esse, vt quantocyus Teutonicam terram reuiseret, ad confortandos amicorum animos, & conatus hostium † comprimendos. Cúmque rex prætenderet, nequaquam sibi sine licentia sedis Apostolicæ abeundum: ille respondit, Noueris certè, omne hoc conspirationis malum, de fonte Romanæ perfidiæ manasse. Imò si captionem euadere voles, de vrbe tibi clanculo exeundum est. Egressus ergo noctu rex exiit Italiam, firmatísque pro tempore rebus in Longobardia, venit in Teutonicam terram. Lætatique sunt de insperato aduentu Principis omnes ciuitates Rheni, & vniuersi qui fauebant parti eius. Congregauítque exercitum grandem, vt expugnaret Rudolphum, fuitque cum eo famosissimus ille Dux Godefridus, qui postea liberauit Hierusalem, multique potentum. Saxonum verò atque Sueuorum exercitus erant cum Rudolpho. Pugnauerunt ergo reges mutuo, & victa est pars Rudolphi, ceciderúntque Saxones & Sueui. Porrò Rudolphus vulneratus in manu dextra, fugit Marcipolim, mortique iam proximus, dixit ad familiares suos. Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hac ego iuraui Domino Henrico, vt non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ eius. Sed iussio Apostolica, Pontificúmque petitio, me ad id deduxit, vt iuramenti transgressor, honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ij, qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum graui molestia diem clausit extremum.

*Episcopi Argentinensis erga Cæsarē fides.*

† D. reprimendos.

*Cæsar in Germaniā reuersus sese armat.*

*Godefridus Bilioneus.*

*Conflictus ad Elistrū.*

*Rudolphi clades.*

*Pathetica & lamentabilis oratio.*

*Tragicus vitæ finis.*

## CAPVT XXX.

*Gregorius VII concilii sentẽtia dãnatus Pontificatu deturbatur. Vibertus seu Clemẽs Antipapa. Cæsaris inauguratio.*

TVnc rex Henricus prosperis elatus successibus, grande Episcoporum collegit concilium, ibique Gregorium Papam, velut regni traditorem, & Ecclesiasticæ pacis perturbatorem, damnari fecit. Inde grandi collecta expeditione transijt in Italiam, occupansq; matrem imperij Romam, multisque ciuium ibidem interfectis, fugauit inde Gregorium, potitúsque ad votum vrbe & senatu, Wibertum, Rauennæ sedis Episcopum, ordinari fecit in Papam, à quo etiam benedictione percepta à populo Romano salutatus est Imperator & Augustus. Factúmque est verbum hoc in laqueum magnum in Israel, siquidem ex illa die orta schismata in Ecclesia Dei, qualia non fuerunt à diebus antiquis. Et ij quidem qui videbantur perfectiores & columnæ in domo Dei, adhęserunt Gregorio, cæteri, quos aut timor aut fauor Cæsareus agebat, secuti sunt Wibertum qui & Clemens. Durauitque schisma hoc xxv. annis. Defuncto enim Gregorio successit Desiderius, post quem Vrbanus, deinde Paschalis, qui omnes Imperatorem cum Papa suo, excommunicationis sententia damnauerunt, continentes se apud reges Francię, Siciliæ, & Hispaniæ, qui catholicam partem tueri videbantur. Saxones quoque, postquam de cæde vires recuperauerunt, statuerunt sibi regem Hermannum quendam, cognomento † Clufloch, & instaurauerunt prælium aduersus Henricum Cæsarem: cumque Saxonum nouus Princeps, secundo potitus victoria, castrum quoddam victor ingrederetur, contigit miro Dei iudicio, vt porta cardinibus auulsa regem cum aliis quàm plurimis attriuerit, conatusque Saxonum etiam tunc frustratus concidit, nec adiecerunt vltra nouum creare regem, nec arma ferre aduersus Henricum Cæsarem, videntes ei regnum conseruari diuina voluntate approbante, siue permittente.

*Schisma 25. annorum.*

*Hermãnus contra Henricum Cæsar designatus.*
†P. Dufloch.
*Eiusdẽ miserabilis interitus.*

## CAPVT XXXI.

*Petrus, Monachus Hispanus.*
†P. mundo.
*Cælestis eiusdem epistola de recuperanda terra sancta.*
*Expeditio Hierosolymitana ductore Godefrido Bilioneo.*

RES digna relatu posteritatisque memoria contigit in diebus Henrici senioris nouissimis. Nam Petrus quidam genere Hispanus, professione Monachus, ingressus fines Romani Imperij, vocem prædicationis emisit in vniuerso † regno, adhortans populos ire Hierosolymam, pro liberatione ciuitatis sanctæ, quæ tenebatur à barbaris. Protulit autem epistolam, quam de cælo affirmauit allatam, in qua continebatur scriptum: Quia impleta sunt tempora nationum, & liberanda esset ciuitas quæ calcabatur à gentibus. Tunc ergo vniuersarum regionum Potestates, Episcopi, Duces, præfecti, militares viri, nec non plebeij, abbates, Monachi, egressi sunt ad iter illud Hierosolymitanum sub duce fortissimo Godefrido, fretique virtutis diuinæ auxilio, Niceam, Antiochiam, multasque ciuitates à Barbaris possessas, receperunt. Inde progressi, ciuitatem sanctam de manu barbarorum liberauerunt. Et cœpit deinceps pullulare in eodem loco incrementum diuinæ laudationis, & adoratur Dominus à populis terrarum, in loco vbi steterunt pedes eius.

## CAPVT XXXII.

*Mors Wiberti. Paschalis Papa renouat anathemata in Cæsarem.*
†P. custodib.
*Cæsar exauctoratus.*
†P. Hingellisheim.
*Postulatur insignia imperij.*
†P. tuo.

POst dierum tempora illorum mortuus est Wibertus, qui & Clemens, & sopita sunt schismata, & redijt vniuersa Ecclesia ad Paschalem, & factum est vnum ouile & vnus pastor. Igitur vbi firmatus est Paschalis in sede, præcepit excommunicari Imperatorem ab vniuersis Episcopis, & Catholicæ Ecclesiæ † cultoribus, & eo vsque sententia hæc inualuit, vt collecta generali curia, principes, Henrico diadema tollendum, & ad filium eius æquiuocum transferendum decernerent. Erat autem idem iam dudum ex petitione patris designatus in Principem. Missi ergo à principibus venerunt ad regem, qui tunc fortè consistebat in corte regia † Hilgellesheim, Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis, & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum & purpuram, cæteraque ad inuestituram Imperialem pertinentia, filio † eius deferenda.

renda. Illo percunctante deiectionis ſuæ culpam, reſponderunt, dicentes, Quid quæris ea, quæ optimè noſti? Meminiſti qualiter vniuerſa Eccleſia tui cauſa maximo ſchiſmatis errore multis iam annis laborauerit, qualiter Epiſcopatus, Abbatias, præterea omnia Eccleſiæ regimina feciſti venalia, nec fuit in conſtituendis Epiſcopis vlla legitimæ electionis facultas, ſed ſola pecuniæ ratio. Pro his & aliis cauſis ſanxit autoritas Apoſtolica, fauítque principum vnanimitas, te non ſolùm regno, verumetiam eccleſiaſtica communione priuandum. Quo contra rex ait: Dicitis quia ſpirituales dignitates precio vendiderimus, veſtra quidem poteſtas eſt, tale nobis crimen impingere. Dic ergo ô Moguntine, dic adiuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus, aut recepimus, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoque Colonienſis per fidem te conteſtamur, quid nobis dediſti pro ſede, cui noſtra munificentia præſides? Illis fatentibus, nihil pecuniæ huius rei gratia aut oblatum aut acceptum, Rex ait, Gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inuenti ſumus. Certè dignitates eæ duæ præſtantiſſimæ ſunt, & magnum quæſtum Cameræ noſtræ referre poterant. Porrò Dominus Wormatienſis, qualis à nobis ſuſceptus, ad quid promotus †, ſcilicet pietate, vel quæſtu erga ipſum vſi fuerimus, nec vos nec ipſum latet. Condignam ergo beneficiis noſtris rependitis gratiam? Nolite, quæſo, effici participes eorum, qui leuauerunt manus aduerſus Dominum & regem ſuum, & temerauerunt fidem & iuramentorum ſacramenta. Ecce iam defecimus, parúmque nobis viæ reſtat, ſenio & labore confectis: ſuſtinete modicum, & nolite gloriam noſtram confuſione terminare. Si autem nobis cedendum omnino eſſe dicitis, & manet fixa ſententia, præfigantur induciæ, ſtatuatur dies placiti, ſi Curia adiudicauerit, filio noſtro coronam manibus propriis reſignabimus. Generalem itaque curiæ audientiam expetimus. Illis è contrario nitentibus *, ſe negocium pro quo miſſi fuerant, fortiter expleturos, rex parumper auulſus ab eis, fidelium ſuorum participauit conſilio. Vidénſque quia legati veniſſent ſtipati militia, & non eſſet locus reſiſtendi, fecit ſibi regiam exhiberi præparaturam, qua indutus, & in ſedem receptus, legatos alloquitur dicens: Hæc quidem Imperialis honoris inſignia mihi præſtitit æterni regis pietas, & principum regni electio concors. Potens autem eſt Deus, qui me ad hoc culmen ſua dignatione prouexit, mihi conſeruare quod conceſſerit, manúſque veſtras à cœpto opere cohibere. Diuino enim præſidio nos enixius inniti oportet, omni ſcilicet militia & armis deſtitutos. Hactenus quidem externis bellis impliciti, ſemper in cuſtodiæ noſtræ diligentia conſtitimus, omnes impugnationum iacturas, propitia diuinitate, partim conſilio, partim virtute prælii euincentes. Hoc autem inteſtinum malum ſicut nec ſuſpectum habuimus, ita nec præcauimus. Quis enim in orbe Chriſtiano tantum nefas conſurgere crederet, vt iurata principi Sacramenta fideliatis irritentur, ſuſcitetur filius aduerſus patrem, poſtremo nulla beneficiis gratia, honeſtati reuerentia exhibeatur? Certè maieſtas Imperatoria eam etiam erga hoſtes honeſtatis diſciplinam ſeruare conſueuit, vt proſcribendis ſiue damnandis, vocationum ſiue induciarum remedia non negauerit, antè præmuniens quàm feriens, prius inuitans † per gratiam, quàm damnans per ſententiam. At nobis contra fas, vocationes & audientia negantur. Ideóque præfocamur, ne audiamur. Quis tantam mentis alienationem à fidiſſimis amicis, maximè verò à Pontificibus crederet? Dominum ergo factorem Orbis vobis proponimus, vt ipſius terror vos coherceat, quos pietas non reuocat. Quòd ſi nec Deum nec honeſtatem veſtram reueremini, ecce præſentes ſumus, violentiam explodere non poſſumus, neceſſarium eſt vim ſuſtinere, cui refragari locus non eſt. Cœperunt ergo Pontifices hæſitare quid agerent: Magnarum enim rerum ingreſſus ſemper ſunt difficiles. Tandem Moguntinus allocutus eſt ſocios, dicens: Quouſque trepidamus, ô ſocii? Nonne officii noſtri eſt Regem conſecrare, conſecratum inueſtire? Quod ergo Principum decreto impendere licet, eorundē authoritate tollere non licet? Quem meritū inueſtiuimus, immeritum quare non diueſtiamus? Statímq; accepto conamine, regem aggreſſi ſunt, eique coronam de capite abruperunt. Deinde ſub-

*Crimina obiecta.*

*Purgatio, cum iuſtiſſ. petitione.*

†P. ſi.

*Indigna Epiſcopis peruicacia.*

*P. & dicentibus.

*Pathetica Caſ. oratio.*

†P. ad.

*Tragicus conatus.*

latum de sede, purpura, cæterisque quæ ad sacram inuestituram pertinent, funditus exuerunt. Tunc Rex confusione circundatus, ait ad eos: Videat Dominus & iudicet, quia iniquè agitis contra me. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, recipiens à Domino stateram æqui ponderis, ignominiam & confusionem, quantam nemo regum, qui ante me fuerunt, sustinuisse dinoscitur. Non vos tamen ideo immunes à peccatis, qui leuastis manus aduersus Dominum vestrum, & præuaricati estis iusiurandum quod iurastis: Videat Dominus & vlciscatur in vos, Deus, inquam, vltionum Dominus. Non consurgatis neque crescatis, neque prosperetur honor vester, sitque portio vestra cum eo, qui tradidit Christum Dominum. At illi obturantes aures suas, perrexerunt ad filium, deferentes ei Imperialia, firmantésque eum in regnum.

*Cæsaris exauctorati in aduersarios dira.*

## CAPVT XXXIII.

SVrrexit ergo filius aduersus patrem, & expulit eum à regno: ille fugiens à facie filii sui, peruenit ad Ducatum, qui dicitur Linthburg, pergens & accelerans, vt euaderet manus quærentium animam ipsius. Erat autem in regione illa Princeps nobilis, quem Cæsar, adhuc sui compos, ducatu de Linthburg destituerat, & alii dederat. Accidit ergo, vt idem princeps forte venationi deditus esset prope viam, cùm Cæsar transiret, comitatus viris nouem, animaduertitque, quia fugeret a facie filii sui. Iam enim aliquid auditum fuerat. Sedénsque in equo, assumptis militibus insecutus est regem velocius. Quem videns Cæsar, & reputans hostem, cœpit metuere de vita, & exclamans voce magna cœpit postulare veniam. At ille *: Malè, inquit, Domine erga me meruistis, qui supplicanti quondam omnem negastis gratiam, & abstulistis mihi ducatum meum. Hoc est, ait Cæsar, quod nunc luo, quia filius meus surrexit contra me, & depulsus sum ab omni honore meo. Videns ergo Princeps ille regem desolatum, miseratione commotus, ait ad eum: Licet quidem potestate vestra in me abusus fueritis, Deus tamen nouit, quia † magna super vos pœnitudine mouear. Impietas enim maxima aduersum vos commissa est, ab eis maximè, apud quos pius & beneficus semper extitistis. Quid ergo vobis videtur, éstne vobis inter Principes aliquis * relictus?

*Fuga à metu filii.* *Comitatus.* *Beneuolentia in hoste.* *D. regem agnoscens. †D. ex corde cōpatior. *D. auxiliator.

Cúmque Cæsar diceret se ignorare, eo quòd necdum esset tentatum, ille ait: Potens est Deus adhuc resarcire honorem vestrum, eo quòd iniquè actum sit aduersus vos. Facite ergo, quod suadeo, ascendite vrbem hanc, & habete corporis fessi curam, mittamúsque ad regiones & ciuitates, tentare, si possimus alicubi inuenire auxilium. Forsitan enim non ex toto defecit iustitia à filiis hominum. Nec mora, misit circumquaque pro militibus, collegitque quasi octingentos loricatos, assumptúmque Cæsarem perduxit in ciuitatem magnam, Coloniam. Colonienses verò receperunt eum. Quod cùm audisset filius, venit cum exercitu grandi, & obsedit Coloniam. Cúmque obsidio vehementer increscerct, Cæsar timens ciuitati, noctu elapsus fugit Leodium. Et conuenerunt illic ad eum omnes viri constantes, & quorum corda miseratio tetigerat. Perspectóque auxiliatorum numero, dimicare statuit. Quem cùm filius persequeretur in manu graui, ille egressus est in occursum eius ad aquas Mosanas. Rogauítque Principes & omne robur exercitus sui, dicens, Si fortissimus Deus nos hodie adiuuerit in prælio, factique fuerimus in conflictu superiores, seruate mihi filium meum, & nolite interficere eum. Commissum est ergo prælium, & præualens pater fugauit filium trans pontem, multique illic occisi gladio, plures aquis præfocati sunt. Rursus instauratum est prælium, & Cæsar senior victus, conclusus, comprehensus est. Quantas autem contumelias, quanta opprobria vir iste magnificus in illis diebus pertulerit, sicut relatu difficile, ita auditu lamentabile est. Insultabant ei amici, illudebant illi nihilominus inimici. Denique, vt aiunt, pauperculus quidam, sed literatus, coram omnibus adorsus est eum dicens: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ prius operabaris, iudicans

*Colonia.* *Leodium.* *Cæsar in armis.* *Pietas insignium.* *Prælium secundum.* *Cæsar iterato prælio victus, captus, & indignissimè habitus.*

dicans iudicia iniusta, opprimens iustum & dimittens noxium. Cui cùm astantes irascerentur, viri scilicet sensati, Cæsar compescuit eos dicens, Nolite, quæso, irasci in eum. Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis alienus? Sinite eum vt maledicat, quia voluntas Dei est. Erat autem illic Episcopus Spirensis, Cæsari quondam dilectissimus: nam & templum ingens Dei genitrici apud Spiram construxerat. Præterea ciuitatem & †Episcopum decenter promouerat. Dixit ergo Cæsar ad amicum suum Episcopum de Spira: Ecce destitutus regno, decidi à spe, nihilque mihi vtilius est, quàm renunciare militiæ. Da ergo mihi præbendam apud Spiram, vt sim famulus Dominæ meæ Dei genitricis, cui deuotus semper extiti. Noui enim literas, & possum adhuc subseruire choro. Ad quem ille: per matrem, inquit, Domini, non faciam tibi quod petis. Tunc Cæsar suspirans & illacrymans ad circumstantes ait, Miseremini mei, miseremini mei vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me. Mortuus est autem eo tempore Leodii, stetitque corpus eius inhumatum in capella quadam deserta quinque annis. Tanta enim seueritate Dominus Papa & cæteri aduersarii eius in ipsum vlti sunt, vt mortuum vel humari non finerent. O magna Dei iudicia, quæ completa sunt in tam præpotenti viro. Sperandum autem quòd caminus ille tribulationis decoxerit in eo scoriam, tulerit rubiginem: quoties enim in præsenti iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Fuit autem Ecclesiis admodum bonus, his videlicet quas sibi fideles persensit. Porrò Romanum antistitem Gregorium & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit. Impulit eum ad hoc, vt multi dicunt, grauis necessitas. Quis enim vel minimam honoris sui iacturam æquanimiter ferat? Legimus autem, quia multi peccauerunt, quibus tamen subuentum est pœnitentiæ remedio. Certè Dauid peccans & pœnitens, Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum iacens, orans, ac pœnitens, gratis pessundatus est, nec inuenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputauerint de his qui scierint, vel ausi fuerint. Vnum hoc scire licet, quia Romana sedes adhuc hodie luit factum illud. A tempore enim illo, quotquot regnant de stirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Ecclesias, ne resumant vires consurgendi aduersus Reges, nec inferre quæ intulerunt patribus eorum. Regnauit autē Henricus iunior pro patre suo, fuitq; concordia inter regnum & sacerdotium, sed non multo tempore. Nam nec ipse prosperatus est in omni vita sua, irretitus similiter vt pater eius à sede Apostolica. De quibus suo loco dicendum est. His ergo de perturbationibus Imperii, & variis Saxonum bellis necessariò prælibatis, eo quòd Slauis causam defectionis vel maximam præbuerint, iam nunc redeundum est ad historiam Slauorum, vnde longius digressus sum.

*AEquanimitas.* — †P.Episcopium. — *Spirensis ἀστοργία.* — *Iob.19.* — *Cæsaris mors, & denegata inhumatio.* — *Exclamatio.* — *Cæsaris in Ecclesias beneficentia.* — *Excusatio auctoris.* — *Talio.* — *Henricus v. Cæsar.*

## CAPVT XXXIIII.

FActum est autem, postquam Cruco Slauorum princeps, & Christiani nominis persecutor, confectus est senio, Henricus filius Godescalci egressus est Dacia, & reuersus est in terram patrum suorum. Cui cùm Cruco introitum præcluderet omnem, ille collecto de Danis simul atque Slauis *nauium numero, percussit Aldenburg, & omnem maritimam Slauorum prouinciam, duxitque de eis infinitam prædam. Et cùm hoc secundò & tertiò fecisset, factus est timor magnus omnibus Slauorum populis, insulas & littus maris habitantibus, adeo vt ipse Cruco præter spem Henricum ad pacis conditionem admitteret, & concesso introitu, villas ei opportunas ad habitandum concederet. Nec tamen hoc egit syncera intentione: virum enim iuuenem, fortem, & bellicosum, quem vi nequibat, fraude opprimere gestiebat. Vnde etiam per interstitia temporum accuratis conuiuiis animum eius explorabat, pertentans opportunum in-

*Cruco ab Henrico, Godescalci F. incursionib. vexatus.* — *D.magno. — *Insidiosè cū hoste pacificatur.*

fidiis locum. At illi ad cauendum nec consilium nec doli deerant.

*Slauina vxor studet hosti.*

Nam Domina Slauina, vxor Cruconis, sæpius illum † præmuniuit, denuncians insidias. Denique marito iam vetulo infensa, Henrico, si possibile foret, nubere affectabat.

† D. præmonuit.

*Cruconis cædes.*

Vnde etiam instinctu eiusdem fœminæ, Henricus inuitauit Cruconem ad conuiuium, quem multa potione temulentum, cùm æstuarium, in quo bibebant, incuruus exiret, Danus quidam de seruis securi percussit, & vno ictu caput amputauit.

*Henricus & vxore & finib. Cruconis potitus.*

Et accepit Henricus Slauinam in vxorem, & obtinuit principatum † & terram. Occupauítque munitiones, quas antè habuit Cruco, & reddidit hostibus suis vltionem.

† P. in terra.

*Iurat in verba Magni Ducis Saxõ.*

Accessit etiam ad Ducem Magnum, eo quòd cognatus eius esset, & magnificatus est apud eum, fecitque ei iuramentum fidelitatis ac subiectionis.

*Associat sibi Nordalbingos.*

Sed & Nordalbingorum populos, quos Cruco vehementer attriuerat, iste conuocauit in vnum, & iniit cum eis pactum firmissimum, nulla bellorum tempestate conuellendum. Et lætati sunt Holzatenses, necnon Sturmarii, cæterique Saxones, Slauis contigui, eo quòd corruisset hostis eorum maximus, qui tradidisset eos in mortem & in captionem, & in exterminium, & surrexisset pro eo princeps nouus, qui diligeret salutem Israel. Seruierúntque ei ex animo properantes cum eo ad varia bellorum pericula, parati cum eo aut viuere aut mori fortiter.

*Populare in Henricum bellum.*

Audientes ergo vniuersi Slauorum populi, ij videlicet, qui habitabant ad orientem & Austrum, quòd surrexisset inter eos Princeps qui dicat subiacendum Christianis legibus, & tributa Principibus soluenda, vehementer indignati sunt, conuenerúntque omnes vna voluntate & eadem sententia, vt pugnarent aduersus Henricum, & statuerunt in locum eius, qui erat Christicolis oppositus omni tempore. Nunciatúmque est Henrico, quia egressus est Slauorum exercitus ad destruendum eum,

*Magnus D. S. & Nordalbingi Henrici auxiliarii.*

& statim direxit nuncios ad accersendum Ducem Magnum, & fortissimos Bardorum, Holzatorum, Sturmariorum atque Thetmarchorum, qui omnes occurrerunt prompto animo & voluntario corde. Et progressi sunt in terram Polaborum in campum, qui dicitur † Zenilowe, vbi exercitus hostilis erat diffusus super latitudinem terræ.

† p. Suuilovve.

*Zenilovve.*

*Magni D. prouida cunctatio.*

Videns ergo Magnus, quia exercitus Slauorum grandis esset, & armis instructus, timuit congredi. Protractúmque est bellum à mane vsque ad vesperam, eo quòd internuncii tentarent pugnam conditionibus dirimere, Dux quoque expectaret auxilium militum, quos superuenturos sperabat. Factum est autem circa occasum solis, & ecce speculator ducis nunciat militiam armis instructam eminus accedentem, quibus visis Dux lætatus est.

*Victoria.*

Saxonibus augescunt animi, sublatóque clamore aggressi sunt prælium. Et perrupta est acies Slauorum, disiectíque per fugas, occisi sunt in ore gladii. Et facta est victoria illa Saxonum celebris, & recordatione digna, eo quòd adfuit dominus credentibus in se, & concluserit multitudinem in manu paucorum.

*Cœleste auxilium.*

Referunt ij, quorum patres interfuerunt, quia solis splendor iam occumbentis, obiectos Slauorum oculos in congressu adeò obtuderit, vt præ lumine nihil videre potuissent, fortissimo Deo hostibus suis, in minimo, maximum præbente offendiculum.

*Henrici apud populares gloria.*

Seruierúntque à die illa omnes illæ orientalium Slauorum nationes Henrico sub tributo, factúsque est apud Slauorum gentes notissimus, in his quæ ad honestatem & pacis bonum pertinent nobiliter clarens.

*Laudabilis resp. administratio.*

Præcepitque Slauorum populo, vt coleret vir agrum suum, & exerceret laborem vtilem & commodum, extirpauítque latrunculos & viros desertores de terra. Et exierunt Nordalbingorum populi de munitionibus, in quibus inclusi tenebantur, propter timores bellorum, & reuersi sunt vnusquisque in villam & possessionem suam, & reædificatæ domus & Ecclesiæ, bellorum tempestatibus dudum dirutæ.

*Vetus Lubeka.*

Porrò in vniuersa Slauia necdum erat Ecclesia vel sacerdos, nisi in vrbe tantùm, quæ nunc vetus Lubika dicitur, eo quòd Henricus cum familia sua sæpius illic moraretur.

## CAPVT XXXVI.

*Mors M. Ducis Saxon.* *Luderus, beneficio Cæsaris, eiusdem successor.* *†P. filios.* *Elice.* **P. de Ballenstede.* *Wulfhildis.* *Slauorum in Stormariã incursiones.* *Godefridus Comes.*

MOrtuus est post hæc Dux Saxoniæ Magnus, & dedit Cæsar Ducatum Ludero Comiti, eo quòd Magnus non haberet † filium sed filias. Quarum vna Eilike nomine nupsit Ottoni Comiti *, genuitque ei Adalbertum Marchionem, cognomento Vrsum. Altera verò filiarum Wulffildis nomine, data est Duci Bauariæ Catulo, quæ peperit ei Henricum Leonem. Luder autem obtinuit ducatum Saxoniæ, & gubernauit cum modestia tam Slauos quàm Saxones. Accidit autem in diebus illis, vt latrunculi Slauorum venirent in Sturmariam, & tollerent prædam de iumentis, & captiones hominum prope ciuitatem Hammenburg. Ad vocem autem clamoris surrexit comes prouinciæ illius, Godefridus, cum aliquantis ciuium de Hammenburg, & persecutus est latrones. Sentiens autem quia multi essent, substitit aliquantisper, donec veniret ei maius auxilium. Præteriens ergo rusticus quidam, cuius vxor & filii captiui ducebantur, increpauit Comitem dicens, Quid trepidas ô virorum vilissime? habes cor muliebre, non virile. Certè si videres vxorem tuam & filios abduci sicut meos, non subsisteres. Propera, festina, libera captiuitatem, si de cætero in terra honorari volueris. His verbis irritatus Comes, abiit velociter sequens hostes. At illi posuerant post se insidias, & cùm præteriret Comes cum paucis, surrexerunt insidiæ de locis suis, percusseruntque Comitem, & cum eo viros quasi viginti, & abierunt via sua, cum præda quam rapuerant. Prouinciales pariter insequentes, inuenerunt Comitem interfectum, caput verò eius non repererunt, eo quòd desectum Slaui illud secum duxissent. Quod postmodum multo precio redemptum, in patriis reconditum est sepulchris.

*Agricolæ importuna confidentia.* *Godefridi cædes.*

## CAPVT XXXVII.

*Adulfus Schaumburgius Godefridi successor.* *Henricus Obotritus.* *Lubeca.* *Rugiani iidem qui Rani & Rimi.* *Eorundem sedes.* *† P. Runi.* *Religio idololatrica.* *Dignitas inter populares.* *Veneratio erga Sacerdotes.* *Cupiditas dominandi.* *Hẽrici Obotriti magnanimitas.*

COmitiam vacantem dedit Luderus Dux nobili viro Adolfo de Scowenburg. Fuitque pax inter Adolphum Comitem, & principem Slauorum Henricum. Quodam ergo tempore cùm Henricus resideret in vrbe Lubeke, ecce improuisus superuenit exercitus Rugianorum siue Ranorum, subuectique per alueum Trabenæ, vrbem nauibus circundederunt. Sunt autem Rani, qui ab aliis † Rimi appellantur, populi crudeles, habitantes in corde maris, idololatriæ supra modum dediti, primatum præferentes in omni Slauorum natione, habentes regem, & fanum celeberrimum. Vnde etiam propter specialem fani illius cultum, primum venerationis locum obtinent, & cùm multis iugum imponant, ipsi nullius iugum patiuntur, eo quòd inaccessibiles sint propter difficultatem locorum. Gentes quas armis subegerint, fano suo censuales faciunt. Maior flaminis quàm regis veneratio apud ipsos est: qua sors ostendit, exercitum dirigunt. Victores aurum & argentum in ærarium Dei sui conferunt, cætera inter se partiuntur. Hi ergo dominationis libidine prouocati, venerunt Lubeke, veluti possessuri omnem Wagirensium & Nordalbingorum prouinciam. Videns autem Henricus improuisum obsidionis malum, dixit ad principem militiæ suæ: Consulendum est saluti nostræ, & virorum qui nobiscum sunt, & necessarium mihi videtur vt exeam ad contrahenda auxilia, si fortè possim vrbem obsidione liberare. Esto ergo vir fortis, & conforta bellatores qui in hac vrbe sunt, & seruate mihi vrbem vsq; in diem quartum. Tunc enim vita comite, apparebo super montem illum. Et elapsus noctu cum duobus viris, venit in terram Holsatorum, nuncians eis imminens periculum. At illi in vnum conglobati, occurrerunt cum eo ad prælium, venerúntque prope munitionem, quæ expugnabatur ab hostibus. Et collocauit Henricus socios in latibulis, præcepitque eis in silentio esse, ne fortè hostes audirent vocem multitudinis, aut hinnitum equi. Auulsúsque à sociis, vno tantùm contentus

*Fuga nocturna.* *Auxilia.* *Fides erga suos.*

*Stratagema. — Victoria. — Raniberg. — Cal. Augusti consecrata. — Henrici Obotritis potẽtia & regia dignitas.*

seruo, venit ad locum, quem præfixerat, vnde videri posset ab vrbe. Cuius faciem præfectus vrbis callidè obseruans, ostendit eum amicis, quorum animi consternati erant. Nam fama pertulerat ad eos, quòd Henricus nocte qua egressus est, captus esset ab hostibus. Contemplatus ergo Henricus suorum periculum, & obsidionis feruorem, reuersus est ad socios, dissimulatóque itinere, circumduxit exercitum per viam maris, vsque ad ostium Trabenæ, descenditque per viam, qua Slauorum equites descendere debebant. Vbi ergo Rani viderunt multitudinem per iter maris descendentem, putabant equites suos esse, exierúntque de nauibus in occursum eis cum gaudio & plausu. At illi sublato clamore in oratione & hymnis, insiluerunt in hostes subito, & perterritos inopinato casu, ad naues vsque propulerunt. Et facta est ruina magna in exercitu Ranorum in die illa, ceciderúntque interfecti coram castro Lubeke, nec fuit minor numerus eorum, qui aquis præfocati sunt, quàm occisorum gladio. Fecerúntque tumulum magnum, in quo proiecerunt corpora mortuorum, & in monumentum victoriæ, vocatus est tumulus ille, Raniberg, vsque in hodiernum diem. Magnificatúsque est Dominus Deus in manu Christianorum in die illa, statuerúntque vt dies Calendarum Augusti celebretur omnibus annis, in signum & recordationem, quòd percusserit Dominus Ranos in conspectu plebis suæ. Seruierúntque Ranorum populi Henrico sub tributo, quemadmodum Wagiri, Polabi, Obotriti, Kycini, Circipani, Lutici, Pomerani, & vniuersę Slauorum nationes quę sunt inter Albiam, & mare Balticum, & longissimo tractu portenduntur vsque ad terram Polonorum. Super omnes hos imperauit Henricus, vocatúsque est rex in omni Slauorum & Nordalbingorum prouincia.

## CAPVT XXXVIII.

*Brizani. Stoderani. — Henricus armat se in hostem. — Obsidet Hauelbergam. — Mistue, Henrici F. — Lini Slaui incursione hostilis vexati. — Necessitas in virtutem conuersa. — Henricus ex sententia cũ hoste pacificatur.*

CVm ergo vice quadam Brizanorum & Stoderanorum populi, hi videlicet qui Hauelberg & Brandenburg habitant, rebellare pararent, visum fuit Henrico, armis aduersus eos vtendum, ne fortè duarum gentium insolentia toti Orienti rebellionis materiam parturiret. Perrexit ergo cum amicissimis suis Nordalbingorum armatis, peragránsque Slauorum prouinciam, cum ingenti periculo venit Hauelberg, eámque obsidione vallauit. Præcepitque omni Obotritorum populo, vt descenderent ad expugnationem vrbis, & creuit obsidio in dies & menses. Interea perlatum est ad Mistue, filium Henrici, quòd gens quædam foret è vicino, fertilis omnibus bonis, habitatoré sque eius quieti, & nullius turbulentiæ suspecti. Porrò Slaui illi dicti sunt Lini, siue Linoges. Assumpsitque secum ducentos Saxonum, & trecentos Slauorum, omnes electos, & abiit inconsulto patre, iter bidui, per angustias nemorum, & difficultates aquarum, & paludis maximæ, irruitque super securos & improuidos, & duxit ex eis infinitam prædam, & captiuitatem hominum, abierúntque onusti. Cúmque maturantes reditum, difficiliora paludis transirent, ecce circumiacentium locorum incolæ pariter conglobati, ad pugnam proruunt, volentes captiuitatem liberare. Videntes ergo ij qui erant cum Mistue, se immensa multitudine hostium circumfusos, viámque ferro aperiendam, adhortati sunt se mutuo, totisque viribus enisi, omnem obsistentium multitudinem peremerunt in ore gladii, præterea Principem eorum captiuum secum abduxerunt, venerúntque ad Henricum & exercitum, qui erat in obsidione, cum salute victoriam & diuitias maximas reportantes. Post paucos autem dies Brizani, cæterique rebelles, pacem postulauerunt, datis obsidibus, quos Henricus voluisset. Atque in hunc modum sedatis rebellibus, Henricus ad sua reuersus est, Nordalbingorum quoque populi ad sedes suas reuersi sunt.

## CAPVT XXXIX.

*†D. filiorũ. Woldemarus, Henrici F. à Rugianis peremt⁹.*

ACcidit post hæc, vt vnus † filius Henrici, Woldemarus nomine, occideretur à Ranis.

*In eosdem Henrici expeditio.*

Ranis. Quamobrem pater dolore pariter & ira permotus, omnem animum intendit ad rependendam talionem. Misitque nuncios in vniuersas Slauorum prouincias, ad contrahenda auxilia, conuenerúntque omnes pari voluntate, eadémque sententia, vt parerent iussionibus regis, expugnaréntque Ranos, & fuerunt innumerabiles, vt arena maris.

*Auxilia Saxonum.*

Nec his contentus, misit ad accersendos Saxones, eos scilicet qui de Holsatia & Sturmaria sunt, commonens eos priuatæ amicitiæ. Et secuti sunt eum pleno corde, numero quasi mille sexcenti.

*Trabena.*

Transitóque flumine Trabena, abierunt per longissimos fines Polaborum, & eorum qui dicuntur Obotriti, quousque peruenirent ad Panim fluuium.

*Wolgast elegantioribus Iulia Augusta.*

Quo transmisso, duxerunt iter ad vrbem, quæ dicitur Woligast, apud vrbaniores vocatur Iulia Augusta, propter vrbis conditorem Iulium Cæsarem. Illic inuenerunt Henricum expectantem eos. Et pernoctauerunt ibi, figentes castra non longè à mari.

*Henrici ad Saxones militaris concio.*

Mane autem facto, conuocans Henricus populum in concionem, allocutus est eos, dicens: Magna vobis, ô viri, debetur gratia, qui ad ostensionem beneuolentiæ vestræ & fidei inuictæ, longius venistis, laturi nobis opem contra hostes sæuissimos. Sæpius quidem accepi gustum audaciæ vestræ, & fidelitatis experientiam, quæ in diuersis periculis mihi frequens lucrum, vobis gloriam parturisse dinoscitur: & nihil ita elucet, sicut huius deuotionis exhibitio, semper memoriter retinenda, semper omni studio promerenda. Notum ergo vobis cupio, quòd Rani, ad quos modò tendimus, directis ad me nocte nunciis, ducentis Marcis pacem obtinere quærunt. Super hac re nihil mihi sine vestro consilio definiendum est: si decreueritis acceptandum, acceptabo; si recusandum, recusabo.

*Responsum Saxonum.*

Ad quod responderunt Saxones, dicentes: Nos quidem, ô Princeps, licet numero pauci simus, honoris tamen atque virtutis cupidi, gloriam, pro quæstu maximo duximus. Ranos ergo, qui filium tuum occiderunt, pro ducentis Marcis in gratiam recipiendos nostro consilio dicis? Reuera nomini tuo magno condigna satisfactio. Absit à nobis talis iniuria, vt vnquam facto huic assentiamur. Nec enim ideo vxores, filios, denique patrias sedes reliquimus, vt hostibus cauillationem, & filiis nostris opprobrium sempiternum hæreditemus. Quin potius perge vt cœpisti, transi mare, vtere ponte quem strauit tibi bonus artifex, admoue inimicis tuis manus. Videbis gloriosam mortem nobis esse maximo lucro. His adhortationibus animatus Princeps, mouit castra de loco illo, & perrexit ad mare. Tractus autem ille maris contractior, & qui visu traijci potest, eo tempore stratus erat glacie firmissima, propter rigorem hyemis.

*Slauorum auxilia.*

Statimque vbi transmissis syluis & arundinetis, venerunt super mare, ecce illic agmina Slauorum de vniuersis prouinciis, diffusa erant super faciem maris, distincta per vexilla & cuneos, expectantia iussionem regis. Erátque exercitus ille grandis valde. Omnibus ergo cautè & ordinatè per singulas acies consistentibus soli duces egressi sunt ad salutandum regem, & exercitum peregrinum, & pronis vultibus adorauerunt. Quos resalutans Henricus, & adhortans, cœpit percunctari de itinere, & qui nam in processu deberent esse primi.

*Saxones è maiorũ institutis primũ in agmine locum deposcunt.*

Singulis autem ducibus certatim se offerentibus, responderunt Saxones, dicentes, Nostri iuris esse dinoscitur, vt ad bella procedentium nos primi, redeuntium nouissimi inueniamur. Legem ergo à patribus traditam, & hactenus possessam, hoc etiam loco minimè negligendam arbitramur. Et annuit eis Rex. Licet enim Slauorum multus esset numerus, Henricus tamen se non credebat eis, eo quòd ipse nosset omnes.

*Iter in glacie.*

Leuatis ergo signis, Saxones præierunt in fronte, cætera Slauorum agmina suis ordinibus subsecuta sunt. Et tota die ambulantes in glacie & niue multa, circa nonam tandem apparuerunt in terra Rugianorum. Statimque villæ littori contiguæ, inflammatæ sunt.

*Speculator Saxo, eiúsque ad virtutẽ cohortatio.*

Dixit autem Henricus ad socios: Quis ibit ex nobis speculari, vbi sit exercitus Ranorum. Videtur enim mihi quasi videam eminus multitudinem appropinquantem nobis. Missus ergo cum aliquantis Slauis, Saxonum speculator, in momento reuersus est, nuncians hostes adesse. † Dixitque ad socios, Mementote ô viri

*† D. Henricus autem dixit.*

vnde venistis & vbi consistitis, ecce mensa posita est ad quam æquo animo nobis accedendum est, nec est locus subterfugij, quin oporteat nos participari deliciis eius. Ecce mari vndique conclusi sumus, hostes ante nos, hostes post nos, periitque à nobis fugæ præsidium. Confortamini ergo in Domino Deo excelso, & estote viri bellatores, quia vnum è duobus restat, aut vincere aut mori fortiter.

*Rugiani prece & precio pacem redimunt.*

Instruxit ergo Henricus aciem, ipse constitutus in fronte cum robustissimis Saxonum. Videntes ergo Rugiani impetum viri, timuerunt timore magno, miseruntque flaminem suum, qui cum ipso de pace componeret. Primo ergo quadringentas, deinde octingentas Marcas obtulit. Cúmque exercitus remurmuraret indignans, vrgeréntque aciem ad congressum, corruit ille ad pedes principis dicens: Ne irascatur Dominus noster super seruos suos. Ecce terra in conspectu tuo est, vtere ea vt libet, omnes in manu tua sumus, quicquid imposueris feremus. Quatuor ergo millibus & quadringentis Marcis pacem indempti sunt, acceptísque obsidibus *in terram suam reuersus est, dimisitque exercitum vnumquenque in sua. Misit autem nuncios in terram Rugianorum ad suscipiendam pecuniam quam promiserant. Porro apud Ranos non habetur moneta, nec est in comparandis rebus consuetudo numorum, sed quicquid in foro mercari volueris, panno lineo comparabis. Aurum & argentum quod forte per rapinas & captiones hominum vel vndecunque adepti sunt, aut vxorum suarum cultibus impendunt, aut in ærarium Dei sui conferunt. Posuit ergo eis Henricus in appensione, stateram grauissimi ponderis. Cúmque exhausissent ærarium publicum, & quicquid in priuatis suis auri vel argenti habuerant, vix medietatem * persoluerunt, puto statera delusi. Quamobrem iratus Henricus quòd promissa ex integro non persoluissent, parauit secundam profectionem in terram Rugianorum. Accitóque duce Ludero proxima hyeme, quæ mare peruium reddidit, intrauit terram Rugianorum cum magno Slauorum & Saxonum exercitu. Víxque tribus noctibus illic remanserant, & cœpit hyems resolui, & glacies liquescere. Contigítque vt imperfectis rebus reuertentes marina pericula vix euaserint, & non adiecerunt Saxones vltra intrare terram Ranorum, eo quòd Henricus modico superuiuens tempore, morte sua controuersiæ finem dederit.

**D. Henricus.*

*Carent moneta.*

**P. pecuniæ.*

*Iterata Henrici sed irrita in Rugianos expeditio.*

## CAPVT LX.

*Luderus Dux Sax. Henricus V. Cæsar.*

**D. ab.*

FVit autem circa hos dies bellum potens Henrico Cæsari contra Ducem Luderum & Saxones. Henricus enim iunior vbi depulso vel potius extincto patre obtinuit Monarchiam Imperii, vidit quia vniuersa terra quiescit in conspectu eius, fecítque * vniuersis Principibus iurari expeditionem Italicam, volens iuxta morem assequi plenitudinem Imperialis honoris de manu summi Pontificis. Transcensísque Alpibus, †perrexerunt Romam cum ingenti armatorum multitudine. Dominus † enim Papa Paschalis audito introitu eius, non modicè lætatus est, misítque ad circumiacentes regiones accersere numerosum Clerum, quatenus regem honorabiliter venientem, ipse honoratior exciperet. Susceptus est ergo cum magno cleri vrbísque tripudio. Vbi autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Dominus Papa iuramenta, quatenus in Catholicæ fidei obseruantia integer, in Apostolicæ sedis reuerentia promptus, in Ecclesiarum defensione solicitus existeret. Sed rex superbus, iurare noluit, dicens Imperatorem nemini iurare debere, cui iuramentorum sacramenta ab omnibus sint exhibenda. Facta est ergo contentio inter Dominum Papam & Regem, & interceptum est opus consecrationis. Statim armatus regis exercitus efferatus est in iram, inieceruntque manus in Clerum, & spoliauerunt eos vestibus sanctis, quasi lupi grassantes inter ouilia. His auditis Romani proruunt ad obsistendum, eò quòd viderent iniuriari Clerum, ortúmque est bellum in domo Beati Petri tale, quale non est auditum ab annis antiquis. Præualuit autem exercitus Regis, attriuerúntque Romanos interfectione magna nimis, nec fuit discretio Cleri &

*Expeditio eius Italica.*

*†P. prexit.*

*†P. verò.*

*Paschalis II.*

*Cæsar iuramentum à Papa oblatum repudiat.*

*Seditio.*

*Strages in clerum & populum.*

ti & vulgi, omnia deuorante gladio. Ibi pugnauit robustissimus quisque, quousque obrigesceret gladius in manibus eius. Et repleta est domus sanctificationis morticinis & cadaueribus, profluxeruntque de aceruis mortuorum riui sanguinis, adeo vt Tyberina fluenta mutarentur in colorem sanguinis. Sed quid multis immoror? Dominus Papa & cæteri qui occisioni superfuerant, in captiuitatem ducti sunt. Videres ergo Cardinales funibus in colla missis nudos trahi, vinctis post terga manibus, & de ciuibus immensas cathenatorum cateruas duci. Postquam ergo profecti de Roma venerunt ad primæ mansionis locum, accesserunt quidam Episcopi & Religiosi ad Dominum Papam dicentes ad eum: Magnus dolor est cordi nostro sanctissime Pontifex de tanto facinore, quod commissum est contra te & clerum tuum, & ciues vrbis tuæ. Sed mala hęc, exigentibus peccatis nostris improuisa magis quàm deliberata fuerunt. Assentire ergo nobis, & complacare Domino nostro, vt & ipse complacetur tibi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ. Quibus ille respondit: Quid dicitis, ô dilecti fratres? Virum hunc iniquum, virum sanguinum & dolosum, à nobis consecrandum dicitis? Benè expiauit manus suas ad percipiendam consecrationem, qui aras Dei perfudit cruore sacerdotum, & domum sanctificationis repleuit cadaueribus interfectorum. Absit à me verbum hoc, vt ego consentiam consecrationi eius, qui seipsum execrabilem reddidit. Cúmque illi dicerent, cautum esse saluti suæ & eorum qui erant in captiuitate, vt regem placaret, respondit cum magna libertate dicens, Non timeo Dominum vestrum regem. Occidat corpus, si vult, amplius non habet quod faciat. Multum quidem prosperatus est in cæde ciuium & Cleri sui, sed dico vobis in veritate, quia de cætero non assequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus suis, sed nec filium generabit, qui sedeat in throno eius. Cúmque hæc renunciata fuissent in conspectu regis, exarsit in iracundia magna, iussitque omnes captiuos decollari in facie Domini Papæ, vt vel per hoc deterreret eum. Ille verò instanter hortabatur eos mori fortiter pro iustitia, promittens eis æternæ vitæ immarcessibilem coronam. At illi vnanimiter prouoluti pedibus eius, orabant dilationem vitæ. Tunc beatissimus Pontifex suffusus lachrymis, contestatus est cordium inspectorem, se malle mori quàm cedere, si non præpediret omnibus Christi iure impendenda compassio. Fecit ergo quod necessitas imperârat, & promisit se regem consecraturum, vt captiuitas relaxaretur. Reuersique in vrbem Dominus Papa & Cardinales fecerunt regi secundum voluntatem eius, extorto quidem obsequio, dederúntque ei priuilegium super omnibus quæ desiderauerat anima eius.

*Papa capt⁹.* *Monetur pacificari cum Cæsare.* *Peruicacia Papalis.* *Cæsaris indignatio.* *Papa cedit suorum precibus.* *Inangurat Cæsarem.*

## CAPVT XLI.

POstquam ergo arrepta benedictione Imperator Teutonicas reuisit terras, collecta est in vrbe Roma Synodus centum viginti patrum, vbi Dominus Papa acrius incusatus est, pro eo quòd regem sacrilegum, capto summo Pontifice, tractis Cardinalibus, fuso sanguine Cleri & ciuium, ad imperiale culmen prouexerit, insuper constitutiones Episcoporum, quos patres sui Ecclesiastico iuri vsque ad mortes & exilia defensauerint, huic omnium indignissimo etiam priuilegio stabilierit. Ille prætendere cœpit necessitatis articulum, maximáque pericula minori dispendio intercepta, strages plebium, incendia vrbis non aliter posse restringi, se quidem peccasse, sed impulsum: emendaturum se hanc noxam, secundum quod imperaret sanctum concilium. Accepta ergo satisfactione, accusantium refriguit feruor, definitoque consilio, extortum illud priuilegium non priuilegium, immo prauilegium vocitandum, ideóque anathemate rescindendum sanxerant, ipsum præterea Imperatorem à liminibus sanctæ Ecclesiæ sequestrandum censuerunt. Currit hæc fama per orbem vniuersum, omnésque quos nouarum rerum cupido trahebat accepta quacunque occasione, rebellionis aggressi sunt molimina. Inter quos præcipuus erat famosus ille Adalbertus, Moguntinus Episcopus, sociatis sibi quàm plurimis, maximè verò Saxonum

*Synodus Romana aduersus Henricum v.* *Eiusdē decretum.* *Adalbertus Moguntinus, fax belli,*

*Eiusdē complices Principes Saxon. Prælia Saxon. aduersus Henricū IIII. Mogūtinus in vincula coniectus. Saxonia vastata. Luderus D. S. & socii in armis. Welfesholtz.*

Principibus, quos ad defectionē partim necessitas, partim etiam rebellionū vetus consuetudo illexerat. Siquidem præter noua bella, quæ tunc parabantur, cum fortissimo viro seniore Henrico nouies olim conflixerant. Sed quid multis immoror? Sentiens Imperator omnem iam Saxoniam à se deficere, & conspirationum virus latius serpere, primo omnium ipsum autorem rebellionis Moguntinum cepit episcopum. Deinde toti infusus Saxoniæ, prouinciam eorum maxima strage peruasit, principibus eorum occisioni aut certè captiuitati traditis. Tunc ij qui superstites fuerant de principibus Saxonum, videlicet Luderus Dux, Reingerus Haluerstadensis Episcopus, Fridericus, Comes de Arnesberg, multique nobiles conglobati in vnum, imperatori denuo in Saxoniam cum exercitu redeunti occurrerunt in loco, qui dicitur Welpesholth, produxerúntque exercitum suum aduersus exercitum regis, licet impares numero: tres enim cōtra quinq; pugnauerunt. Commissúmque est prælium illud nostra ætate famosissimum Calendis Februarii, quo Saxones superiores inuenti virtutem regis attriuerunt. Cecidit in eo bello Hogerus princeps militiæ regis, natus & ipse in Saxonia, destinatus ad Ducatum Saxoniæ, si res prosperè cessissent. Tunc Saxones propter victoriam animis subleuati, perpendentes Cæsaris iram non facilè impunitatem tantæ calamitati præbituram, frequentibus colloquiis causam suam muniuerunt, seditiones, quæ intra prouinciam erant, fœderibus conciliant, aliunde auxiliantium manus consciscunt, postremo ne complices fœdera rumpant, omnes in defensionem patriæ, arma coniurant.

*Prælium acre & cruentum. Hoierus Mansfeldi' Cæsarianarum copiarum ductor. Saxonū noua fœdera.*

*Adelbertus Mogūtinus per vim è carcere eductus. Eiusdē vindictæ cupiditas. Cæsar Longobardiam petit, & de expiatione agit. Mors Paschalis, & inde nouum schisma. Gelasius.*

Quid dicam de Moguntino, qui super omnes aduersus Imperatorem desæuiit? Is enim ciuium suorum, qui Cæsarem Moguntiæ obsederant, studio carcere erutus, & sedi suæ restitutus, quantas mortes in captiuitate pertulerit, nō tam exesi corporis specie, quàm vltionis acerbitate expressit. Qui etiam legatione sedis Apostolicæ functus, frequentibus conciliis Episcoporum aliorúmque quos iustitiæ species induerat, excommunicationis verbum in Cæsarem deponebat. His motionibus exacerbatus Cæsar, transiit in Longobardiam cum vxore sua Mathilde, filia regis Angliæ. Transmisitq; Legatos ad Dominum Paschalem Papam, oraturus veniam super excommunicationis verbo. At ille distulit causam ad audientiam sancti concilii, legitimas regi præfigens inducias, laxatóque interim excommunicationis vinculo. Obiit interea Paschalis, cui substituit Cæsar Burdinum quendam, reprobato Gelasio, quem Canonica electio statuerat. Factúmque est denuo schisma in Ecclesia Dei. Gelasius enim fuga elapsus, in regno Francorum mansit vsque ad diem mortis suæ. Longum est ergo per singula replicare turbulentias temporis illius, nec est temporis huius talium explanatio. Slauorum autem historia, vnde longius digressus sum, reditum perurget, quorum vtique conuersionem Henriciani Cæsares non modicè retardarunt, domesticis videlicet pręgrauati. Qui verò actus eorum, & terminum schismatis huius plenius nosse desiderat, legat historiarum Magistri Eggehardi librum quintum, quem ad Henricum iuniorem describens, bona eius amplissima laude extulit, ad malefacta aut omnino tacuit, aut in melius interpretatus est.

*Eccardus historicus.*

*Otho Bambergensis, Apostolus Pomeranorū. Boleslaus, Dux Poloniæ. Werceslaus Princeps Pomeran.*

Nec tamen prætereundum reor, quòd in diebus illis claruit vir insignis sanctitate Otto Bauenbergensis Episcopus, qui inuitante pariter & adiuuante Bolizlao, Polonorum Duce, Deo placitam adiit peregrinationem ad gentem Slauorum qui dicuntur Pomerani, & habitant inter Odoram & Poloniam. Prædicauítque Barbaris verbum Dei, Deo cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Omnémque gentem illam cum principe eorum Werczlauo conuertit ad Dominum, permanétque fructificatio diuinæ laudis illic vsque in hodiernum diem.

## CAPVT XLII.

1126.

*Mors Henrici V. Luder', seu Lotharius Saxo, Cæs.*

ANno, post hæc, incarnati verbi M.C.XXVI. obijt apud Traiectum Henricus Cæsar, & successit in solium regni Luderus, Saxonum Dux. Indignati autem Francigenæ, virum Saxonem eleuatum in regnum, conati sunt alium susci-

tare

tare regem, Conradum videlicet, consobrinum Henrici Cęsaris. Præualuit autem pars quæ fuit cum Ludero, abiensq́; Romam promotus est ad apicem Imperij per manus Innocentij Papæ. Quo etiam suffragante, Conradus eo vsq; propulsus est, vt se traderet in potestatem Luderi, qui & Lotharius. Factusq́; est ex hoste amicissimus. Cœpitq́; in diebus Lotharij Cæsaris oriri noua lux, non tam in Saxoniæ finibus, quàm in vniuerso regno, tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum & sacerdotium. Sed & Slauorum populi agebant ea quæ pacis sunt, eo quòd Henricus Slauorum Regulus comitem Adolphum, & contiguos Nordalbingorum populos omni beneuolentia amplexatus fuerit. In diebus illis non erat Ecclesia vel Sacerdos in vniuersa gente Luticiorum, Obotritorum vel Wagirorum, nisi tantum in vrbe Lubeke, eo quòd illic fuerit Henrici familiare contubernium. Surrexit eo tempore Sacerdos quidam Vicelinus nomine, & venit ad regem Slauorum Lubeke, rogauitq́; dari sibi facultatem prædicandi verbum Dei, infra terminos ditionis eius. Quis autem fuerit vir iste quantæq́; opinionis, multorum qui adhuc supersunt, habet noticia. Sed ne posteros lateat, huic narrationi inserendum arbitror, eo quòd datus sit in salutem gentis huius, directas facere semitas Dei nostri in natione praua & peruersa.

*Conradus Sueuus.*
*Felix Lotharii imperium.*
*Henricus Obotritus.*
*Regia eius Lubeca.*
*Vicelinus.*

## CAPVT XLIII.

Vicelinus itaq; Mindensi Parochia oriundus, in villa publica, cui nomē Quernhamele, quæ sita est in ripa Wiseræ, genitus est parentibus morum magis honestate quàm carnis & sanguinis nobilitate ornatis. Literarum rudimentis apud Canonicos eiusdem loci institutus est, neglectus tamen penè ad virilem ætatem, eo, quòd parentibus orbus, adolescentiæ annos, vt ea assolet ætas, leuis & lubricus exegerit. Patria tandem domo exemptus, diuertit in castellum non longè positum cui nomen Euerstein, vbi nobilis Domina, mater Conradi Comitis, iuuenem desolatum miserata, aliquandiu tenuit, misericorditer fouit, adeo vt sacerdos castri videns & inuidens, occasiones quæreret quibus eum castro deturbaret. Quadam ergo die multis arbitris coràm positis, interrogauit Vicelinū, in scholis positus quid legisset? Illo perhibente se Statij libros Achilleidos legisse, consequenter requisiuit, quæ esset materia Statij. Sed cùm diceret se nescire, Sacerdos nimium mordaciter ad circumstantes, Heus, inquit, ego iuuenem hunc de recenti studio venientē putabam aliquid esse, sed opinione delusus sum. Iste enim penitus nullius momenti est. Sed quia scriptum est, verba sapientium stimuli, & quasi claui in altum defixi, tantæ cauillationis verbum modestia iuuenis extimuit. Statimq́; castello sese proripiens, etiam sine valedictione discessit, tantis lacrymis inundans, & verecundiæ punctiones sustinens, vt vix cuiquam opinabile sit. Audiui eum sæpenumero dicentem, quia ad verbū illius Sacerdotis respexerit eum misericordia diuina. Abijt ergo Patherburnen, vbi tunc fortè studia literarum florebant sub nobili Magistro † Harthmanno. Cuius etiam mensa & contubernio vsus, quàm plurimis annis, tanto feruore, tanta denique instantia studuit, vt non facilè explicari possit. Crebro enim veluti ad quandam desudans mente palæstram, artibus edomitum subdidit ingenium. Non hunc ludi, non epulæ cœpto proposito detraxerunt, quin aut legeret, aut dictaret vel certè scriberet. Chori præterea diligētissimus curator extitit, inter primitias † adolentis religionis deseruire Deo, suaue piumq́; putans. Videns ergo egregius magister, discipulum atq; contubernionem suum, super vires laborare, sæpius ait ad eum: O Viceline, præcipitanter agis, pone modum studijs: nam temporis adhuc multum superest, quo plurima discere possis. Ille nihil motus his verbis, ecce recordor, ait, Me libris tardas applicuisse manus, Festinare decet patitur dum tempus & ætas. Dedit autē Dominus viro illi intellectum & cor docile, supercrescensq́; socios, in breui factus est in scholis regendis † Magistro adiutor. Præerat ergo socijs in solicitudine, instituens tam doctrina quàm exemplo. Orationi etiam interdum vacans, omnium sanctorum suffragia efflagitabat, præcipuè verò beati Nicolai, cuius obsequio specialius sese mancipârat. Vnde & contigit vt

*Quernhamela patria Vicelini.*
*Eiusdē adolescentia studia.*
*Euerstein.*
*Inuidia.*
*Padeborna.*
† P. Hermanno.
*Hartmanus.*
*Mirifica Vicelini diligentia.*
*Pietas.*
† P. adolescentis.
*Vicelinus boni præceptoris exemplum.*
† P. Magistri coadiutor.
*Colit S. Nicolaum pro tutelari numine.*

vice quadam eiuſdem ſancti natalitia celebraturus in Oratorio Sanctæ Brigittæ ſocios † *[† P. concitauerit.]* conſciuerit. Vbi veſpertino & matutino officio ſolenniter expleto, angelicæ voces à quibuſdam auditæ ſunt, *[Superſtitio.]* pſallentes iuxta morem cleri reſponſorium, Beatus Nicolaus iam triumpho potitus. Acceſſit ergo Vicelino gaudium de miraculo, & de gaudio cumulata deuotio.

## CAPVT XLIIII.

*[† P. incitamentum.]* CÆterum eidem viro diuino famulatu imbuendo, nobile præbuit virtutis † incrementum illa celebris fama auunculi ipſius Ludolphi, ſacerdotis de Fenle, *[Ludolphus Vicelini auunculus.]* qui ſummæ ſanctitatis vir, magnuſq; confeſſor, frequentabatur à populis regionis confitentium peccata ſua, & remedio pœnitentiæ venturam iram declinare cupientium. Ad quem & ipſe accerſitus ſæpius acceſſit, inſiſtens abluendis per confeſſionem proprijs criminibus, *[Sacerdotem qualem eſſe conueniat.]* conſiderauitq; in ſacerdote naturæ ſimplicitatem, innocentiam vitę, & ſuper omnia eleemoſynarum largitatem, ſtatumq; vitę nulla diſſolutione labefactatum. Qui etiam venerabilis ſacerdos ætate iam decrepitus, ſed vigore ſpiritus integer, vbi ægritudine mortali decubuit, miſit ad accerſendos ſacerdotes, & religioſos quoq;. *[Vnctio.]* Impetrato ſacræ vnctionis officio, conqueſtus eſt ſe fraudatum præſentia dilectiſſimorum ſuorum Rodolfi Hildenemenſis Canonici & Vicelini. Nec mora ad vocem precantis vterq; inopinatus aduenit, reperiuntq; virum Deo dilectum exitus ſui horam cum magna deuotione operientem. A quo etiam recogniti, cum gratiarum actione ſuſcepti ſunt. Nocte ergo ſuprema Deo in oratione colloquens, appropinquante iam diluculo, iuſſit ſibi à Diacono legi paſſionem Dominicam, qua intentius audita, celeriter adorſus eſt Diaconum, Affer mihi, inquit, velociter viaticum ſalutare, iam enim adeſt hora migrandi. Statimq; *[φάσμα.]* participans viuificis myſterijs, dixit aſtantibus: Ecce veniunt qui me deducturi ſunt, ecce veniunt nuncij Domini mei, ſubleuate me de lecto. Quibus attonitis, Quid trepidatis, inquit, ô viri? Nonne videtis nuncios Domini mei omnes adeſſe? *[Ludolphi mors.]* Statimq; anima illa carne ſoluta eſt. Mane ergo facto conuenientibus multis ad ſepulturam tanti viri, orta eſt diſceptatio de ſepultura eius, populo quidem eum in Eccleſia, familiaribus verò eius in atrio, vt ipſe iuſſerat, ſepeliri volentibus. Offertur *[Iuſta.]* interim pro anima eius hoſtia ſalutaris, cùm Theodoricus quidam, qui adhuc ſupereſt, propter vigilias funeris ſopore grauis lecto decubuit, viditq; ſibi aſſiſtere *[Sepultura à ſomnio.]* virum reverendi habitus, & dicentem: Quouſq; dormitas? Surge & fac ſepeliri ſacerdotem, vbi populus eius decreuit. Præualuit ergo ex beneplacito Dei poſtulatio populi, ſepelieruntq; eum infra muros eccleſiæ, cui multis annis fideliter deſeruierat.

## CAPVT XLV.

*[Vicelinus fit ludi Bremēſis magiſter.]* POſt mortem ergo auunculi, Vicelinus in Patherburnenſi eccleſia tamdiu perſtitit, quouſque vocatus Bremam, curandis ſcholis magiſter ibidem præditus eſt. Fuitque in regendis ſcholis vir valde idoneus, curator chori, eruditor iuuenum, forma honeſtatis, denique diſcipulos, quos antea mos præcipitatus agebat, reddidit artibus ingenuis, & in cultu Dei, & frequentia chori, officioſos. *[Fridericus Archiepiſ. Diſſolutio.]* Quamobrem diligebat eum Antiſtes Fridericus, cæterique quos aut dignitas aut honeſtas in Eccleſia fecerat editiores. Illis ſolùm oneroſus videbatur, quibus conſuetudini fuerat, deſerto cultu Eccleſiæ, & diſciplina Clericali, bibere in tabernis, ſpaciari per domos & plateas, vanitatibus obſecundare, qui inſolentias ſuas argui ab ipſo pertimeſcebant. Vnde etiam probris & derogationum ſpiculis ſæpius eum appetere ſolebant. Sed nil fuit, quod in moribus eius à perfectione diſſideret, vel æmulorum commentis alluderet, niſi quòd in cohercendis iuuenibus, verbe*[Vicelinus plagoſus.]* ribus modum negauerit. Vnde etiam pleriſq; diſcipulis capeſſentibus fugam, crudelitate notatus eſt. Quotquot autem validiores animis diſciplinę eius iugum ſuſtinuerunt, grandi emolumento præditi ſunt: ſuccreuerunt enim ſicut ſtudiorum *[Ditmarus, Vicelini diſcipulus.]* & prudentiæ maieſtate, ita etiam dignitatis & honorum gratia. Fuit eo tempore in diſciplinatu eius iuuenis optimæ indolis Thethmarus nomine, cuius mater reue*[Somnium.]* rentiſſima, ipſa nocte qua tali ſobole onuſtanda erat, conſpexit in viſu veluti aureā

crucem

crucem gemmis redimitam ſeſe gremio recepiſſe. Præclarum ſanè futuræ prolis argumentum ſanctitatis fulgore irradiandum. Poſtquam ergo procreatus eſt filius, mater non immemor oraculi, mancipauit eum diuino cultui, & ſacris litteris imbuendum. Sed cùm in primis neglectus eſſet, eo quòd ſtudium apud Bremam defeciſſet, contigit aduentare Magiſtrum Vicelinum, & curandis ſcholis præfici, cuius tutelæ commendatus puer Thethmarus, factus eſt eius diſcipulus & contubernio.

## CAPVT XLVI.

EMenſis ergo quàm pluribus annis, Magiſter Vicelinus, perſpecto diſcipulorũ & profectu & numero, propoſuit ire in Franciam, maiorum ſcilicet gratia ſtudiorum, orauitq; Deum cogitationem ſuam ab ipſo dirigi. Hęc eo animo volutante, Adalbertus, maioris Eccleſiæ præpoſitus, die quadam acceſſit ad eum dicens: Quare celaſti amicum & conſanguineum tuũ, ea quæ in corde tuo ſunt? Qui cùm ſollicitè requireret cauſam, ille reſpondens ait: Scio quidem, quia profectionem paras in Franciam, nec quenquam vis hoc noſſe. Noueris ergo iter tuum à Domino directum: noctu enim in ſomnis, viſus ſum mihi aſſiſtere ante altare Domini, & orare Deum inſtantius. Tunc imago beatæ Dei genitricis, quæ fortè in altari conſtitit, allocuta eſt me dicens: Vade & nuncia viro, qui iacet poſt oſtium, quia habet poteſtatem migrandi, quò vult. Parui ego iubentis imperio, & accedens ad oſtiũ reperi te in oratione decubantem. Nunciaui tibi ſicut edoctus eram, audiſti & lætatus es. Iam nunc ergo accepta permiſſione, perge quò deſideras. Hoc itaq; diuinæ reſpectionis ſolatio animatus, reſignauit ſcholis, non tamen ſine dolore Pontificis, maiorumq; Eccleſiæ, tanti viri præſentia moleſtè carentium. Aſſumptoq; ſecum honeſtiſſimo iuuene Thethmaro, perrexit in Franciam, adijtq; ſcholas venerabilium Magiſtrorum Rudolphi & Anshelmi, qui in explanatione diuinæ paginæ fuerant eo tempore præcipui. A quibus etiam honorabiliter habitus eſt, propter feruentiſſimum ſtudij deſiderium & vitæ probabilis meritum. Quæſtiones enim ſuperuacuas pugnaſq; verborum, quæ non ædificant, ſed magis ſubuertunt, omnino deuitans, ad ea ſolùm eniſus eſt, quæ ſobrio intellectui, & moribus inſtruendis ſufficerent. Deniq; accepto ſemine verbi Dei, eouſq; conualuit, vt iam tunc propoſuerit propter Deum auſterioris vitæ vias aggredi, abdicare ſcilicet carnis eſum, cilicio ad carnem operiri, cultui diuino arctius applicari. Adhuc enim Acolitus exiſtens, altiori gradu abſtinuerat, timens lubricum ætatis. Vbi ergo maturior ætas & diutinum continentiæ experimentum viro firmitatem addiderant, tranſactis in ſtudio tribus annis, ſtatuit patriam reuiſere, & ad ſacros ordines promoueri. Contigit in diebus illis dilectum diſcipulum eius Thethmarum infirmari. Qui metuens periculum mortis, fleuit cum Ezechia fletu magno, poſtulans dilationem vitæ, propter magiſtri ſui Deo accepta merita. Quo perorante, Deo gloria, infirmitate releuatus eſt. Poſt hæc recepti in patriam, diuiſi ſunt ab inuicem. Et quidem venerabilis Thethmarus Canonica Bremenſis Eccleſiæ inueſtitus eſt: At Magiſter Vicelinus oblatã recuſauit, ordinatione Dei ad opus aliud deſtinandus.

*Vicelinus cogitat in Galliam.*

*Adelbertus, Præpoſitus Bremenſis.*

*Somniũ ſuperſtitioſum.*

*Ditmarus, comes Vicelini.*

*Anshelmus.*

*Vicelini in Gallia ſtudia & mores.*

*Inſtitutum ſuperſtitioſum.*

*Vicelinus trienniũ in Gallia commoratus.*

*Ditmari morbus.*

## CAPVT XLVII.

EO itaq; anno quo Francia reuerſus eſt, accedens ad reuerendiſſimum Northbertum, Magdeburgenſem Pręſulem, eius noticia perfrui, & ad ſacerdotij gradum promoueri meruit. Statimq; feruentiſſimo zelo æſtuans, quibuſnam ſedibus locandus, aut cui operi mancipandus foret, in quo Eccleſiæ fructuoſus exiſteret, audiuit famam Henrici principis Slauorum, & qualiter idem domitis barbaris gẽtibus, ad ampliandum cultum domus Dei, pronam geſſerit voluntatem. Ratus ergo ad opus Euangelij ſe diuinitus vocari, adijt venerabilem Adelberonem, Hammenburgenſem Archiepiſcopũ, qui fortè ad Bremam conſtitit, reuelaturus ei propoſitum cordis ſui. Ille non modicè † lætificatus approbauit conſilium, deditq; ei legationem verbi Dei in Slauorũ gente * vice ſua idololatriam extirpãdi. Statimq; aggreſſus eſt iter in terram Slauorum, comitantibus eum venerabilibus presbyteris, Rudolpho Hildenſemenſi, & Ludolfo Verdenſi Canonico, qui ſe deuouerant in opus miniſterij huius. Repertum ergo in vrbe Lubecenſi Principem Henricum

*Nortbertus Archiepiſ. Magdeburg.*

*Henricus Obotritus.*

*Adalbero, Archiepiſ. Hamburg.*

† P. lætatus.

* D. prædicandi &.

*Vicelinus Slauis Euãgeliſta deſtinatus.*

*Lubeca.* *† P. ordinaturi.* *† P. paraturi.* *Hērici Obotritis mors.* *Zuentepolcus & Kanutus F. F.*

conuenerunt, rogantes dari ſibi facultatem prædicandi nomen Domini. Qui nil titubans, viros digniſſimos coram gente ſua magnis honoribus extulit, deditq; eis Eccleſiam Lubeke, vbi tuta ſecum ſtatione conſiſtere poſſent, & agere quæ Dei ſunt. His ritè peractis, reuerſi ſunt in Saxoniam, † ordinantes de rebus domeſticis ſuis, & † parantes ſe ad iter Slauonicum. Sed grandis & ſubita mœſtitia corda eorum perculit. Fama enim velox pertulit, Henricum regem Slauorum præſenti vita deceſſiſſe. Sicq; ad præſens pia eorum vota retardata ſunt. Filij enim Henrici, Zwentepolch, nec nō Kanutus, qui dominio ſucceſsêre, inteſtinis bellis adeo perturbati ſunt, vt tranquillitatem temporum & tributa regionum perderent, quæ pater eorum, armorum virtute conquiſierat.

## CAPVT XLVIII.

*Adalbero Archiepiſ.* *Vicelinus.* *Nordalbingorum gentes.* *Mores.* *Miletorp, hodie Meldorp.* *Faldera.* ** P. Slauiã.* *Vicelinus fit Eccleſiaſtes Falderenſis.* *† D. Marquardo.* *Marcradus.*

CIrca idem tempus, Dominus Adelbero Archiepiſcopus tranſiuit Albiam, viſitaturus Hammenburg & Nordalbingorum prouinciam, venitq; in ciuitatem Milethorp, habens in comitatu ſuo venerabilem ſacerdotem Vicelinum. Tres autem ſunt Nordalbingorum populi, Sturmarij, Holzati, Thetmarzi, nec habitu nec lingua multum diſcrepantes, tenentes Saxonum iura, & Chriſtianum nomen, niſi quòd propter Barbarorum viciniam, furtis & latrocinijs operā dare conſueuerint. Hoſpitalitatis gratiam ſectātur. Nam furari & largiri apud Holzatos oſtentatio eſt, qui verò prædari neſciat, hebes & inglorius eſt. Conſiſtente ergo Epiſcopo in Milethorp, venerunt ad eum ciues de Faldera, rogantes dari ſibi ſacerdotē. Eſt autem Falderenſis pagus, limes Holſatię, verſus eam partem, qua Slauos attingit. Statimq; Pontifex conuerſus ad Vicelinum ſacerdotē, dixit: Si tibi propoſitum eſt laborandi in Slauia, vade cum hominibus iſtis, & potire eccleſia eorum, eò quòd ſita ſit in terminis vtriuſq; prouincię, ſitq; tibi intranti & exeūti * locus & ſtatio. Quo reſpondente, ſe parere conſilio, ait ad viros de Faldera: Vultis vobis dari ſacerdotem prudentem & idoneū? Quibus dicentibus, ſe hoc omnibus modis & velle & expetere, acceptum per manus ſacerdotem commiſit eum cuidam † Marcrado præpotenti viro, cæteriſq; de Faldera, præcipiens vt dignam perſonæ ſolicitudinem gererent. Cumq; perueniſſet ad locum deſtinatum, perſpexit habitudinem loci, campumq; vaſta & ſterili myrica perhorridum, præterea accolarum genus agreſte & incultū, nihil de religione niſi nomen tantùm Chriſtianitatis habentes. Nam lucorū & fontium, cęterarūq; ſuperſtitionum multiplex error apud eos habetur. Incipiens ergo habitare in medio nationis prauæ & peruerſæ, in loco horroris & vaſtę ſolitudinis, eo arctius diuino ſe commendabat auxilio, quo magis humano deſtitutus eſt ſolatio. Dedit autem ei Dominus gratiā in conſpectu gentis illius. Statim enim vt gloriā Dei, & bona futuri ſeculi, carniſq; reſurrectionem prædicare cœpit, ad nouitatem incogniti dogmatis gens bruta grandi miraculo percullſa eſt, diffugeruntq; tenebræ peccatorum ab illuſtratione irradiantis gratiæ Dei, denique incredibile dictu eſt, quanta plebium caterua in diebus illis ad pœnitentiæ remedium confugerit, inſonuitq; vox prædicationis eius in omni Nordalbingorū prouincia. Cœpitq; pia ſolicitudine circumiacentes viſitare Eccleſias, præbens populis monita ſalutis, errantes corrigens, concilians diffidentes, præterea lucos & omnes ritus ſacrilegos deſtruens. Comperta ergo ſanctitatis eius fama, multi tam de clero quàm de laicali ordine conuenerunt ad ipſum, inter quos primi & præcipui fuerunt venerabiles Sacerdotes, Ludolphus, Eppo, Luthmundus, Volckwardus, cæteriq; quàm plures, ex quibus aliqui dormiunt, quidam verò adhuc ſuperſtites ſunt. Hi ergo ſacris connexi fœderibus, ſtatuerūt amplecti cœlibatum vitę, perdurare in oratione & ieiunio, exerceri in opera pietatis, viſitare infirmos, alere egentes, tam propriā quàm proximorum ſalutem curare. Super omnia verò pro Slauorum vocatione ſolliciti orabant Dominum, oſtium fidei quantocyus aperiri. Quorū Deus petitiones longius diſtulit: nondum enim completę ſunt iniquitates Amorræorum, neque venit tempus miſerendi eorum.

*Vicelini doctrina.* *Inſpectio Eccleſiarum.* *Fama ſanctimoniæ.* *Celibatus ordinis Eccleſiaſtici voluntarius.*

## CAPVT XLIX.

*Zuentepolci & Kanuti fratrum bellum ciuile.*

SIquidē filij Henrici, domeſtica bella conflantes, populis Nordalbingorū nouos labores parturiebant. Zuentepolch enim ſenior, ſolus dominari cupiēs, Kanuto Fra-

to fratri suo multas irrogauit iniurias, ad vltimū sumptis Holzatis, eundē in castro Plumensi obsedit. At Kanutus prohibens socios, ne obsidentes iaculis appeterent, ascendens ad propugnacula, allocutus est omnem exercitū dicens: Audite quæso verbū meum, viri optimi, qui venistis de Holzatia. Quid rogo causæ est, vt consurgatis aduersus amicū vestrū? Nonne ego frater sum Zuentepolci, eodē patre Henrico genitus, & de iure, ditionis paternæ cohæres? Quare ergo frater meus extorrē me facere nititur hæreditatis paternæ? Nolite, quæso, frustra vexari aduersum me, sed reuertimini ad iudiciū, & obtinete mihi apud fratrē meum, vt det portionem quæ me iure contingit. His auditis animęquiores facti sunt animi obsidentium, decreueruntq; virū iusta postulantē exaudiri. Adhibitaq; opera, germanos discordes reconciliauerunt, partita inter eos prouincia. Sed Kanutus nō longè pòst interfectus est in vrbe Lutilinburg, Zwentepolch solus dominio potitur, conuocansq; Adolfum Comitē cum Holzatis, & Sturmarijs, direxit expeditionē in prouinciam Obotritorū, obseditq; vrbem quæ dicitur Werlo. Qua in potestatē redacta, vltra progressus est ad vrbē Kycinorum, obseditq; eam hebdomadibus quinq;. Tandē vrbe subacta, acceptisq; obsidibus, Zuentepolch reuersus est Lubeke, Nordalbingi quoq; ad sedes suas redierūt. Videns aūt Vicelinus Sacerdos, quia Princeps Slauorū humanius se gereret erga Christicolas, accessit ad eum, & innouauit apud eū paternę pollicitationis cœptum, impetratoq; principis fauore, misit in vrbē Lubeke venerabiles sacerdotes, Ludolfum & Volwardū, qui salutem populi curarent. Receptiq; sunt benignè à mercatoribus, quorū non paruam coloniā Henrici Principis fides & pietas ibidē conscíuerat. Habitauerūtq; in Ecclesia sita in colle, quæ est è regione vrbis, trans flumen. Nec longū tempus effluxit, & ecce Rugiani vrbē vacuā nauibus offendentes, oppidum cum castro demoliti sunt. Sacerdotes inclyti, barbaris vnā ecclesiæ ianuā irrumpentibus, per aliā elapsi, beneficio vicini nemoris saluati sunt, & ad Falderensem portū refugerunt. Zwentepolch nō longè pòst interfectus est, dolo cuiusdā Dasonis prędiuitis de Holzatia. Remāsit Zwētepolch filius nomine Zuinike, sed & hic interfectus est apud Ertheneburg, vrbē Trāsalbianorū. Defecitq; stirps Hērici in principatu Slauorū, mortuis scilicet filijs *. Prędixerat hoc idē princeps, nescio quib. oraculis edoctus, stirpē suā quātocyus defecturā.

*Moderatio.* — *Pacificatio.* — *Canuti cædes.* — *Adolfus Comes.* — *Zuentepolci expeditio in Obotritos et Kycinos.* — *Beneuolentia erga Christianos & Vicelinū.* — *Lubeca emporiū à Rugianis dirutum.* — *Zuentepolci cædes.* — *Zuinike F. Henrici Obotritis de posteritate sua Vaticiniū.* — *P. & filiorum filijs.

## CAPVT L.

POst hęc translatus est principatus Slauorū ad nobilissimum Principem Kanutū, filium Erici regis Danorū. Ericus enim potentissimus rex, cùm se deuouisset ad iter Hierosolymitanū, fratri suo Nicolao regnū, cum filio Kanuto commendauit, accepto iuramento, vt si non rediret, filio suo, postquā adoleuisset, regnū contraderet. Cùm ergo regē Hierosolyma redeuntē, fata sustulissent, Nicolaus, licet concubina natus, Danorū regnum obtinuit, eo quòd Kanutus adhuc esset infantulus. Sed & Nicolao erat filius nomine Magnus. Nutriebantur ergo regalius & magnificentius hæc duo genimina in futuras commotiones bellorū, & multorū ruinam Danorū. Vbi autem Kanutus adolere cœpit, timens se insidijs patrui sui facilè posse obrui, transijt ad Imperatorē Lothariū, & mansit apud eum multis diebus siue annis, habitus vt regiā magnificentiā decuit cum plena honorificentia. Inde subiens in patriā, à patruo benignè receptus, & ducatu totius Daniæ præditus est. Cœpitq; vir pacificus regionē compacare, auferens viros desertores de terra. Pręcipuè verò Slesuicensibus beneficus erat. Contigit autē latrones fortè comprehendi in myrica, quæ interiacet inter Sliam & Egdoram, & perduci in faciē Kanuti. Quos cùm ille suspendio addixisset, vnus ex eis vitæ consulere cupiens proclamauit, se consanguineū eius esse, & regia Danorū stirpe oriundū. Cui Kanutus, Turpe, inquit, est consanguineū nostrum, vulgariū more affici, decet nos impendere ei claritatē. Et iussit ei in nautica pinu solenne exhiberi suspendiū. Interea subijt animū eius quòd principatus regni Slauorū vacaret, mortuo scilicet Henrico & filijs eius adnullatis. Adijt ergo Lothariū Imperatorem, emitq; multa pecunia regnū Obotritorum, omnē scilicet potestatem, qua pręditus fuerat Henricus. Et posuit Imperator coronā in caput eius, vt esset rex Obotritorū, recepitq; eum in hominiū. Post hæc transijt Kanutus in terrā Wagirorum, & occupauit montē qui antiquitus Alberg dicitur,

*Kanutus, cognomēto Lanardus, vt infrà cap. 53.* — *Ericus, rex Danorum.* — *Nicolaus, nothus, Rex Dan.* — *Magnus Nicolai F.* — *Canutus, aula Cæsarea sectator.* — *Creatur Dux Daniæ.* — *Animaduertit in latrones.* — *Emit à Lothario Cæs. regnū Obotritorum.* — *Alberg.*

impoſuitq́; illic manſiunculas, intendens ibidem communire caſtellũ. Et ſociauit ſibi in terra Holzatienſiũ omnem virum fortem, fecitq́; cum eis incurſationes in terram Slauorũ, occidens & ſternẽs omnes ſibi aduerſantes. Sed & fratruelẽ Henrici Pribizlaum, & maiorẽ terræ Obotritorum Niclotũ, duxit in captiuitatem, poſuitq́; eos Sleſwich in cuſtodiã, aſtringens eos manicis ferreis, quouſq; pecunia & vadibus redempti, ea quæ ſubiecta ſunt, ſentirent. Sæpius & in terram Wagirorũ deuerſans, Falderenſi hoſpitio vſus eſt, præbuitq́; ſe familiarem Vicelino & omnibus illic commorantibus, promittens eis bona, ſi Dominus res ſuas in Slauia direxiſſet. Veniens † etiam Lubeke, dedicari fecit Eccleſiam quam conſtruxerat Henricus, aſtante venerabili ſacerdote Ludolpho, & cæteris qui de Faldera eidem loco mancipati erant. In diebus illis obijt Comes Adolfus, habuitq́; duos filios. Quorũ ſenior Hartungus vir militaris, habiturus erat Cometiã. At iunior filius Adolfus literarũ ſtudijs deditus erat. Cõtigit autem Imperatorẽ Lotharium cum grandi expeditione ire in Bohemiã. Vbi interfecto Hartungo cum multis nobilibus, Adolfus accepit Cometiam terræ Nordalbingorum, vir prudens, & in diuinis & humanis rebus exercitatiſſimus. Præter facundiam enim Latinæ & Teutonicæ linguæ, Slauicæ nihilominus linguæ gnarus erat.

*Canuti incurſiones in Slauos. Pribizlaus. Niclotus. Vicelinus. † P. ergo. Lubeca. Mors Adolfi I. Hartungus Adolfi F. Adolfus II. eiusq́; elogium.*

## CAPVT LI.

*Canuti & Nicolai congreſsio.*

Circa tempus dierũ illorũ accidit vt Kanutus rex Obotritorũ veniret Sleſwich, habiturus cum patruo ſuo Nicolao curiale colloquiũ. Cùm autẽ populus veniſſet in concionẽ, & rex ſenior ſediſſet in throno, indutus cultu regio, Kanutus aſſedit ex oppoſito, geſtans & ipſe coronã regni Obotritorũ, ſtipatuſq́; ſatellitũ agmine. Sed cùm rex patruus videret nepotẽ ſuũ in faſtu regio, ſibiq́; nec aſſurgere, nec oſculũ ex more dare, diſſimulata iniuria, tranſijt ad eũ, oblaturus ſalutationẽ cum oſculo. Cui ille occurſans ex medio, ſeſe per omnia patruo & loco & dignitate adæquauit. Quod factũ Kanuto letale odiũ conſciuit. Nam Magnus, filius Nicolai, cũ matre huic ſpectaculo aſſidens, incredibile dictu eſt, quanta ira exarſerit, dicente ad eum matre ſua, Nonne vides, quia nepos tuus ſumpto ſceptro iam regnat? Arbitrare ergo eum hoſtẽ publicũ, qui viuente adhuc patre tuo, nomen ſibi regni vſurpare nõ timuit. Quòd ſi longius diſſimulaueris, & nõ occideris eũ, ſcito te & vita & regno ab eo priuãdũ. His itaq; verbis inſtimulatus, cœpit inſidias moliri, vt Kanutũ occideret. Quod ſentiens Nicolaus rex, cõuocat vniuerſos principes regni, deditq́; operã, vt iuuenes diſſidentes cõfœderaret. Diſſenſionibus ergo ad pacẽ inclinatis, iurata ſunt vtrinq; fœdera. Sed pactiones iſtę apud Kanutũ firmę, apud Magnũ dolis oblitę ſunt. Statim enim vt ficta ſoliditate animũ eius inueſtigat, & omni ſuſpicionis malo vacuũ conſyderat, rogat Kanutũ Magnus, vt occurrat ſibi ad ſingulare colloquiũ. Diſſuadet Kanuto vxor exitũ, timens inſidias, ſimul etiam exaſperata ſomnio, quod præterita nocte viderat. Nec tamen vir fidelis retineri potuit, ſed ſicut laudatũ fuerat, occurrit ad locũ placiti, comitatus quatuor tantũ viris. Adeſt Magnus cum totidẽ viris, amplexatũq́; deoſculatur nepotẽ, conſederuntq́; tractaturi negocia. Nec mora, ſurrexerunt inſidiæ de latebris ſuis, percuſſumq́; Kanutum interfecerunt, diuiſoq́; membratim corpore, crudelitatẽ etiam in mortuo exaturare geſtierunt. Et multiplicatę ſunt à die illa perturbationes & inteſtina bella in Dania, de quibus in conſequentibus aliquantiſper commorandũ eſt, eo quòd prouinciã Nordalbingorũ vehementer attigerint. Audito aũt ſiniſtro hoc nuncio Lotharius Imperator, cum coniuge ſua Rikenza, nõ modicè contriſtati ſunt, eo quòd corruerit vir Imperio amicitia coniunctiſſimus. Venitq́; cum grandi exercitu prope ciuitatẽ Sleſwich, ad vallũ illud notiſſimũ Dinewerth, vlturus mortẽ funeſtam optimi viri Kanuti. Conſederat è regione Magnus, cum immenſo Danorũ exercitu, defenſurus terram ſuam. Sed territus virtute Teutonici militis, apud Cæſarem immenſo auro, & hominio, impunitatem indemptus eſt.

*Magnus Nicolai F. Muliebris malicia. Nicolaus cõcordiæ ſtudet. Magni ficta in Canutũ beneuolentia. Parricidiũ. Beluina crudelitas in cadauer. Lotharius Cæſ. parricidij vindex. Sleſuicum. Dinewerth. Magn⁹ mulctatus.*

## CAPVT LII.

*Ericus nothus Canuti frater & vltor.*

Videns ergo Ericus frater Kanuti, natus de concubina, quia refriguit Cęſaris ira, cœpit armari in vltionem fraterni ſanguinis, curenſq́; terra & mari congregauit multitudinem Danorum, execrantium impiã cædem Kanuti. Sumptoq́; regio nomine,

nomine, cœpit frequentibus bellis incursare Magnum, sed superatus, sed fugatus est. Vnde etiam Ericus Hasen voeth, id est, pes leporis, propter fugam continuam appellatus est. Dania tandem exturbatus, confugit in ciuitatem Sleswich. Illi autē memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperūt virum, parati pro eo ferre mortem & exterminium. Quamobrem Nicolaus, & filius eius Magnus, præceperunt omni populo Danorum, vt descenderet ad pugnam, Sleswich, creuitq; obsidio in immensum. Porro lacus ille qui ciuitati adiacet, glacie concretus, peruius erat, impugnaueruntq; ciuitatem terra mariq;. Tunc Slesvvicenses miserunt nuncios ad Comitem Adolfum, offerentes ei centū Marcas, vt cum gente Nordalbingorum ciuitati prępsidio foret. Sed & Magnus tantundem obtulit, vt bello abstineret. Inter hæc Comes incertus quid ageret, consuluit maiores prouinciæ. Illi consuluerunt, ciuitati subueniendum, eo quòd mercibus eius sępe potirentur. Cōgregato ergo exercitu, Adolfus Comes transijt Egdoram fluuium, visumq; ei fuit paululum subsistendū, quousq; vniuersus conueniret exercitus, eundumq; in terram hostilem cum diligenti cautione. Sed populus prædarum auidus, retineri non potuit. Tanta enim festinantia præterlapsi sunt, vt venientibus primis ad syluulam Thieuela, nouissimi Egdorā fluuium vix attingerent. Audito ergo, Magnus, Comitis aduentu, elegit de exercitu mille loricatos, abijtq; in occursum exercitus, qui exierat de Holzatia, & commisit cum eis pręlium. Et fugatus est Comes, percussiq; populi Nordalbingorum attritione maxima. Comes autem, & quotquot fugerant de acie, reuersi per Egdorā saluati sunt. Magnus ergo potitus victoria, reuersus est ad obsidionem, frustrato tamē labore: nam neq; ciuitate neq; hoste potitus est. Laxata enim hyeme pariter & obsidione, Ericus elapsus venit in maritimam Sconiæ regionem, conquerens vbiq; innoxiam fratris cædē, & proprias calamitates. Audiens ergo Magnus quia comparuit Ericus, accedente æstate, direxit expeditionē in Sconiā cum innumera classe. At ille confederat è regione, stipatus accolarum licet breui numero. Soli enim Sconenses vniuersis Danis restiterāt. Cùm ergo Magnus in sacro die Pentecostes aciem vrgeret ad congressum, dixerunt ad eum venerabiles Pontifices: Da gloriam Deo cœli, & habe reuerentiā diei tantæ, & quiesce hodie, pugnaturus in crastinū. Qui monita contemnens, aggressus est pręlium. Produxitq; Ericus exercitum suum, & occurrit ei in manu valida. Ceciditq; Magnus in die illa, percussaq; sunt vniuersa Danorum agmina à viris Sconensibus, & ad internecionē deleta. Et factus est Ericus ea victoria insignis, & creatū est ei nomen nouū vt Ericus Enum, hoc est, memorabilis appellaretur. Porrò Nicolaus rex senior naui elapsus venit Sleswich, percussusq; est à viris ciuitatis in gratiā victoris. Vltusq; est Dominus sanguinem Kanuti, quem interfecit Magnus, præuaricator iurisiurandi quod iurauit. Et regnauit Ericus in Dania, generauitq; ex concubina †Thunna filiū nomine Suein. Sed & Kanuto erat filius nobilis Waldemarus. Magnus quoq; genuit Kanutum. Remanseruntq; hæc regalia incrementa Danorum populis, in quibus exercerentur, ne fortè amisso vsu præliandi quandoq; †insolescerent. Solis enim ciuilibus bellis præpollent.

*Fortuna eiusdem aduersa, & inde cognomētum probrosum.* *Gratitudo.* *Nicolai & Magni expeditio in Slesvvicenses.* *Adolfus à partibus solicitatus cōiungit se cū Slesuicensibus.* *Thieuela sylua.* *Magnus hostem prælio excipit.* *Adolfi clades & fuga.* *Ericus Slesuico elapsus bellū in Sconia instaurat.* *Magni bellicus apparatus.* *Profanitas.* *Cædes & clades.* *Ericus à secunda fortuna cognominatus Enum.* *Nicolaus R. iugulatur.* *Erici in Danis regnum.* *Concubina & proles.* †D. Kunna. †D. mollescerent.

## CAPVT LIII.

POstquam ergo mortuus est Kanutus cognomento Lawardus rex Obotritorū, successerunt in locū eius Pribizlaus atq; Niclotus, bipartito principatu, vno scilicet Wagirensium atq; Polaborum, altero Obotritorum prouinciā gubernante. Fueruntq; hi duo truculentæ bestiæ, Christianis valde infesti. Inualuitq; in diebus illis per vniuersam Slauiā multiplex idolorum cultura, errorq; superstitionū. Nam præter lucos atq; penates, quibus agri & oppida redundabant, primi & pręcipui erant, Proue Deus Aldenburgensis terræ, Siwa Dea Polaborū, Radigast Deus terræ Obotritorū. His dicati erant flamines & sacrificiorū libamenta, multiplexq; religionis cultus. Porrò solennitates dijs dicandas sortium iuxta sortium nutum denunciat, conueniuntq; viri & mulieres cum paruulis, mactantq; dijs suis hostias de bobus & ouibus, pleriq; etiā de hominibus Christianis, quorū sanguine Deos suos oblectari iactitant. Post cæsam hostiā sacerdos de cruore libat, vt sit efficacior oraculis capessendis. Nam sanguine dæmonia facilius inuitari, multorum opinio est.

*Pribizlaus & Niclotus Obotriti, Christiani nominis hostes.* *Barbarica Slauorum religio.*

*Mos conuiuiorum.* *Malus Deus Slauis Diabolus Czerneboch.* *Zuanteuit Rugianorũ Deus Opt. Max.* *Slauorum ingenia.* *Odium nominis Christiani.*

Consummatis iuxta morem sacrificijs, populus ad epulas & plausus cõuertitur. Est autem Slauorum mirabilis error: nam in conuiuijs & compotationibus suis, paterã circumferunt, in quam conferunt, nõ dicam consecrationis, sed execrationis verba, sub nomine Deorum, boni scilicet atq; mali, omnem prosperam fortunã à bono Deo, aduersam à malo dirigi profitentes, ideo etiã malum Deũ sua lingua Diabol siue Zcerneboch, id est nigrum Deum, appellant. Inter multiformia autẽ Slauorum numina præpollet Zuanteuith Deus terræ Rugianorũ, vtpote efficacior in responsis, cuius intuitu cæteros quasi semideos ęstimabant. Vnde etiam in peculiũ honoris annuatim hominem Christicolam, quem sors acceptauerit, eidem † litare consueuerunt. Quin & de omnibus Slauorum prouincijs statutas sacrificiorũ impensas illò transmittebant. Mira autem reuerentia circa fani diligentiã affecti sunt: nam neq; iuramentis facilè indulgent, neq; ambitum fani vel in hostibus temerari patiuntur. Fuit præterea Slauorum genti crudelitas ingenita, saturari nescia, impatiens ocij, vexans regionum adiacentia terra mariq;. Quanta enim mortium genera Christicolis intulerint, relatu difficile est, cùm his quidẽ viscera extorserint, palo circumducentes, hos cruci affixerint, irridentes signum redemptionis nostrę. Sceleratissimos enim cruci affigendos autumant: eos autem quos custodiæ mancipant pecunia redimendos, tantis torturis & vinculorum nodis plectunt, vt ignoranti vix opinabile sit.

## CAPVT LIIII.

*Lotharius Cæs.* *Rixa Augusta.* ** P. deuotionis.* *Bardeuicũ.* *Salubre Vicelini consilium.* *Canutus.* *Adolfus C.*

CVm ergo inclytus Cæsar Lotharius, & reuerendissima coniunx eius Rikenze, plenam erga diuinum cultum * curã gererent, adijt eum Sacerdos Christi Vicelinus, Bardewich consistentem, & suggessit ei, vt Slauorum genti, secundum datam sibi cælitus potentiam, aliquot salutis remedium prouideret. Præterea intimauit ei, quia in Wagirensi prouincia mons haberetur aptus, cui propter tutelam terræ, regale possit castrum imponi. Nam & Kanutus rex Obotritorum olim eundem montem occupauerat, sed miles illic positus immisso noctu latrone captus est, dolo senioris Adolphi, metuentis se à Kanuto, si fortè inualesceret, facilè posse premi. Imperator ergo audito Sacerdotis prudenti consilio, transmisit viros idoneos, qui specularentur aptitudinem montis. Certior ergo factus verbis nunciorum, transmisso amne venit in terram Slauorum ad locum destinatum. Præcepitq; omni populo Nordalbingorum, vt occurrerent ad ædificationem castelli. Sed & Principes Slauorum aderant in obsequium Imperatoris, facientes operationẽ, sed cum grandi tristitia, eo quòd sentirent clàm sibi suscitari pressuram. Dixit ergo quidam principum Slauorum ad alterum: Vides hanc structuram firmam, & præeminentem? Ecce vaticinor tibi, quia castrum hoc erit iugum vniuersæ terræ. Hinc enim egrediẽtes primùm effringent Plunen, deinde Aldenburg, atq; Lubeke, deinde transgressi Trabenam Racesburg, & omni Polaborum terra abutentur. Sed neq; Obotritorum terra effugiet manus eorum. Cui ille respondit: Quis nobis malũ hoc parauit, aut regi montem hunc quis prodidit? Ad quem princeps, Vides, inquit, homuncionem illum caluum, stantẽ prope regem? Ille induxit super nos vniuersum malum hoc. Perfectum ergo est castrum, & numeroso milite communitum, vocatumq; Sigeberg, posuitq; in eo quendam satellitem suum Hermannũ, qui castro præesset. Nec his contentus, ordinauit fundationem nouæ Ecclesiæ ad radices eiusdem montis, deputans in subsidium diuini cultus, & stipendia fratrum illic adunandorum, sex vel eo amplius oppida, iuxta morem priuilegijs constabilita. Porrò dispensationem eiusdem basilicæ, commisit Domino Vicelino, vt ædificijs suberigendis, & personis coadunandis instaret propensius. Idem quoq; fecit de Lubecensi Ecclesia, præcipiens Pribislauo sub obtentu gratiæ suæ, vt memorati Sacerdotis, vel qui vicem eius egisset, plenam gereret diligentiam, proposuitq;, vt ipse protestatus est, omnem Slauorum gentem diuinæ religioni subigere, & de ministro Christi statuere Pontificem magnum.

*Sigeberga constructa.* *Vaticinium principis Slaui.* *Hermanus præfectus Sigeberg.* *Fundatio Ecclesiæ Sigebergensis.* *Vicelinus, Pribizlao ab Imp. commendatus.*

## CAPVT LV.

*Hericus Bauarus, Lotharii gener, ab eodẽ Saxonia donatur.*

HIs ita peractis, Imperator ordinatis rebus tam Slauorum quàm Saxonum, dedit Ducatum Saxoniæ Henrico genero suo, Duci Bauariæ, quem etiam secũ

assumens parauit secundam profectionem in Italiam. Interea Dominus Vicelinus legationis sibi creditæ solers curator, idoneas Euangelio personas ad opus ministerij conſciuit, ex quibus venerabiles Sacerdotes Ludolfum, Hermannum, Brunonem in Lubeke constituit, Luthmundum cum cęteris Sigeberg esse mandauit. [*Vicelini in curatiōe ecclesiasticæ diligentia.*] † Factumq; est misericordia Dei, & virtute Lotharij Cæsaris, seminarium nouellæ plantationis in Slauia. [†D. Iactūq;.] Sed accedentibus ad seruitutem Dei, non desunt tentationes. [*γνώμη Christiana.*] Sic & patres nouellæ Ecclesiæ, permaximas inuenere iacturas. Imperator enim bonus, cuius erga vocationem gentium virtus probata, postquam Roma cum Italia potitus est, Rogerium quoq; Siculum Apulia pepulit, cùm iam redire pararet, immatura morte præuentus est. [*Lotharii in Italia res gestæ. Mors.*] Conturbatę sunt hac fama omnes potestates imperij, virtus quoq; Saxonū tanto principe illustrata, penitus concidisse visa est: & in Slauia res Ecclesiasticæ labefactatæ sunt. Statim enim vt corpus defuncti Cęsaris perlatum est in Saxoniam, & Lutturæ tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Henricum, regis generum & Adelbertum Marchionem, contendentium propter ducatum Saxoniæ. [*Sepultura. Contentio Henrici Bauari & Alberti Vrsi.*] Conradus autem rex in solium regni leuatus, Adalbertū in ducatu firmare nisus est, iniustum esse perhibens, quenquam principum duos tenere ducatus. [*Conradus III. Cæs.*] Nam Henricus duplicem sibi vendicabat † principatum, Bauarię atq; Saxoniæ. [†P. Ducatū.] Bellabant ergo hi duo principes, duarum sororum filij intestinis prælijs, & commota est vniuersa Saxonia. Et quidem Adalbertus præripiens castrum Luneburg cum ciuitatibus Bardewich, atq; Brema, occidentali Saxonia potitus est. [*Alberti in occidentali Saxonia successus.*] Sed & Nordalbingorum fines partibus eius appliciti sunt. Quamobrem Comes Adolphus prouincia pulsus est, eo quòd fidem iuratam Imperatrici Rikenze & genero eius, temerare noluisset. [*Adolfus C. finibus pulsus.*] Comitiam eius, vrbes, & seruitia Henricus de † Badwide beneficio Adalberti assecutus est. [*Henricus de Badwide.* † P. Batdewich, D. Badenick] Sed & castrum Sigeberg in custodiam accepit, mortuo scilicet Hermanno, & cæteris exturbatis, quos Cæsar imposuerat.

## CAPVT LVI.

His ergo turbulentijs per Saxoniam vsquequaq; concitatis, Pribizlaus de Lubeke occasionem nactus, assumpta latronum manu, suburbiū Sigeberg & omnia circumiacentia, in quibus Saxonū erant contubernia, penitus demolitus est. [*Pribizlai Obotritæ incursiones.*] Ibi oratoriū nouum & Monasterij recens structura igne consumpta sunt. [*Sigebergæ suburbiū & monasteriū destructum.*] Volckerus frater magnæ simplicitatis, ictu gladij percussus est. [*Volkerus.*] Cæteri fratrum qui euaserant, ad Falderensem portum refugerūt. Ludolfus autem Sacerdos & qui cum eo Lubeke demorati sunt, ea vastitate non sunt dissipati, eo quòd in castro & tuitione degerent Pribizlaui, stantes vtiq; loco & tempore difficili & pleno formidine mortis. [*Ludolfus Lubecensis.*] Pręter egestatem enim, & quotidiana vitę pericula, cogebantur aspicere vincula & varia tormentorum genera Christicolis illata, quos latronum manus passim captiuare solebat. Non multo pòst venit quidam Race, de semine Cruconis cum classica manu, arbitratus se hostem suum Pribizlaum reperturum Lubeke. [*Races.*] Duæ enim cognationes, Cruconis atq; Henrici, propter principatū contendebant. [*Factiones familiarū Hērici & Cruconis.*] Cùm ergo Pribizlaus adhuc fortunatus esset, Race cum suis castrum & circumiacentia demoliti sunt, Sacerdotes inter arundineta saluati, Falderense præsidiū apprehenderunt. Venerabilis ergo sacerdos Vicelinus, cæteriq; prædicatores verbi, graui mœstitia confecti sunt, eo quòd nouella plantatio in ipsis initijs emarcuerit, continueruntq; se in Falderensi Ecclesia, orationibus & ieiunijs assiduè intenti. [*Vicelinus.*] Quanta verò austeritate, quanta ciborum temperantia, omniq; conuersationis perfectione Falderense illud collegium primitus claruerit, non satis explicari potest. [*Falderense collegium.*] Dedit ergo eis DOMINVS gratiam sanitatum, iuxta quod ipse pollicitus est, infirmos sanare, Dæmones effugare. Quid enim dicam de arreptitijs? Obsessorum, qui latè adue cti sunt, plena erat domus, ita vt fratres quiescere non possent, clamantes sanctorum virorum præsentia ignes suos accendi. Sed quis illuc venit, & Dei gratia liberatus non est? In diebus illis contigit virginem quandam, Ymme dictam, vexari à dæmone, & ad Vicelinum sacerdotem perduci. [*Exorcismus.*] Quem cùm interrogationibus vrgeret: Cur vas incorruptum ipse autor corruptelæ, temerare præsumpsisset? ille diserta voce respondit, Quia, inquit, tertio me offendit. In quo, ait, te offendit? Quia, inquit, negocium meum præpediuit. Bis enim transmisi

fures ad perfodiendum domum, sed hęc assidens focis, clamoribus suis eos absterruit. Nunc quoq; legatione principis nostri in Daniam functurus, hanc in via offendi, vlturusq; quod mihi tertio offendiculo fuerit, subter ipsam deuolutus sum. Sed cùm vir Dei coniurationum verba aduersus eum coaceruaret, ille, cur, inquit, propellis paratum vltro egredi? Iam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui ibi delitescunt. Hoc etenim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi, ait, nomen? & qui socij tui? aut cum quibus habitant? Ego, inquit, Rufinus vocor: porro sodales mei, de quibus requiris, duo hîc sunt, vnus cum Rothesto, alter cum muliere quadam eiusdem oppidi. Hos ergo hodie visitabo, crastina priusquàm signum Ecclesiæ Primam increpuerit, huc valedicturus reuertar, & ita demum in Daniam proficiscar. Et hæc dicens, egressus est: Virgo quoq; passione vexationis liberata. Tunc iussit eam sacerdos refici, & crastina ante horam Primæ, ad Ecclesiam reduci. Quam cùm parentes proximo mane ad Ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, & prima pulsari, & vexari virgo cœpit. Nec tamen boni pastoris diligentia prius abstitit, quàm spiritus, præsidentis potentia Dei actus, abscessit. Porrò ea quæ de Rothesto prędixerat, rei exitus probauit: nam in breui maligno spiritu acerrimè correptus, laqueo semet strangulauit. In Dania quoq; occiso Erico perturbatio grauis erupit, adeo vt oculis probari potuerit magnum eò diabolum aduentasse in adflictionem gentis illius. Bella enim, & tempestates, pestilentias & cætera humano generi inimica, dæmonum ministerio fieri quis nesciat?

## CAPVT LVII.

*Motus et clades in Dania.*

*¶ Henricũ hunc alii superbum cognominant.*

*Slaui bello Saxonum ciuili ad rebellionem inuitati.*

*Vicelinus pium pastorẽ agit.*

*Henrici Comitis in Slauos excursiones.*

AGitabantur autem, sicut in Dania, sic & in Saxonia variæ bellorum tempestates, intestina scilicet prælia magnorum principum, Henrici Leonis, & Adalberti, contendentium propter Saxoniæ Ducatum. Super omnia autem Slauicus furor propter occupationes Saxonũ, veluti ruptis loris efferuescens, Holzatorum fines inquietabat, adeo vt Falderensis pagus iam pene in solitudinem redigendus esset, propter quotidianas interfectiones hominum, villarumq; deprædationes. Inter has tribulationum angustias, Vicelinus sacerdos hortabatur populum in Deo spem suam constituere, agere litanias, in ieiunio & attritione cordis, eo quòd dies mali instarent. Henricus itaq; qui Cometiam administrabat, vir ocij impatiens, & strenuus in armis, congregato latenter de Holzatis & Sturmarijs exercitu, hyemali tempore intrauit Slauiam, aggressusq; eos, qui præ manibus erant, & quasi sudes defixæ in oculis Saxonum, percussit eos plaga magna, omnem scilicet terram Plunensem, Luthilenburgensem, Aldenburgensem, omnemq; regionẽ quæ inchoat à riuo Sualen, & clauditur mari Baltico, & flumine Trabena. Omnem hanc terram vna incursione, pręda, & incendio vastauerunt, præter vrbes quę vallis & seris munitę, obsidionis propensius studium perquirebant.

*Holsati de Slauis se vlciscuntur.*

Proxima æstate Holzati se mutuo adhortantes etiam sine Comite castrum Plunen adierunt, diuinoq; adiuti prę sidio munitionem hanc cæteris firmiorem, præter spem obtinuerunt, Slauis, qui inibi erant, occisioni traditis. Gesseruntq; eo anno bellum perutile, vastaueruntq; crebris † incursibus terram Slauorum, feceruntq; eis, vt sibi facere proposuerant, omni terra eorum in solitudinem redacta. Habueruntq; Holzati pro omine bellũ illud Transalbianum Saxonum, eo quòd inuenissent libertatem vlciscendi se de Slauis, nemine scilicet obsistente. Nam principes, Slauos seruare solent tributis suis augmentandis.

† P. incursionibus.

*Hẽricus Bauarus recuperat Saxoniam ab Alberto.*

*Adolfus C. redux.*

*Henricus C. Sigeberga & Hamburga arces destructæ.*

*Henricus aduersus Conradum Cæs. expeditio.*

Postquam ergo Henricus, gener Lotharij regis, auxilio socrus Rikenzæ Imperatricis ducatum obtinuit, & nepotem suum Adalbertum Saxonia deturbauit, Adolfus Comes redijt in Cometiam suam. Videns autem Henricus de Badewid, quia subsistere non posset, succendit castrum Sigeberg, arcemq; firmissimam Hammenburg, quam Comitis Adolfi mater murato opere construxerat, vt esset firmamentum vrbi contra impetus Barbarorum. Hanc ergo domum, & quicquid nobile senior Adolfus construxerat, Henricus fugam meditans, demolitus est. Post hæc Henricus Leo cœpit armari aduersus Conradum regẽ, duxitq; contra eum exercitum in Turingiam, ad locum qui dicitur Cruceburg. Bello itaq; per

inducias

inducias protracto, dux redijt in Saxoniam, & poſt non multos dies mortuus eſt. Obtinuitq; filius eius Henricus Leo ducatum Saxoniæ, puer adhuc infantulus. Tunc Domina Gertrudis, mater pueri, dedit Henrico de Badewid Wagirenſium prouinciam, accepta ab eo pecunia, volens ſuſcitare preſſuras Adolfo Comiti, eo quòd non diligeret eum. Poſtquam autem eadem Domina nupſit * Henrico, fratri Conradi regis, & alienata eſt à negocijs ducatus, acceſſit Adolfus Comes ad Ducē puerum, & conſiliarios eius, acturus cauſam ſuam ſuper Wagirenſi terra, præualuitq; & iuſtiori cauſa & auctiori pecunia. Diſſenſiones ergo, quæ fuerunt inter Adolfum & Henricum, taliter compacatę ſunt, vt Adolfus Sigeberg & omni Wagirorum terra potiretur, Henricus in recompenſationem acciperet Racesburg & terram Polaborum.

*Mors.*
*Henricus Leo.*
*Gertrudis, Lotharij Cæſar. F. altera nuptia.*
*Adolfus C.*
*P. Principi.
*Componitur cum æmulo Henrico.*

## CAPVT LVIII.

HIs verò in hunc modum ordinatis, Adolfus cœpit reædificare caſtrum Sigeberg, cinxitq; illud muro. Quia autem terra deſerta erat, miſit nuncios in omnes regiones, Flandriam, & Hollandiam, Traiectum, Weſtphaliam, Freſiam, vt quicunq; agrorum penuria arctarentur, venirent cum familijs ſuis, accepturi terram optimam, terram ſpacioſam, vberem fructibus, redundantem piſce & carne, & commoda paſcuorum gratia. Dixitq; Holzatis & Sturmarijs: Nonne vos terram Slauorum ſubegiſtis, & mercati eam eſtis in mortibus fratrum & parentum veſtrorum? Cur ergo nouiſſimi venitis ad poſſidendum eam? Eſtote primi, & tranſmigrate in terram deſiderabilem, & incolite eam, & participamini delicijs eius, eo quòd vobis debeantur optima eius, qui tuliſtis eam de manu inimicorū. Ad hanc vocē ſurrexit innumera multitudo de varijs nationibus, aſſumptiſq; familijs cum facultatibus, venerunt in terram Wagirenſium ad Comitem Adolfum, poſſeſſuri terram quam eis pollicitus fuerat. Et primi quidem Holzatenſes acceperunt ſedes in locis tutiſſimis ad occidentalem plagam Sigeberg, circa flumen Trabenā: Campeſtria quoq; Zuentineueld, & quicquid à riuo Sualen vſq; Agrimeſon, & Iacum Plunenſem extenditur. Dargunenſem pagū Weſtfali, Vtinenſem Hollandi, Suſle Freſi incoluerunt. Porrò Plunenſis adhuc deſertus erat. Aldenburg verò & Lutilenburg, & cęteras terras mari contiguas dedit Slauis incolendas, factiq; ſunt ei tributarij. Poſt hæc venit Comes Adolfus ad locum qui dicitur Bucu, inuenitq; ibi vallum vrbis deſolatæ, quam ędificauerat Cruco olim tyrannus, & inſulam ampliſſimam, gemino flumine cinctam. Nam ex vna parte Trabena, ex altera Wochniza præterfluit, habens vterq; paludoſam & inuiam ripam. Ex ea verò parte, qua terreſtre iter continuatur, eſt collis contractior, vallo caſtri præſtructus. Videns ergo induſtrius vir competentiam loci, portumq; nobilem, cœpit illic ædificare ciuitatem, vocauitq; eam Lubeke, eo quòd non longè abeſſet à veteri portu & ciuitate, quam Henricus princeps olim conſtituerat. Tranſmiſitq; nuncios ad Niclotum Obotritorum principem, componere cum eo amicitias, omnes nobiliores donarijs ſibi adeo adſtringens, vt omnes ei obſequi, & † terrę eius compacare certarent. Cœperunt ergo inhabitari deſerta Wagirenſis prouinciæ, & multiplicabatur numerus accolarum eius. Vicelinus quoq; ſacerdos inuitante pariter & adiuuante Comite prædia recepit, quæ Lotharius Imperator ad conſtructionem monaſterij & ſubſidium ſeruorum Dei iam olim ipſi coram caſtro Sigeberg contradiderat.

*Inſtaurat Sigebergam.*
*Slauorū deſolatos fines colonis Germanis complet.*
*Holſati, eorumq; fines.*
*Weſtuali.*
*Hollandi.*
*Friſii.*
*Bucu.*
*Cruco tyrannus.*
*Lubeca noua ad Adolfo condita.*
*Niclotus Obotritus.*
† P. terram.
*Vicelinus ope Adolfi prædia Eccleſiaſtica recuperat.*

## CAPVT LIX.

VIſum autem fuit eis propter incommoda fori, & tumultus caſtrenſes, monaſterium in proximo oppido, quod Slauicè Cuzalina, Teutonicè Hagereſtorp dicitur, fundatione commodiſſimum eſſe, miſitq; eo venerabilem Sacerdotem Volckwardum cum induſtrijs viris, qui oratorio & clauſtralibus officinis ſubrigēdis operam darent. Porrò forenſis Eccleſia, in curam Parochiæ, ad radicem montis poſita eſt. In diebus illis nobiliſſimus vir Thethmarus, Domini Vicelini quondam diſcipulus, & in ſtudio apud Franciam ſocius, relicta prębenda & decania Bremenſi, deuouit ſe Falderenſi collegio, vir contemtor huius ſeculi, ſectator volun-

*Cuzalina, Germanis Hagereſdorp.*
*Volckwardus.*
*Ditmarus, diſcipulus & ſectator Vicelini.*

tariæ paupertatis, & in ſpirituali conuerſatione ſummæ perfectionis. Cuius per omnia extollenda ſanctitas, tanto humilitatis culmine, & benignitatis vigore ſubnixa erat, vt videres inter homines angelum, ſcientẽ compati infirmitatibus ſingulorum, tentatum autem per omnia. Deſtinatus poſt hæc Hagereſtorph, quæ & Cuzelina, cum alijs fratribus, hominibus nouę tranſmigrationis magno ſolatio fuit. Dominus quoq; Vicelinus nouellæ Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſolers curator, omni ſtudio eniſus eſt, vt Eccleſiæ locis opportunis ædificarentur, prouidens eis de Faldera tam Sacerdotes quàm reliqua altaris vtenſilia.

## CAPVT LX.

*Bernardus, Abbas Clareuallenſis, θαυματουργός. Conradus III. Cæſ.* † P. Eccleſia. *Adolfus C. ſanctimoniæ Bernhardi ſpectator.*

CIrca tempora dierum illorum ortæ ſunt res nouæ, & toti orbi ſtupendæ. Præſidente enim ſanctiſſimo Papa Eugenio, Conrado quoq; tertio gubernacula regni moderante, claruit Bernardus Clareuallenſis Abbas, cuius fama tanta ſignorũ fuit opinione celebris, vt de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia, cupientium videre quæ per eum fiebant mirabilia. Hic itaq; egreſſus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenuordt, quo tunc fortè Rex Conradus cum omni principum frequentia feſtinus occurrerat. Cùm ergo ſanctus vir in † Eccleſijs poſitus, curandis ægrotis in nomine Domini propenſius inſtaret, aſtante Rege & ſummis poteſtatibus, incertum erat inter tantas populorum cateruas, quid quis pateretur, aut cui fortè ſubueniretur. Aderat illic Comes noſter Adolfus, certius noſſe cupiens ex operatione diuina virtutem viri.

*Miraculum in puero cæco & claudo.* *Bernhardus belli ſacri auctor.*

Inter hæc offertur ei puer cæcus & claudus, cuius debilitatis nulla potuit eſſe dubitatio. Cœpit ergo vir ſagaciſſimus intentare ſolerter, ſi fortè poſſet in hoc puero, ſanctitatis eius experimentum capere. Cuius incredulitati, veluti diuinitus edoctus vir Dei, remedium prouidens, puerum præter morem iuſſit ſibi applicari, cæteros enim verbo tantùm conſignauit. Hunc verò exhibitum, manibus excepit, oculiſq; moroſa contrectatione viſum reſtituit: Deinde genua contracta corripiens, iuſſit eũ currere ad gradus, manifeſta dans indicia, recuperati tam viſus quàm greſſus. Cœpit ſanctus ille, neſcio quibus oraculis edoctus, adhortari Principes, cæteraſq; fidelium plebes, vt proficiſcerentur Hieruſalem, ad comprimendas, & Chriſtianis legibus ſubigendas Barbaras orientis nationes, dicens, appropinquare tempora, quo plenitudo gentiũ introire debeat, & ſic omnis Iſrael ſaluus fiat. Protinus ad verba adhortantis, incredibile dictu eſt, quanta populorum caterua ſe ad profectionem eandẽ deuouerit, in quibus primi & præcipui erant, Conradus rex, Fretherícus Sueuiæ Dux, qui poſtea regnauit, Welph Dux, cum Epiſcopis & Principibus, militia nobilium & ignobilium, vulgariumq; numero æſtimationem excedente. Quid dicam de Teutonicorum exercitu, cùm & Ludowicus Pariſiorum rex, & omnis Francigenarum virtus, in id ipſum aſpirauerint. Non eſt recognitum vicinis temporibus, nec auditum à diebus ſeculi, tantum conueniſſe exercitum, exercitum, inquam, grandem nimis. Fueruntq; ſignati titulo crucis, in veſtibus & armatura. Viſum autem fuit autoribus expeditionis, partem exercitus vnã deſtinari in partes orientis, alteram in Hiſpaniam, tertiam verò ad Slauos, qui iuxta nos habitant.

*Eiuſdẽ belli Duces.* *Voluntaria copia tripartito diuiſa.*

## CAPVT LXI.

† P. Alemaniæ. *Copia prima ductoribus Conrado Cæſ. & Lud. rege Gall. Aſiam petit.* *Legatio ad Imp. Byzantinum.* *Oſtentum.*

PRimus ergo, qui & maximus, abijt terreſtri itinere cum rege † Alemanno Conrado, & rege Franciæ Ludouico & præcipuis vtriuſq; regni Principibus, tranſieruntq; regnum Vngariæ, quouſq; peruenirent prope fines Græciæ. Miſeruntq; legatos ad regem Græciæ, vt daret eis conductum, mercatumq;, tranſire cupientibus terram eius. Ille licet admodum territus, annuendum tamen decreuit, ſiquidem pacifici veniſſent. Cui remandauerunt, ſe nihil inquietudinis moliri, qui propter ampliandos fines pacis, peregrinationem vltroneam aſſumpſerint. Dedit ergo eis rex Græciæ iuxta placitum, conductum, forumq; abundans rerum venaliũ, vbicunq; caſtra locanda fuiſſent. Multa verò portenta viſa ſunt in exercitu illis diebus, futurę cladis demonſtratiua. Quorum vel pręcipuum fuit, quòd veſpere quodam ne-

dam nebula densissima cooperuit castra, qua recedente, vniuersa papilionum tegmina, vel quæ sub diuo fuerant, adeo sanguine respersa comparuerunt, ac si nimbus ille sanguinem compluerit. Quod videns rex, cęterique principum, coniecerunt, se ad maximos labores & mortium pericula euocatos. Nec fefellit eos coniectura. Non enim multo pòst venerunt in montana quædã, vbi cùm inuenissent vallem pratis riuóque decurrente commodissimam, metati sunt castra ad deuexum montis latus. Porrò iumenta oneraria, cum bigis & quadrigis, victualia sarcinásque militum portantibus, armentorum quoq; in carnis esum ingens numerus, in vallis medium collocata fuerant, prope decursum aquę, & pascuorum commoda. Appropinquante verò nocte, audita sunt in mõtis supercilio fragor tonitruum sonitúsque tempestatis: tum ecce noctis medio nescio an nubium eruptione, vel quo euentu, torrens ille auctior erumpens, quicquid vallis humilior habuit in hominibus & iumentis, in momento eluit & in mare proiecit. Hanc ergo primã exercitus iacturã exceperunt milites peregrinationis illius. Cæteri qui residui fuerant, perrexerunt cœpto itinere, transeuntesq; Græciam, peruenerũt ad regiam vrbem Constantinopolim. † Qua per dies aliquot recreato exercitu, venerunt ad sinum maris, qui vulgari more dicitur Brachium sancti Georgii. Ibi prouiderat eis rex Græciæ naues ad transducendum exercitum, adhibẽs notarios, qui expeditorum sibi numerum referrent. Quo relecto, grauiter ingemuit, & ait: Quare eduxisti Domine Deus populum hunc multum de sedibus suis? Verè brachio virtutis tuæ indigent, vt iterum videant terram desiderabilem, terram, inquam, natiuitatis suę. Transmisso ergo mari, Ludouicus Rex Franciæ direxit iter versus Hierosolymam, & pugnantibus secum barbaris vniuersum perdidit exercitum. Quid dicam de Rege Alemaniæ, & his qui cum eo fuerant? Vniuersi perierunt siti & fame, transducti in desertum maximum, dolo legati Regis Græciæ, qui eos in fines Persarum ducere debuerat. Adeo contabuerunt fame & siti, vt incursantibus Barbaris vltro ceruices præbuerint. Rex & validiores quique, qui neci superfuerant, in Græciam refugerunt. O iudicia excelsi. Tanta fuit clades exercitus & miseria inexplicabilis, vt eorum qui interfuerunt adhuc hodie lachrymis deplangatur.

*Tempestas.* *Constantinopolis.* *† P. Quo.* *Brachium S. Georgij.* *Vox ominosa.* *Christianorum clades.*

## CAPVT LXII.

SEcundus verò naualis exercitus, Colonia & aliis ciuitatibus Rheni conflatus, præterea littore fluminis Wiseræ, nauigare cœperunt latissima Oceani spacia, quousq; venirent in Britanniam. Vbi per aliquot dies resarcita classe, non modica etiam Anglorum & Britannorum adiecta manu, torserunt vela versus Hispaniam, applicuerúntque ad Portugalensem nobilissimam Galatię vrbem, adoraturi apud Sanctum Iacobum. Rex ergo Galatiæ lætior effectus de aduentu peregrinorum, rogauit, vt si propter Deum pugnaturi exissent, fierent sibi auxilio contra Lacebonam & eius incolas, qui fines Christianos inquietabant. Cuius petitioni fauentes abierunt Lacebonam cum magna nauium copia: Rex quoque terrestri accedens itinere, validum adduxit exercitum, & obsessa est ciuitas terra marique. Multum ergo temporis effluxit in obsidione ciuitatis. Ad vltimum capta ciuitate, pulsisque Barbaris, rex Galatiæ rogauit peregrinos, vt darent sibi ciuitatem vacuam, diuisa prius inter eos socialiter præda. Factáque est illic Christicolarum colonia, vsque in præsentem diem. Hoc solum prosperè cessit de vniuerso opere, quod peregrinus patrauit exercitus.

*Altera copia Hispaniam petit.* *Portugallia Vrbs.* *S. Iacobus Compostellanus.* *Lacebona seu Vlyssipona.* *Expugnata Christianorum fit colonia.*

## CAPVT LXIII.

TErtius signatorum exercitus deuotauerunt se ad gentem Slauorum, Obotritos scilicet & Luticios, nobis confines, vlturi mortes & exterminia quæ intulerunt Christicolis, præcipuè verò Danis. Huius verò expeditionis capitanei erãt, Albero Hammenburgensis & vniuersi Saxoniæ Episcopi: præterea Henricus Dux adolescens, Conradus Dux de Zaringe, Adalbertus Marchio de Saltwidele, Conradus de Within. Audiens ergo Niclotus quia congregandus esset in breui exercitus ad destruendum eum, conuocauit vniuersam gentem suam, & cœpit ędificare

*Tertia copia in Slauos.* *Ductores.* *Henricus Leo.* *Conradus C. Wett.* *Niclotus.*

*Dubin.* *Adolfus C. inconsultè Nicloti colloquium repudiat.*

castrum Dubin, vt esset populo refugium in tempore necessitatis. Direxítque nuncios ad Comitem Adolfum, commonens eum fœderis quod pepigerant, simul etiam rogans præberi sibi facultatem colloquendi ei & consilio participandi. Cúmque Comes renueret, dicens, hoc incautum sibi propter offensam principum, ille mandauit ei per nuncios dicens: Decreueram quidem esse oculus tuus & auris tua in terra Slauorum, quam incolere cœpisti, ne quas契 patereris molestias Slauorum, qui olim Wagirensium terram possederunt, & causantur se priuatos iniustè hæreditate patrum suorum. Quare ergo dissimulas amicum * in tempore necessitatis? Nonne tentatio probat amicum? Hactenus continui manus Slauorum, ne læderent te, nunc tandem libet retrahere manum, & permittere te tibimet, eo quòd fastidieris amicum tuum, nec recordatus fueris fœderis, & negaueris mihi faciem tuam in tempore necessitatis. Dixerúntque nuncii Comitis ad Niclotum: Quod Dominus noster hac vice non loquitur tibi, impedit ea quam nosti necessitas. Habe ergo adhuc gratiam fidei & sponsionis tuæ erga Dominum nostrum, vt si videris contra eum bella Slauorum clàm consurgentia, præmunias eum. Et promisit Niclotus. Dixit ergo Comes habitatoribus terræ suæ, habete cautelam iumentorum & substantiarum vestrarum, ne fortè rapiantur à furibus vel latronibus: de publico verò periculo meum erit prospicere, ne qua improuisi exercitus incursione inuoluamini. Putabat enim vir sapiens, repentinas bellorum iacturas sese consilio † conclusisse, sed res aliter cesserunt.

*P. tuum.

*Fides.*

† P. exclusisse.

## CAPVT LXIIII.

*Niclotus in armis.*

SEntiens enim Niclotus irreuocabilem esse iuratæ expeditionis profectionem, clàm parat naualem exercitum, transmissóque freto, applicat classem ad ostium Trauenæ, percussurus omnem Wagirensium prouinciam, priusquam Saxonum exercitus infunderetur suis terminis. Transmisitque vespere nuncium Sigeberg, eo quòd promisisset Comiti, præmunire eum, sed superuacua legatione: Comes quippe defuit, & non erat tempus congregandi exercitum. Illucescente ergo die qua sanctorum Ioannis & Pauli passio veneranda celebratur, descendit naualis Slauorum exercitus per ostium Trauenæ. Et ciues Lubicanæ vrbis audito murmure exercitus, inclamauerunt viros vrbis, dicentes: Audiuimus vocem clamoris maximi, quasi vocem superuenientis multitudinis *. Miserúntque ad ciuitatem & ad forum, nunciare eis imminens periculum. Sed populus multa potatione ebrius neque strato neque nauibus † admoueri potuit, quousque hostibus circumuallati, naues mercibus onustas iniecto igne perdiderunt. Interfectique sunt illic eo die ad trecentos & eo amplius viros. Rudolphus sacerdos & Monachus dum fugeret ad castrum, præuentus à Barbaris, mille vulneribus confossus est. Porrò hi qui in castro erant, biduo atrocissimam obsidionem pertulerunt. Duæ quoque equitum turmæ omnem Wagirensium terram peruagantes, quicquid in suburbio Sigeberg repererunt, demoliti sunt. Pagum quoque qui Dargune dicitur, & quicquid infra Trauenam à viris Westphalis, Hollandis, cæterísque extraneis populis incultum fuerat, flamma vorax absumpsit. Fecerúntque cædes virorum fortium, qui fortè armis obsistere tentassent, & duxerunt vxores eorum & filios in captiuitatem. Pepercerúntque viris Holzatensibus, qui habitant vltra Trauenam ad occidentalem plagam Sigeberg, substiterúntque in agris oppidi Cuzalinæ, & non adiecerunt vltra progredi. Villas præterea, quæ erant in campestribus Zuentineuelde, & extenduntur à riuo Sualen, vsque ad riuum Agrimeson, & lacum Plunensem, non deuastauerunt Slaui, nec quicquam attigerunt de substantiis hominum illic degentium. Sermo fuit eo tempore omnium ore pertritus, quosdam Holzatensium, hoc perturbationis malum conflasse propter odium aduenarum, quos Comes latè congregauerat ad incolendam terram. Vnde etiam communis iacturæ soli Holzati extorres inuenti sunt. Sed & Vtinensis ciuitas adiuta locorum firmitate saluata est.

*P. & ignoramus quid sit.

*Clades Lubecensium.*

† D. amoueri.

*Dargune.*

*Holsati ab hoste conseruati.*

*Suspecti proditionis.*

CAPVT

## CAPVT LXV.

REm dicam posteritatis memoria dignam. Quando Slaui Wagirensium terra ad libitum abusi, nouissimè venerunt ad pagum Susle, vastaturi Fresonum coloniam, quæ illic erat, quorum numerus ad quadringentos & eo amplius viros supputatus fuerat. Aduentantibus autem Slauis vix centum reperti sunt in munitiuncula, cæteris in patriam reuersis, propter ordinandum peculium ibi relictum. Succensis ergo quæ foris erant, videres his, qui in munitione erant, grauissimam inferri expugnationis iacturam. Tota enim die à tribus millibus Slauorum fortiter impugnati sunt, illis quidem victoriam præsumentibus veluti indubiam, his verò supremum spiritum pugnæ dilatione redimentibus. Sed cùm viderent Slaui, quia victoria non cederet eis incruenta, promittunt Fresonibus vitam, & membrorum integritatem, si munitione progressi dedissent arma. Cœperunt ergo quidam ex obsessis appetere deditionem, ob spem vitæ. Quos arguens fortissimus Sacerdos: Quid est, inquit, ô viri, quod agere vultis? Putatis vos deditione vitam redimere, aut barbaris fidē inesse? Fallimini viri compatriotæ. Stulta est hæc opinio. An nescitis, quia in omni aduenarum genere, apud Slauos nulla gens detestabilior Fresis? Sanè fœtet eis odor noster. Quare ergo abiicitis animas vestras, vltro properantes ad interitum? Contestor vos per Deum factorem orbis, cui non est difficile saluare in paucis, vt adhuc paululum experiamini vires vestras, & conseratis manus cum hostibus. Quamdiu enim vallo hoc circundamur, sumus manuum nostrarum & armaturæ compotes, vita nobis in spe sita est: inermibus verò præter ignominiosam mortem reliquum nihil est. Gladios ergo vestros quos vltro sibi expetunt, mergite prius in medullis eorum, & estote vltores sanguinis vestri. Hauriant gustum audaciæ vestræ, nec victoria redeant incruenta. Et hæc dicens, ostendit eis magnanimum spiritum, † obiectúsque portis cum vno tantùm viro, hostium cuneos propulit. Percussitque manu propria ingentem Slauorum numerum. Excusso denique vno oculo & ventrem perfossus, nihil remissius egit in pugna, diuinum quoddam robur tam in animo quàm in corpore præferens. Nihil itaque melius à notissimis illis filiis Saruiæ, vel à Machabeis quondam pugnatum est, quàm à sacerdote Gerlauo, virisq; perpaucis in castro Susle, defenderuntq; munitionem de manu vastatorum. His auditis Comes congregauit exercitum, vt pugnaret cum Slauis, & eiiceret eos de terra sua. Quo rumore comperto, Slaui redierūt ad naues, & abierūt onusti de captione hominum, & de varia supellectile, quam prædati fuerant in terra Wagirorum.

*Susle Frisiorũ colonia.* — *Frustra à Slauis oppugnata.* — *Conditiones pacis oblatæ.* — *Gerlaui Sacerdotis ad virtutem cohortatio.* — *Magnanimitas.* — † P. obiectisque, D. apertisque. — *Adolfus C. se armat.*

## CAPVT LXVI.

INterim volat hęc fama per vniuersam Saxoniam & Westphaliam, quia Slaui facta eruptione bellum priores adorsi fuerint, & festinauit omnis illa expeditio, signo crucis insignita, descendere in terram Slauorum, & zelare iniquitatem ipsorum. Partitoq; exercitu, duas munitiones obsederūt, Dubin & Dimin, & fecerunt contra eas machinas multas. Venit quoque Danorum exercitus, & additus est his qui obsederant Dubin, & creuit obsidio. Vna ergo dierum, considerantes ij qui tenebātur inclusi, quia Danorum exercitus segnius ageret (ij enim domi pugnaces, foris imbelles sunt) facta subita eruptione, percusserunt ex eis multos, & posuerūt eos crassitudinem terræ. Quibus etiam subueniri non poterat propter interiacens stagnum. Ob quam rem exercitus ira permotus, pertinacius instabāt expugnationi. Dixerūt autem satellites Ducis nostri, & *Marchionis ad inuicem: Nonne terra quam deuastamus, terra nostra est? Et populus quem expugnamus, populus noster est? Quare ergo inuenimur hostes nostri met, & dissipatores vectigaliū nostrorum? Nonne iactura hæc redundat in Dominos nostros? Cœperunt ergo à die illa facere in exercitu tergiuersationes, & obsidionē multiplicatis induciis alleuiare. Quoties enim in congressu vincebantur Slaui, retinebatur exercitus, ne fugitantes insequerentur, & ne castro potirentur. Ad vltimum nostris iam pertæsis, conuentio talis facta est, vt Slaui fidem Christianam reciperent, & laxarent Danos, quos in capti-

*Tarda copiæ tertiæ expeditio.* — *Dubin.* — *Demin.* — *Dani auxiliarii.* — *Clades ex incuria.* — *πλεονεξία.* — *P. Adalberti. — *Intẽpestiua clementia.* — *Pacificatio cum Slauis.*

*Simulatio & fraus hostilis.* *† P. conualuerunt.*

uitate habebant. Multi ergo eorum falsò baptizati sunt: & de captione hominum relaxauerunt omnes senes & inutiles, cæteris retentis, quos seruitio robustior aptauerat ætas. Taliter illa grandis expeditio cum modico emolumento soluta est. Statim enim postmodum in deterius † coaluerunt: nam neq; baptisma seruauerunt, nec cohibuerunt manus à deprædatione Danorum.

## CAPVT LXVII.

*Adolfus renouat fœdera cum Nicloto & Slauis.* *Marcomanni.* *Vicelini ad egenos respectus.* *Ditmarus.*

COmes autem noster cōuulsas reparans amicitias, fecit pacē cum Nicloto, & cū cæteris orientalibus Slauis. Nec tamen integrè credebat eis, eo quòd fœdera prima violassent, & percussissent terram suam attritione maxima. Cœpitque consolari populum suum, quem vastitas hostilis attriuerat, orans eos ne casibus aduersis cederent, hoc cognoscentes, quòd Marcomannos oportet duram habere patientiam, & prodigos esse sanguinis sui. In redimendis quoq; captiuis deuotus extitit. Quid dicam de sacerdote Christi Vicelino? In ea calamitate qua barbaricus furor multos attriuerat, & frumentorum penuria famē parturiuerat, omnibus qui in Faldera & Cuzelina fuerunt, summopere commendauit, vt pauperum memores essent. Ad quod opus vir Dei Thethmarus fuit incōparabiliter idoneus, dispergens & dans pauperibus minister fidelis & prudens, vbiq; caritatiuus, vbique largus, in cuius laudem parum est quod loquor. Sanè pectus Sacerdotis misericordia refertum, suauissimo fragrabat odore, iacebántq; prę foribus monasterii greges egenorum, expectantium eleemosynam de manu viri Dei: Adeo vt locus ille ad inopiam redigendus videretur, propter largitatem viri. Obserabantur ergo à procuratoribus ostia domesticę rei, ne curia subiaceret detrimento. Quid faceret homo Dei? Clamores pauperum ferre non poterat, nec fuit ad manus quod daret. Cœpit ergo vir misericors, curiosius agere, & circuire horrea, explorare callidus aditum, quo etiam secretius reperto, egit in modum furantis, dans quotidie pauperibus iuxta opportunitatem. Ferebatur autem à fidissimis nobis, quòd iisdē diebus exinanita frumentaria penus, diuinitus recuperata sit. Prębet huic facto firmitatem opus Heliæ, nec non Helisæi, quorum æmulos sicut virtutis, sic etiam miraculi adhuc superesse, non est ambiguum.

*ἀμοιβὴ cœlestis.*

## CAPVT LXVIII.

*Motus in Dania.* *Cædes Erici Regis cognomento Emun.* *Trium regū soboles germen belli.* *Ericus Spac tutor regiæ sobolis.* *Sueno, Erici F. à tutore rex designatus.* *Canutus Suenonis æmulus.* *Waldemarus.* *Prodigia.* *Adolfus ab vtraque factione sollicitatus trāsit ad Canutū.* *Sueno suis cōpemitum vlciscitur.*

MOdicum ergo temporis effluxit, quo Wagirensi terrę de præterita calamitate respirare concessum est, & ecce noua prælia surrexerunt ab Aquilone, quę apponerent dolorem dolori, vulnus vulneri. Occiso enim Erico, cui cognomen erat Emun, remanserunt tria genimina Regum, scilicet Suein eiusdem Erici filius, Waldemarus Kanuti filius, Kanutus Magni filius. Qui cùm adhuc infantuli essent, consilio Danorum positus est eis tutor quidam Ericus cognomēto Spac, qui Regnum cum regia sobole tutaretur. Fuítque vir ille pacificus, cum tranquillitate creditum sibi gubernans regnum, nisi quòd Slauorum furiis minus obstitit. Nam latrocinia Slauorum eo tempore solito plus inualuerunt. Sentiens autem Ericus appropinquare diem mortis suæ, conuocauit tres adolescentes regios, adhibitóq; magnatum consilio, Suein destinauit ad regnū, Waldemarū & Kanutū hæreditate paterna iussit esse cōtentos, ordinatísq; taliter rebus, defunctus est. Nec mora, Kanutus, Magni filius, rupta curatoris sui dispositione, conatus est arripere regnum, mouítque contra Suenonem prælia magna. Porrò Waldemarus, partes Suein adiuuabat, & cōmota est vniuersa Dania, & visa sunt magna signa in cœlo versus aquilonem, species quasi ignearum facularum, & humani cruoris similitudo rutilantis. Nec fefellerunt portenta. Quis enim ignoret strages factas, factas inquam in eo prælio? Certabat ergo vterq; regum asciscere sibi Comitem nostrum, miserúntq; nuncios cum donariis, plura offerentes, & ampliora promittentes. Complacuítque Comiti ad Kanutum, habitóque colloquio, fecit ei hominium. Quod factum est zelatus Suein, assumptáque manu armata, transiuit in Wagirensem terram, & succendit Aldenburg, & demolitus est omnem terram maritimam, & digrediens inde succendit suburbium Sigeberg, & quæcunque in circuitu eius erant, vorax absumpsit flamma.

flamma. Huius autem mali fuit autor Ethelerus quidam de Thethmarſchia natus, qui diuitiis Danorum ſubleuatus, omnem fortem de Holzatia ſibi ſociauerat. Factúſque Ductor Regis, volebat Comitem prouincia pellere, terrámque eius addere regno Danorum.

*Ethelerus Ditmarſus, Adolfi hoſtis.*

Quod factum cùm innotuiſſet Comiti, tranſiit ad Ducem vt protegeretur ab eo. Nec enim in Holſatia tutò conſiſtere poterat, eo quòd increuiſſent homines Etheleri, qui inſidiabantur vitæ eius. Quicunque voluiſſet fieri homo Etheleri, veniebat vt acciperet in munere Byrrum, Clypeum, vel equum: atque donis huiuſmodi corrupta, repleta eſt terra ſeditioſis.

*θέλγητρα hoſtilis correptela.*

*Henricus Leo Adolfi protector.*

Præcepit ergo Dux omni populo Holzatorum, & Sturmariorum, vt ſicubi reperti fuiſſent homines Etheleri, aut renunciarent hominio, aut prouincia ſecederent. Et factum eſt ita: iurauítque omnis populus, ſtare ad mandatum ducis, & obaudire Comiti ſuo. Sociatúſque eſt ſibi vir Holzatenſis in die illa, ſeditioſis omnibus aut reductis in gratiam, aut prouincia pulſis.

*Holzati ad officium redeunt.*

Miſit ergo Comes nuncios ad Kanutum, ſuggerens vt quantocyus cum exercitu veniret, oppreſſurus Suein. Cui etiam ipſe occurrit cum quatuor millibus expeditorum, prope Sleſwich.

*Adolfus Canuto manũ auxiliariã adducit.*

Fixerúntque caſtra longis ab inuicem ſpaciis. Morabatur autem Suein in ciuitate Sleſwich, cum non minima bellatorum manu.

*Sueno.*

Videns ergo Ethelerus, princeps exercitus Suein, quia duplicata ſunt mala, multúſque exercitus venit ad obſidendum eos, abiit ad Kanutum in dolo, datáque pecunia Principibus ſeduxit adoleſcentiam Kanuti, vt rediret in terram ſuam, inſcio Comite Adolfo, & dimitteret† exercitum in locum ſuum.

*Etheleri dolus hoſtilis.*

†P. vnumquenque.

Præfixis quoque induciis, ſpopondit ſe ſine bello pacem Danis redditurum. His ad libitum peractis, rediit Ethelerus Sleſwich, mane pugnaturus cum Comite, & percuſſurus eum repente. Eo veſpere quidam familiarium Comitis erat Sleſwich, qui ſentiens ea quæ clàm parabantur, tranſiit cum feſtinatione lacum, & veniens in caſtra dixit ad Comitem: Deceptus es ô Comes, deceptus atque peſſundatus es.

*Indiciũ tem peſtiuum.*

Kanutus enim & exercitus eius, in quorum† auxilio tu veniſti, reuerſi ſunt in terram ſuam, & tu ſolus hîc iaces. Ecce venturus eſt Ethelerus diluculo† pugnare tecum.

†D. auxiliũ.

†D. pugnaturus.

Comes ergo ſupra quàm credi poteſt admirans impoſturam, dixit ad ſuos: Quandoquidem in medio myricæ conſiſtimus, & equi noſtri afficiuntur inedia, bonum eſt nos hinc tranſire, locúmque quærere caſtris opportunum.

*Adolfus ſe recipit ex hoſtico.*

Senſit ergo exercitus, animum Comitis ſiniſtra legatione concuſſum. Mouerúntque caſtra de loco qui dicitur† Cuningisho, verterúntque iter verſus Egdoram.

†P. Enningsho.

*Cuningisho.*

Tanta autem feſtinantia præterlapſi ſunt, vt veniente Comite ad Egdoram, de quatuor millibus expeditorum, vix quadringenti cum eo reperti fuerint. Quos Comes adhortans, ait: Licet fratres & amicos noſtros huius ignaros rei fugauerit caſſus timor, mihi tamen vtile videtur, nos hîc conſiſtere propter cuſtodiam terræ noſtræ, quouſque directis nunciis certius cognoſcamus, quid actitent hoſtes noſtri. Statímque miſit nuncios qui veritatem perferrent. Quibus apud Sleſwich, comprehenſis, & in vincula coniectis, dixit Ethelerus ad regem Dominum ſuum: Iam nunc feſtinandum eſt, & eundum cum exercitu, quia facile eſt vt tradatur Comes iſte deſolatus in manus noſtras.

*Exploratores intercepti.*

*Ethelerus Suenonem ad prælium accendit.*

Quo percuſſo tranſibimus in terram eius, & abutemur ea prout libuerit. Et abierunt cum manu forti. Comes ergo irritatus, quia nuncii iuxta placitum non veniſſent, alios miſit nuncios, qui viſis hoſtibus cum celeritate nunciauerunt Comiti. Ille licet intus morderetur ſuorum paucitate, elegit tamen, virtutis intuitu, confligere, dixítque ad ſocios: En tempus eſt, ô ſocii, quo comperiendum ſit, vbi ſit vir audax, & virtutis continens, qui ruinas pronus excipere velit.

*Adolfus ſuos ad virtutem cohortatur.*

Sæpius quidem mihi à noſtratibus obiectum eſt cum inſultatione, quaſi cor muliebre & fugax habuerim, qui bellorum iacturas plus lingua quàm manu propulerim. Et hoc quidem non imprudens egi: quoties bella ſine ſanguine caueri poterant. Nunc autem quia immanius periculum indiget opera manuum, videre iam fas eſt, ſi fœmineus mihi, vt dicitis, inſit animus. Quin potius videbitis dante Deo mihi cor ineſſe virile. Animæquior autem ero, ſi veſtra concors mecum fuerit voluntas, ſi in defenſionem patriæ

*†D.traduci. Scullebi. Adolfi periculum. Stratagema. Etheleri cædes. Suenonis fuga. Adolfo victoria opportuna. Marcomanni. †D. Marchiæ. Adolfi fines. Laudabilis reipub. administratio. Holzati contumaces & asperi. Mitescunt Adolfi industria. Sueno Adolfum in gratiam recipit. Canutus profugus exulat apud Hartuigum Archiepis.*

mecũ coniurata manu steteritis. Hoc enim loco præsidiũ pugnæ flagitat, & verecundia fugæ,& certissimum patriæ excidium. Hæc cùm perorasset Comes, gratulati sunt socii, grandique iuramento se obligauerunt, vt starent firmiter, pro salute sui met,& patriæ. Præcepit ergo Comes effringi pontem, & posuit custodiam in locis quibus permeabilis erat fluuius. Venit autem nuncius, qui diceret hostes †transduci prope villam, quę dicitur Scullebi. Facta ergo oratione ad Deum, Comes festinauit pugnare cum his qui transducti fuerãt, priusquam vniuersus transiret exercitus. Statimque vbi congressi sunt, Comes equo deiectus est,& fuerunt ei præsidio duo milites, qui subleuatum equo restituerunt. Et fuit pugna vehemens,& victoria vtrinque ambigua, quousque vnus partium Comitis proclamauit, vt poplites equorum, quos hostes insidebant, fortiter cæderentur, factumque est, vt cadentibus equis, sessores quoque loricati collaberentur, gladiisque nostratum protriti sunt,& cecidit Ethelerus, cæteri nobiles aut occisi sunt aut capti. Quod videns rex ex altera ripa fluminis, & qui cum eo erant, petiit fugam & reuersus est Sleswich. Sed & Comes reuersus est, clarus victoria, habens captiuos insignes, quorum pecunia debitis suis aliquantisper alleuiatus est. Habuítque de cætero pręcipuam terræ suæ diligentiã. Quoties enim motionis aliquid insonuit, aut de Danis, aut de Slauis, statim collocauit exercitũ in locis opportunis, videlicet Trauenemundę, siue ad Egdoram. Fuerúntq; parentes mandato eius plebes Holzatorũ, Sturmariorum & Marcomannorum. Vocantur aũt vsitato more Marcomanni, gentes vndecunq; collectę, quę Marcam incolunt. Sunt aũt in terra Slauorum †Marcę quàm plures, quarũ nõ infima nostra Wagirensis est prouincia, habens viros fortes & exercitatos præliis, tam Danorum quàm Slauorũ. Super hos omnes functus est Comes honore Cometiæ. Fecítque iustitiam populo suo, compacans diffidentia, & oppressos liberans de manu potentiorũ. Clero fuit apprimè beneuolus, quem nec in facto nec in verbo passus est à quoquã iniuriari. Multum verò laboris adhibuit in edomandis rebellibus Holzatorum: gens enim libera & ceruicosa, gens agrestis & indomita, detrectabat ferre iugum pacis. Sed vicit eos altior sensus viri, & philosophatus est in eis. Multis enim præcantationibus allexit eos, quousque duceret sub lorum, illos inquam onagros indomitos. Viderit qui voluerit, faciem gentis huius immutatam, eos scilicet qui soliti quondam fuerant, sæuum caput abdere laruis, et deprædandis tendere decipulas, furari quæ rapere non poterant, viderit inquam eos conuertisse mores,& reuocasse gressus ad iter pacis. Nonne hæc est mutatio dexteræ excelsi? post hæc reconciliatus est Comes Suein, regi Danorum. Ille enim crebris prosperatus victoriis, Kanutum eiecit de terra,& ad Saxones propulsum exulare coegit, penes nominatissimum Hartwigum Archiepiscopum, qui clarissimo genere natus magna pollebat hæreditate.

## CAPVT LXIX.

*Henrici Leonis nuptiæ cum Clementia. Res gestæ & victoria in Slauis. πλεονεξία. †P. incursiones.*

IN diebus illis, Dux noster adolescens, Dominam Clementiam, filiam Conradi ducis de Zeringge, duxit vxorem, cœpitque dominari in vniuersa terra Slauorum, succrescens sensim & inualescens. Quoties enim offendissent eum Slaui, admouit eis Martiam manum, dederúntque ei pro vita simul & patria quicquid exigere voluisset. In variis autem expeditionibus, quas adhuc adolescens in Slauiam profectus exercuit, nulla de Christianitate fuit mentio, sed tantùm de pecunia. Adhuc enim immolabant Dæmoniis & non Deo,& agebant piraticas †incursationes in terram Danorum.

## CAPVT LXX.

*Hartuicus Archiepisc. Hamburg.*

VIdens ergo Dominus Hartwicus Hammenburgensis Archiepiscopus, quia pax erat in Slauia, proposuit reædificare sedes Episcopales, quas Barbaricus furor

furor olim destruxerat in Slauia, scilicet Aldenburgensem, Racesburgensem, Mikilenburgensem. E quibus Aldenburgensem Magnus Otto primus instituerat, subijciens ei Polabos & Obotritos, à terminis Holzatorum vsq; ad flumen Panim, & ciuitatem Dimin. Posuitque in Aldenburg primum Pontificem Marconem. Post hunc secundus erat Ecwardus, tertius Wago, quartus Ezike, quintus Folchardus, sextus Reinbertus, septimus Benno, octauus Meinerus, nonus Abelinus, decimus Ezo. Huius temporibus surrexit in Hammenburgensi Ecclesia Magnus Adelbertus, qui de peregrinis Episcopis, quos in mensa sua habebat, Ioannem statuit Episcopum in Mikilinburg, Aristonem in Racesburg, atque in hunc modum Aldenburgensis sedes in tres diuisa est Episcopatus. Postquam ergo permittente Deo propter peccata hominum, Christianitas adnullata est in Slauia, vacauerunt hæ sedes annis octuaginta quatuor, vsq; in tempora Hartwici Archiepiscopi. Qui propter generis nobilitatem duplici principatu clarus, magno studio enisus est pro recuperandis suffraganeis Episcopis, vniuersæ Daciæ, Norwegiæ, Suediæ, quos Hammenburgensi Ecclesiæ quondam pertinuisse, commemorat antiquitas. Sed cùm obsequiis & variis † largitionibus nil profecisset apud Papam & Cæsarem, ne omnino careret suffraganeis, aggressus est iam pridem abolitos Episcopatus Slauiæ suscitare. Accitum ergo venerabilem Sacerdotem Vicelinum Aldenburgensi sedi consecrauit Episcopum, cùm iam esset ætate prouectus, & mansisset in terra Holzatorum triginta annis. Porrò in Mikilinburg ordinauit Dominum Emmehardum, & consecrati sunt ambo in † Rosseuelde, missique in terram egestatis & famis, vbi erat sedes Satanæ, & habitatio omnis spiritus immundi. Factaque sunt hæc inconsulto Duce & Comite nostro. Vnde accidit vt amicitia quæ erat inter Dominum Vicelinum & Comitem nostrum, deinceps turbata sit: nam antea eum vt patrem venerabatur. Tulitque decimas omnes anni illius, quæ Pontifici nouo prouenire poterant, nec dimisit ex eis paruas reliquias. Tunc abiit Episcopus ad Ducem, rogaturus veniam, & susceptus est ab eo cum honore & reuerentia. Et ait Dux ad eum: Dignum quidem fuit, ô Episcope, vt vos nec salutarem nec reciperem, eo quòd nomen istud me inconsulto susceperitis. Ego enim huius rei moderator esse debueram, maximè in * terra quam patres mei, fauente Deo, in clypeo & gladio obtinuerunt, & mihi possidendam hæreditauerunt. Sed quia sanctitas vestra dudum mihi comperta est, progenitores quoque nostri vos ab initio fidelem probauerunt, decreui iam noxæ huius obliuisci, promotionique vestræ pleno fauore concurrere, scilicet ea conditione, si inuestituram episcopalem de manu mea recipere volueritis. Hoc enim pacto res vestræ processum habere poterunt. Et visum est Episcopo verbum illud durum, eo quòd esset præter consuetudinem. Episcopos enim inuestire, solius Imperatoriæ maiestatis est. Quidam ergo fidelium ducis, Henricus de Witha, vir potens & militaris, & amicus Episcopi, dixit ad eum, Facite quod vobis vtile est, & appropinquate Domino nostro, & facite voluntatem eius, vt ædificentur Ecclesiæ in Slauia, & dirigatur cultus domus Dei in manibus vestris. Alioquin frustrabitur labor vester, eo quòd nec Cæsar, nec Archiepiscopus possit iuuare causam vestram, domino meo obnitente: Deus enim dedit ei vniuersam terram hanc. Quid autem grande requirit à vobis Dominus meus, quod vobis aut illicitum sit, aut verecundum? Quin potius res facilis est, & conducens fructum magnum, vt Dominus meus accipiat virgulam, & det in manum vestram, pro signo inuestituræ, sitisque de cætero familiaris Ducis, habentes honorem inter gentes, ad quas ingrediemini conuertendas. Rogauit ergo Episcopus præberi sibi inducias, vt deliberaret super verbo hoc. Dimissúsque pacificè, venit Bardewich, vbi mortali tactus ægritudine, per dies aliquot moratus est. Illic enim incidit paralysin, in qua vsque ad extremum vitæ suæ laborare visus est. Sedata verò aliquantulum ægritudine, perductus est Falderam in vehiculo, multúmque temporis effluxit, quo eum infirmitas ecclesiastico labori subtraxerat. AEtatis e-

*Aldenburg. Episcopatus fundatio & limites.*

*Episcoporũ series.*

*Adelbertus Archiepisc. discerpit Aldenburg. Episcopatũ in tres alios.*

*Hartwici Archiepiscopi irritus conatus.*

†D. legationibus.

*Vicelinus Aldenburg. antistes designatus.*

*Emmehardus Megalburg.*

†P. Cosseuelde.

*Iræ inter Adolfum C. & Vicelinũ.*

*Henricus Leo inauguratonem Episcopatus Aldenburg. sibi vendicat.*

*D. hac.

*Henricus de Witha.*

*Vicelinus fit syderatus.*

nim mole grauior morbus accesserat. Vbi autem ei vires Deus pręstitit, abiit Bremam, consulturus Archiepiscopum & Clerum super verbo hoc, quod imposuerat ei Dux. Qui omnes vna eadémque sententia refragari cœperunt, dicentes: Scimus quidem ô venerabilis Pontifex, sanctitati vestræ optimè cognitum esse, quid vobis super verbo hoc expediat. Sed quia venistis participari consilio nostri, breuiter respondemus quod sentimus. Primum ergo in hoc negocio pensari decet, qualiter inuestituræ Pontificum Imperatoriæ tantùm dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filiis hominum præeminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisiuit. Neque Imperatores dignissimi leuitate vsi sunt, vt Episcoporum Domini vocarentur, sed compensauerunt noxam hanc amplissimis regni diuitiis, quibus ecclesia copiosius aucta, decentius honestata, iam non vile reputet se ad modicum cessisse subiectioni, nec erubescat vni inclinari, per quem possit in multos dominari. Vbi enim Dux vel Marchio, vbi in regno principatus, quantumlibet magnus, qui Pontificibus manus non offerat; recusatus, opportunè, importunè se non ingerat? Certatim currunt, vt homines fiant Ecclesiæ, & participes fiant beneficiorum eius. Vos igitur honorem hunc pessundabitis, & infringetis iura magnis autoritatibus edita? Dabitis ne huic Duci manus vestras, vt hoc exemplo incipiant esse principum serui, qui fuerant Principum Domini? Non decet ætatem vestram, honestatis decore maturam, vt per vos incipiant abusiones fieri in domo Domini. Longè fiat à vobis verbum istud. Quod si furor principis erga vos effrenatius egerit, nonne satius est ferre iacturam bonorum quàm honoris? Auferant si velint decimas, occludant vobis introitum, si placet, Parochiæ vestræ, tolerabilis erit ista molestia. Habetis certè Falderensem domum, in qua tuta interim statione consistere possitis, & præstolari cum silentio salutare Dei. His & huiusmodi verbis auerterunt eum, ne voluntatem Ducis adimpleret. Parturiuit sanè persuasio hæc nouellę plantationi multiplex impedimentum. Quoties enim Pontifex noster Ducem adiit interpellaturus pro negociis Ecclesiæ, ille se paratum esse ostendit ad omnia quæ poposcisset vtilitas, si primum illi debitus honor exhibitus fuisset. alioquin frustra contra impetum fluminis iri. Pontifex autē humilis, facilè inclinatus fuisset, vt propter lucrum Ecclesiæ, duci secularis honoris cupido, morē gessisset, si Archiepiscopus & cæteri Bremensium non obstitissent. Nam & ipsi vaniglorii, atque diuitiis adultæ Ecclesiæ saturi, honori suo hoc in facto derogari putabant, nec magnopere fructum sed numerum suffraganearum sedium curabant. Quod vel in hoc maximè patuit, quia in possessionibus Falderensis Ecclesiæ Archiepiscopus multas Episcopo nostro fecit iniurias, demens & conuellens aliqua, nec tutum permanere sinens in statione, quam ipse ei deputauerat. Videres ergo virum antea magni nominis, possessorem libertatis, & compotem suimet, post acceptum Episcopale nomen, quasi innodatum vinculis quibusdam, & supplicem omnium. Homo enim pacis suæ in quo sperauit, auertit eum à via consilii & pacis, ne scilicet applicaretur his, per quos Ecclesiæ fructificatio pullulare posset. Fecit ergo, quod status ille temporis permisit, visitauit Ecclesias parochiæ suæ, ministrans plebibus monita salutis, præbens eis pro iure officii sui spiritualia, cùm ipse tamen non † meteret eorum temporalia. Siquidem Comes decimarum iura tollebat. Dedicatum est ergo eo tempore oratorium Cuzelinæ, quę alio nomine † Hogerestorp dicitur. Sed & Ecclesia Bernhouede tunc dedicata est. Venítque ad nouam ciuitatē, quę Lubeke dicitur, cōfortare manentes illic, & dedicauit ibi altare Domino Deo. Inde progrediens visitauit Aldēburg, vbi sedes quōdam Episcopalis fuerat, & receptus est à Barbaris habitatoribus terræ illius, quorū Deus erat Proue. Porrò nomē Flaminis, qui præerat superstitioni eorū, erat Mike. Sed & princeps terræ vocabatur Rochel, q. fuerat de semine Cruconis, idololatra & pirata maximus. Cœpit ergo Pontifex Dei, proponere Barbaris viā veritatis, quę Christ⁹ est, adhortās eos, vt relictis idolis suis festinarēt ad lauacrū regenerationis. Pauci aūt Slauorū applicuerūt se fidei, eo quòd languor fortissimus esset, & necdū incli-

*Petit Hartuici Archiepiscopi consiliũ de inauguratione.*

*Arrogans & ambitiosum responsum.*

*Mali consilii fructus. Henricus L. Vrget ius inaugurationis.*

*Ecclesiastica ambitio.*

*Hartuici Archiepiscopi in Vicelinũ iniuria.*

*Aeger animus.*

†P. meretur.

*Adolfus C.*

† P. Hagestorp.

*Lubeca.*

*Proue Aldeburgensium deaster.*

*Mike sacerdos.*

*Roche, gentis Princeps e posteritate Cruconis.*

inclinata essent corda principum,ad edomanda corda rebellium.Dedit autem Episcopus pecuniam cæsoribus lignorum,ad impensas sanctuarii, & cœptum est opus fabricæ prope vallum vrbis antiquæ, quo omnis terra die Dominica propter mercatum conuenire solebat.

## CAPVT LXXI.

IN diebus illis congregauit Dux exercitum,vt abiret in Bauariam,&†requireret ducatum,quẽ vitricus suus,Henricus,frater Conradi Regis, occupauerat. Venit ergo ad eũ Dominus noster Episcopus Vicelinus,Luneburgi,rogans,vt semper solebat,pro Episcopat⁹ sui promotione.Cui Dux,faciã,inquit,quod hortamini,si ad nos respectum habere volueritis. Ad quẽ Episcopus, paratus sum,ait, propter eũ, qui se humiliauit propter nos,meipsum in proprietatẽ dare alicui de clientibus vestris,nedũ vobis,cui Dominus ampliorẽ inter principes cõtulit magnificentiã,tam generis quàm potentię.Et his dictis fecit quod necessitas imperabat,& suscepit episcopatũ per virgã,de manu Ducis. Animæquior aũt factus Dux,ait:Quia videmus vos obedientes esse volũtati nostræ,oportet & nos sanctitati vestrę condignã gerere reuerentiã,& petitioni de cętero proniores adesse. Sed quia nũc in procinctu sumus itineris,&ordinatio vestrę causę prolixius tempus requirit,damus interim vobis villam Buzoe,quam petistis, cum sua pertinẽtia Dulzaniza,vt ædificetis vobis domum in medio terræ nostræ & præstolari possitis reditum nostrum.Tunc enim propicio Deo disponendis rebus vestris propensius instabimus. Rogauítq; Comitem Adolfum,vt huic donationi præberet assensum.Cui respõdit Comes: Ex quo *dexus est ad pietatem,decet nos voluntati eius †occurrere,& pro posse nostro ei suffragari.possessionem ergo quã dominus Dux permisit Episcopo, & ego permitto. Insuper cedo de medietate decimarũ,vt cedant in vsus episcopi, non ex debito sed ex gratia vestri,eo quòd res Episcopales necdũ ordinatæ sint. Cõmisit ergo Dux custodiã terræ Slauorũ atq; Nordalbingorũ, Comiti nostro, compositisq; rebus in Saxonia,profectus est cũ militia,vt reciperet ducatũ Bauarię.Porrò ductrix, Domina Clementia,remãsit Lunenburg,fuitq;Comes clarissimus in domo ducis, & officiosus in obsequio Ductricis,paterq; consilii. Quamobrẽ venerabãtur eum principes Slauorũ,maximè verò reges Danorũ,qui laborantes intestino bello,certabant eũ præuenire muneribus. Kanutus.n. qui profugus exulabat apud Archiepiscopũ,conflato de Saxonia cõductitio exercitu,reuersus est in Daniam.Et additi sunt ei omnes penè qui habitabant Iuthlandiæ. Hoc audito,Suein contraxit maritimas copias,transmissóq; mari venit ad ciuitatẽ Wiberge,& cõmiserũt reges prælium,& fusæ sunt copiæ Saxonũ & ad internecionẽ deletæ. Kanutus fuga elapsus, venit in Saxoniam. Post modicũ tempus,rursum venit in Daniã,& receptus est à Fresonibus,qui habitabãt Iuthlandiæ,venitq; Suein & pugnauit cũ eo,debellatũq; ad Saxones fugere compulit.Cui crebrò per fines Holzatorum itineranti,Comes noster beneficus extitit,præbens conductum, & cætera humanitatis officia. Regnauitque Suein in Dania cum maxima tyrannide, maximis semper victoriis fortunatus. Slauorum furiis minus obstitit,prælijs irretitus domesticis. Fertur tamen eos in Selande strage maxima tempore quodam percussisse.

*† P. acquireret.* *Henricus L. comparat se ad expeditionem Bauaricam.* *Inaugurat Vicelinum & possessionibus donat.* *Adolfi C. in eundem æmula munificentia.* ** P. Dominus meus.* *† P. concurrere.* *Fides & auctoritas.* *Canutus ad arma redit.* *Sueno æmulum gemino prælio profligat.* *Adolfi in Canutum benignitas.* *Suenonis tyrannis & felicitas.*

## CAPVT LXXII.

IN diebus autẽ,quibus Dux aberat,venit Niclotus,Princeps terrę Obotritorum, ad Dominam Clementiam Ductricem,Lunenburg, & conquestus est in facie eius & amicorum Ducis, quia Kycini & Circipani paulatim rebellare cœperint, & obuiti tributis iuxta morem persoluendis. Et destinatus est Comes Adolfus, & populus Holzatorum & Sturmariorum, vt adiuuarent Niclotum, & coercerent rebellionem contumacium. Abiitque Comes cum duobus millibus & amplius electorum. Niclotus quoque contraxit exercitum de Obotritis, & abierunt pariter in terram Kycinorum & Cyrcipanorum, & peruagati sunt terram hostilem, omnia vastantes igne & gladio. Fanum quoque celeberrimum cum idolis & omni superstitione demoliti sunt. Videntes autem indigenæ,quia non essent eis vires resistendi, redemerunt se immensa pecunia, defectúmque vectigalium integrauerunt cum cumulo. Tunc Niclotus delectatus

*Niclotus Obotritus.* *Kycini & Circipani rebelles.* *Adolfus popularium copiarum ductor.* *Fanum barbaricum.*

*Niclotigratitudo. Amicitia cum Adolfo renouata.*

victoria,gratias Comiti retulit ampliſſimas, reuertentemq; proſecutus eſt ad extremitatem finium ſuorum,cautiſſimam exercitui adhibēs diligentiam. Ab eo die firmatæ ſunt amicitiæ inter Comitem & Niclotum, habuerúntque frequentius colloquium Lubeke ſiue Trauennemundæ,pro commodis vtriuſq; terræ.Fuitq; pax in terra Wagirorum, accepítq; per gratiā Dei nouella plantatio ſenſim incrementum.

*Lubeca emporium. Bozoe inſula,Vicelini ſedes.*

Forū quoq; Lubicenſe creſcebat in ſingulos dies,& augebātur naues inſtitorū eius.Dominúſq; Vicelinus Epiſcopus incolere cœpit inſulā quæ dicitur Bozoe, & habitauit ſub fago,quouſq; extruerēt caſas,in quibus conſiſtere poſſent. Cœpit aūt ibi Eccleſiā ædificare in nomine Domini & in cōmemorationem beati Petri, Apoſtolorū principis.Porrò vtēſilia domus,& quæ ſufficerēt curandis aratris,prouidit Epiſcopus de Cuzelina & de Faldera.

*Adolfus Comes notatus.*

Initia verò Epiſcopatus erant in magna teneritudine,eo quòd Comes aliàs optim⁹,epiſcopo ſoli fuerit mediocriter bonus.

## CAPVT LXXIII.

*Henricus L. Bauariā fruſtra repetit.*

CVm hæc ergo in prouincia Slauorum gererentur, Dux noſter morabatur in Sueuia,intentans vitrico ſuo bellum,ſed nō valens.Ille enim adiuuabatur à rege fratre,iniuſtum eſſe perhibente,quenquā Principum duos habere ducatus.

*In eundē Alberti M. & Cæſaris inſidiæ.*

Audiens ergo Adalbertus Marchio,& alii quàm plures Principum, ducem noſtrum minimè proſperari,& veluti inter hoſtes concluſum,miſerūt ad regem,vt quantocyus cū exercitu veniret in Saxoniā,obſeſſurus Brunſuich, & oppreſſurus amicos eius.

*Goslaria.*

Poſuit ergo rex cuſtodiā per omnem Sueuiā,ne fortè Dux elaberetur,ipſe verò abiit Goſlariā accepturus Brunſwich,& omnia caſtra Ducis. Inſtabat aūt ſacra natiuitas Domini.

*Callidum conſilium.*

Intelligens ergo Dux conſiliū regis in malū,& interciſum ſibi digreſſum Sueuiæ,fecit denunciari omnibus amicis ſuis, tam liberis quā miniſterialibus, vt conuenirent ad vrbem quandam acturi cum eo diem ſolennem. Fecitque verba hæc diffamari & perſonari in auribus vulgi. Aſſumptíſque tribus fidiſſimis viris,veſpere quodam mutauit veſtem, & elapſus de caſtro, nocturnum aggreſſus eſt iter, & tranſiens medias hoſtium inſidias, quinto demum die apparuit

*† P. cōfecti.*

Brunſwich,& amici eius antea mœrore†affecti,inſperatam reſumpſere fiduciam.

*Henninge.*

Caſtra verò Regis approximabant Brunſwig, conſtituta in loco qui dicitur Heninge. Venit ergo nuncius qui diceret Regi, comparuiſſe Ducem in Brunſwig. quo certius recognito, diſſimulabat progredi,reuerſúſq; eſt Goſlariā,& annullata ſunt ea quæ fuerant Regis molimine ſuſcepta. Et defendit ſe Dux de circumuentione principum, qui inſidiabantur animæ eius, & obtinuit Ducatum Saxoniæ,

*Irrita Conradi Cæſ. expeditio. Mors. Fridericus I. Conradi ſucceſſor. Eiuſdem elogium.*

ſuccreſcens & inualeſcens per ſingulos dies. Porrò Ducatum Bauariæ requirere non poterat omni tempore,quo Conradus Rex ſuperuixit. Quo non longè poſtea defuncto,ſucceſſit in regnum Fridericus,fratruelis eius. Conradus enim Rex plures habuit fratres,quorū primi erant Henricus Dux Bauariæ & Fridericus Dux Sueuiæ, cuius filius æquiuocus poſitus eſt in regnum. Anno ergo incarnati verbi, M.C.LI.regnauit Fridericus huius nominis primus Rex,& eleuatū eſt ſolium eius ſuper ſoliū Regum, qui fuerant ante eum diebus multis. Inualuitq; ſapientia & fortitudine ſuper omnes inhabitantes terram.Mater eius, fuit amita Ducis noſtri.

## CAPVT LXXIIII.

*Hermanni Com. Wincebur gici cædes. De poſſeſsionib. eius Hērici L. & Alberti contentio. Conuentus Merſepurg. Canutus. Sueno. Vicelinus. Reconciliatio Suenonis & Canuti.*

CIrca tempus dierum illorū occiſus eſt Hermannus Comes in Caſtro Wintzeburg,vir potens & magnarum pecuniatū,& ortæ ſunt contentiones inter Ducem noſtrum & Marchionem Adalbertum propter caſtra & facultates eius. Propter hos compacandos denunciauit Rex curiam apud Marcipolim, ciuitatem Saxoniæ,mandauitq; Principibus ſolenniter adeſſe. Miſſaq; legatione, Reges Danorum tumultuantes euocauit,vt decerneret inter eos,mediante iuſtitia. Tunc Kanutus,quem tertiò Dania pulſum ſuprà dictum eſt, venit ad Ducem noſtrum,rogans vt eius conductu & auxilio in curia potiri mereretur. Porrò Archiepiſcopus cōduxit Suein Regem, habens inter multos religioſos & honeſtos viros Dominū Vicelinū Epiſcopū in comitatu ſuo. Et habita eſt curia illa celebris apud Marcipolim, vbi Principes Danorum confœderati ſunt, Suein coronato in regem,cæteris

eidem

eidem hominio subactis. Dissensio autem quæ erat inter Ducem & Marchionem sedari non poterat, eo quòd principes elati, regis adhuc recentis monita parui penderent. Persuasit ergo Archiepiscopus Vicelino Episcopo, vt inuestituram de manu regis perciperet, non fructum Ecclesiæ, sed odium Ducis intentans.

*Consiliū improbum.*

At ille non consensit, ratus iram Ducis implacabiliter accendi. In hac enim terra, sola Ducis authoritas attenditur. Soluta est Curia. Vicelinus Episcopus reuersus est in Parochiam suam, inuenitque sanctissimum virum Thethmarum præsenti vitæ subtractum.

*Mors Dithmari.*

Quod nimirum Episcopo maximam intulit mœsticiam. Ille enim dulcissimus vir omnium semper deuotione complectendus, neminem suo tempore visus est habuisse comparem.

*ἐγκωμιαστικὴ de eius vita digressio.*

Vt enim de vita eius quiddam breuiter summatimque perstringam, ante conceptum matri sanctæ reuelatus, ab ipsis cunabulis mancipatus est altaris ministerio, commendatúsque bono magistro discipulus optimus perseuerauit in disciplina vsque ad viriles annos, discipulus in Brema, socius in Francia, sustinuit iugum Magistri cum patientia, iuxta illud Ieremię: Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Post reditum *, abeunte Domino Vicelino in Slauiam, veluti sublato pædagogo, relictus est sibimet.

*P. à Frācia.

Qualis ergo apud Bremam in regendis scholis, qualis in Decania fuerit, dixerint Bremenses. Hoc commemorasse sat est, Quia post digressum eius, lumen Ecclesiæ illius sublatum Brema clamabat. Translatus ergo in Falderam, desiderio melioris vitæ, magnum gaudium attulit sua præsentia Domino Vicelino. Sed & omnibus, quos angulus ille horroris & vastæ solitudinis continebat, noua quædam facies orta est de aduentu tanti hospitis. Post aliquot annos dilatante Deo fines Ecclesiæ, missus est Cuzelinam, quæ & Hogerestorp, & incolis nouæ habitationis magno solatio fuit.

*Benignitas in afflictos.*

Captiuis enim & despoliatis, tanta pietate concurrebat, vt dandi magnitudo vires domus illius adhuc teneræ excedere videretur. Inter orandum enim siue legendum, aures eius semper vigilabant ad ostium suspensæ, quando veniret egenus pulsans & petens. Reuerebatur eum Comes Adolfus, eo quòd redargueret culpas eius, nec parceret delinquenti.

*Adolfus C.*

Duriciam enim cordis eius, quam exhibuit Episcopo, venerabilis ille sacerdos adhibitis emplastris emollire sategit, sed omne medicamentum altior morbus euicit. Audito tamen eo multa faciebat, sciens eum virum iustum & sanctum. Expletis ergo postquam in hac terra mansit annis decem, infirmitate correptus est, absente scilicet Episcopo, & apud Marcipolim posito. Cùm autem fratres lecto ægrotantis appliciti, spem recuperandæ salutis instaurarent, ille cum magna recusatione aiebat: Nolite fratres dilecti præsentis vitæ dilationem mihi repromittere: nolite spiritum meum de peregrinationis fatigio ad patriam tendentem huiuscemodi verbis affligere.

*Animus ad mortem cōpositus.*

Ecce decem anni sunt, ex quo vitam meam sub professionis huius titulo protrahi rogaui, & exauditus sum, nunc tandem laborum requies oranda est. Et confido de solita pietate Dei, quia nec hac petitione frustrabor. Augebantur ergo torsiones vitalium, nec tamen in defectu corporis vigor interioris hominis emarcuit. Completum est in eo illud Salomonis: Fortis est vt mors dilectio, flumina & venti non potuerunt extinguere eam. In moriente viuebat caritas, quæ in exhausto corpore integrabat affectum, præbentem fratribus solatium de mœrore, consilium in rebus ambiguis, morum ædificationem, imprimentem cordibus amicorum nouissima quędam valedictionis vestigia, nunquam abolenda.

*Gratitudo erga præceptorem.*

Sed nec immemor dilectissimi patris sui Vicelini, orabat perintimè, vias eius à Deo dirigi, per hunc sibi viam salutis, & spem regni patefactam multoties congratulans. Venerunt ergo ad ægrotum fraterna solicitudine, Prior Falderensis Ecclesiæ Eppo, & Bruno sacerdos, & post visitationem exhibuerunt ei sacræ vnctionis officium. Quo venerabiliter percepto, participatione nihilominus viuifici corporis Domini communitus, perseuerabat in gratiarum actione. Nocte verò qua vigilia Pentecostes obuenerat, hoc est, 16. Cal. Iunii, peruigil in oratione, precibus inuitauit angelos, suffragia sanctorum interpellauit omnium, iámq; recedente anima, mouebatur adhuc lingua in oratione & cōfessione laudis. O dignissimū sacerdotem, ô gratissimā Deo animā. Fœlicem dixerim in cursu, sed fœliciorē

in peruentione, qui breuissimi laboris compendio apud Deum gloriam meruit sempiternam, apud homines sanctæ recordationis affectum.

## CAPVT LXXV.

†P. Huius. *Lutbertus eiusq; vaticinium.*

†CVius venerabilis sacerdotis transitum longè antè prædicere solebat Luthbertus frater, qui militiam huius seculi seruitute Dei commutans, cum famulo Dei Thethmaro, pauperum, qui erant in hospitali, curam gessit. Hic tempore quodam visitans Falderam, vultum prætendit plus solito subtristem, atque lachrymis suffusum. Interrogatus causas mœsticiæ, respondit meritò se tristari, qui patris amantissimi præsentia destituendus esset in breui. Fatetur nihilominus de his non somniantem, sed vigilantem diuinitus se instructum. Nec longè pòst prophetantis verbum, velox sacerdotis obitus subsecutus est. Fratres quoq; quos intimus viri affectus flere coegit, reuertentes ad cor, hauserunt spem, & resumpserunt spiritum consolationis, memores oraculi. Vbi ergo in Faldera nunciatum est de obitu eius, statim miserunt nuncios ad transferendum corpus, eo quòd ipse discedens hoc intentius orauisset. Quod tamen venerabilibus fratribus Theodorico, Ludolfo, Luthberto, & cæteris, qui illic degebant, nullatenus persuaderi potuit, dicentes, omnes se malle mori, quàm tanto pignore priuari, quod Wagirensi Ecclesiæ nouiter cœptæ futurum esset & honori & solatio. Confluentibus ergo de Sigeberge & de vicinis oppidis fidelium populis, corpus sanctum terræ commendatum est, cum multa pauperum lamentatione, de sua destitutione conquirentium. Magnificetur ergo Deus in sanctis suis, qui virum hunc perfecit sibi dignum sacerdotem, consummatum vocatione fœlici. Vobis quoque ô patres Lubicanæ reipub. salus abundantior erit à Domino, si virum talem dignè excolueritis, statuentes eum in fronte eorum, qui diruta Ecclesiæ nostræ in noua culmina surgere fecerunt.

*Luctus funebris.*

*Apostrophe ad Lubecenses..*

## CAPVT LXXVI.

*Contentio inter Henricum L. & Hartuicum Archiepisc. de iure conferendi in Slauia Episcopatus.*

*Adolfus Com. notatus.*

POst decessum præclari sacerdotis Thethmari, Vicelinus Episcopus reuersus est de curia Marcipolitana frustrato labore propter sterilitatem principum. Dominus enim Archiepiscopus, & Dux, in quibus summa rerum in hac terra consistebat, præpedientibus simul odio & inuidia, nullos Deo placitos fructus facere poterant. Certabat vterque cuius esset terra, vel cuius esset potestas statuendi episcopos, cauerántq; diligentissimè, ne quilibet eorum cederet alteri. Sed nec Comes Adolfus, licet in multis probatus, rebus Episcopalibus animum plenè accommodauerat. Accesserat his malis Episcopo nostro amplior tristicia de obitu Domini Thethmari, quo adhuc superstite tolerabilius videbatur omne quod vrgebat. Afficiebatur ergo tædio spiritus in singulos dies, quæsiuit consolantem se, & non inuenit. Transactis autem, postquam de curia venerat, paucis diebus, venit †Buzo, vbi domum & Ecclesiam ædificare cœperat, & plebibus illic aggregatis præbuit verbum salutis. Iam enim circumiacentia oppida incolebantur paulatim à Christicolis, sed cum grandi pauore, propter insidias latronum. Castrum enim Plunense necdum reædificatum fuerat. Consummans ergo Pontifex sacra mysteria, & offerens nouissimum Deo sacrificium, pronus adorauit in terra coram altari Domini, rogans fortissimum Dominum, vt cultus ipsius propagaretur tam in eo loco, quàm in vniuersa latitudine Slauiæ. Multotiens autem hominibus transmigrationis inter exhortatoria verba præsagiebat, cultum domus Dei sublimem in breui futurum in Slauia, & ne deficerent animis, habentes duram patientiam ob spem meliorum. Valedicens ergo sacerdoti venerabili Brunoni, & cæteris, quos eidem loco præfecerat, & confortans manus eorum in Domino: reuersus est Falderam, vbi infra septem dies correptus est virga Dei, & adeo paralysi dissolutus est, vt manus eius & pes, totum denique latus dextrum exaruerint, quódque omnibus miserabilius fuit, priuatus est officio linguæ. Conturbati sunt hoc spectaculo omnes, qui viderant, virum scilicet incomparabilis facundiæ, Doctorem magnum, exuberan-

†P. Buzouã. *Vicelinus ad sedẽ & munus suum redit.*

*Vaticinium.*

*Vicelinus syderatus linguæ vsu priuatur.*

uberantem verbo sacræ exhortationis, & veritatis defensione, subito lingua membrísque destitutum, & per omnia factum inutilem. Quàm dissonæ ergo fuerint populorum sententiæ, quàm temeraria multorum nomine tenus iudicia religiosorum, piget reminisci, nedum verbis prosequi. Dicebant, quia Dominus dereliquit eum, nec intendebant scripturæ dicenti: Beatus qui corripitur à Domino. Dolebant autem † irremedicabili dolore omnes qui erant in Faldera & Cuzelina, maximè verò ij, qui in has terras primi cum eo venerant, & cõsenuerant cum eo, sub pondere diei & æstus. Adhibebatur autem ægroto Medicorum opera, inefficax tamen, prouidente scilicet diuinitate meliora de eo, & viciniora saluti. Dissolui enim & esse cũ Christo multo est melius. Duobus ergo annis & dimidio versatus est in lecto ægritudinis, nec sedere nec iacere cõtentus. Curabatur autẽ propensius fratrum diligentia, præbentium ei necessaria corporis, & ad Ecclesiã eum deferentium. Nunquam enim missarum solennijs, vel communioni sacræ abesse voluit, nisi fortè infirmitas grauior obstitisset. Tantis Dominum gemitibus, & interno cordis clamore compellabat, vt aspicientes vix à fletu temperauerint. Gubernabat eo tempore domum Prior eiusdem loci, venerabilis Eppo, vir magni in Christo meriti. Porrò Cuzelinam & Ecclesias quæ in Wagira erant, regebat Dominus Ludolfus, ille, inquam, qui olim in Lubeke multos propter Euangelium Christi labores pertulerat. Huic præposituram Cuzelinæ, dum adhuc sanus esset, Episcopus commendauerat.

*Diuersa de eo iudicia.*

† P. irremediabili.

*Syderationis diuturnitas.*

*Eppo.*

*Ludolfus.*

## CAPVT LXXVII.

VNa ergo dierum allocutus est Dux Comitem Adolfum dicens: Perlatum est ad nos iampridem, quòd ciuitas nostra Bardewich magnam diminutionem ciuium patiatur propter Lubicense forum, eo quòd mercatores omnes eò commigrent. Idem conqueruntur ij, qui sunt Luneburg, quòd Sulcia nostra deuorata sit propter Sulciam quam cœpistis habere Thodeslo. Rogamus ergo, vt detis nobis medietatẽ ciuitatis vestræ Lubike, & Sulciæ, possimusq; tolerabilius ferre desolationem ciuitatis nostræ. Alioquin præcipiemus, ne fiant mercationes de cætero in Lubike. Non enim ferendum est nobis, vt propter aliena commoda, desolari patiamur hęreditatem patrum nostrorum. Sed cùm renueret Comes, reputans incautam sibi huiuscemodi conuentionem, mandauit Dux, ne de cætero haberetur forum Lubike, nec esset facultas emendi siue vendendi, nisi ea tantùm, quę ad † cibum pertinent. Et iussit mercimonia transferri Bardewich ad subleuandam ciuitatem suam. Sed & fontes Salis qui erant Thodeslo, ipso tempore obturari fecit. Et factum est verbum illud Comiti nostro & terræ Wagirensi in offensionem, & profectuum impedimentum.

*Bardewicũ.*

*Lubeca.*

*Salina Luneburg.*

*Thodeslo.*

*Emporium Lubecæ inhibitum.*

† D. victum.

*Adolfi cum Henrico L. simultas.*

## CAPVT LXXVIII.

NEc hoc prætermittendum videtur, quòd dilatante Deo fines Ecclesiæ, ordinatus est in Racesburg Episcopus Dominus Euermodus, præpositus de Magdeburg, deditq; ei Comes Polaborum Henricus insulam ad inhabitandum prope castrum. Præterea trecentos mansos resignauit Duci dandos in dotem episcopij. Porrò decimas terræ recognouit Episcopo, quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus est homo episcopi, exceptis trecentis mansis, qui cum omni integritate tam redituum quàm decimarum sunt Episcopi. Interfuit his rebus agendis Dominus Ludolfus præpositus de Cuzelina, & dixit ad Comitẽ, præsente Comite nostro Adolfo: Quoniam Comes terræ Polaborum benefacere cœpit erga Pontificem suum, decet vt noster Comes non faciat minorem partem suam. Ampliora enim de ipso præsumenda sunt, vtpote de homine literato, habente scientiã rerum Deo placentium. Tunc Comes noster secutus factum Comitis Polaborum, remisit de beneficio suo trecentos mansos, qui oblati sunt per manus Ducis in dotem Aldenburgensis episcopatus.

*Euermodus alter Racesburg Episc.*

*Henricus, Comes Polaborũ, eiusq; in Ecclesiã munificentia.*

*Ludolfus.*

*Adolfus Comes opportunam cõmonitionem audit.*

## CAPVT LXXIX.

*Henrici L. iter Italicū.* POst hęc abijt Dux noster in Italiam cum Rege pro Corona Imperiali. Quo absente Vicelinus Episcopus ingrauescente morbo, diem clausit extremum. *Mors Vicelini.* Obijt autem 2. Idus Decembris, anno videlicet incarnati verbi, 1154. Sedit autem in Episcopatu annis quinque, hebdomadibus nouem. Corpus eius tumulatum est in *Sepultura.* Falderensi Ecclesia præsente scilicet Domino Racisburgensi episcopo, & officium consummante. Agebatur ergo intensius memoria boni patris tam in Faldera quàm in Cuzelina. Fuitque præfixum à curatoribus, quid singulis diebus dari deberet in eleemosyna pro remedio animæ eius. Fuit autem in Cuzelina sacerdos *Volckhardus.* quidam Volchardus nomine, minister mensæ, quique primus ad Falderam cum Domino Vicelino venerat, industrius in actionibus extrinsecis. Hic ergo eleemosynas pro boni sacerdotis anima constitutas dare neglexit, parcus in rebus supra *Spectrum.* quàm necesse esset. Apparuit ergo venerabilis Pontifex mulieri cuidam consistenti in pago Sigeberg, circumamictus cultu sacerdotali, dixitque ad eam: Vade & dic Volchardo Sacerdoti, quia impiè agit circa me, subtrahens ea, quæ pro remedio animæ meæ fratrum mihi deuotio suppuţauit. Cui mulier: Quis, inquit, Domine vitam vobis atq; linguam donauit? Nonne fama latius percrebuit, vos multis diebus vel annis lingua priuatum, postremo etiam morte defunctum? Vnde ergo hæc? Quam ille blando vultu consolans: Ita est, ait, vt loqueris, sed hæc melius nunc instaurata recepi. Nuncia ergo memorato sacerdoti, vt celerius adimpleat, *† D. pro.* quod subtraxit, quin etiam hoc adiunges, vt nouem officia expleat † post me. Et his dictis recessit. Vbi ergo nunciata sunt hæc sacerdoti, abijt Falderam consulere super verbo hoc. Interrogatus autem, confessus est culpam, iuxta sermonem viri *Scrupulus auctoris.* Dei, promisitque meliorationem. Porrò de nouem officijs post eum à sacerdote complendis, nobis diuersa commentantibus, veritas incognita fuit, sed rei euentus verbum quod latebat, citius aperuit. Idem enim presbyter, nouem post episcopum hebdomadibus vixit, declaratumque est septimanas officijs præsignatas. Sed *Eppo.* & hoc commemorare deuotio persuadet, quòd vir clarissimus Eppo, Pontifici pro vitæ reuerentia valde familiaris existens, inconsolabiliter lugebat pro defuncti patris absentia. Quod cum multis diebus ageret, sæpe dictus Pontifex virgini cui- *Somniū monasticum.* dam castæ & simplici in somnis astitit dicens: Dic fratri nostro Epponi, quatenus cesset flere, quia bene sum, & fletibus eius condoleo, ecce enim lacrymas eius in vestibus meis porto. Dixerat hæc, & ostendit ei vestem niuei candoris totam la- *† D. profusam.* crymis † infusam. Quid dicam de illo nobis notissimo, cuius supprimo nomen, ita enim placuit, eo quòd adhuc superstes sit, & habitet in Faldera, velitq; latere. Hic *ἔκςασις.* post mortem Pontificis necdum expletis triginta diebus, audiuit eum in visione dicentem, repositam sibi requiem cum famosissimo illo Bernhardo Clareuallensi. Cui cùm diceret: Vtinam vos essetis in requie, ille respondit: Sum, Dei gratia, & *† P. postea.* vos quidem credidistis me mortuum. Ego autem viuo, & semper † præterea vixi. Grata profectò nec onerosa fiet deuoto lectori vnius adhuc rei descriptio, quam ** P. nostri.* in laudem Dei, & commendationem Pontificis * gestam, multorum probat me- *Horgene.* moria. Erat in Falderensi Parochia in villa quæ dicitur Horgene, matrona quæ- *Adelburgis.* dam Adelburgis nomine, Pontifici propter vitæ simplicitatem admodum familiaris. Hanc postmodum luminibus orbam, venerabilis pater consolari frequentius assueuit, adhortans eam, virgam paternæ correptionis patienter sustinere, nec deficere in tribulationibus, oculos scilicet ei in cœlo repositos esse repromittens. Post transitum ergo Pontificis vix annus emensus est, viditque mulier illa in visione nocturna, assistentem eum sibi, & de statu salutis ipsius solicitè percunctantem. Cui illa, Quæ mihi, inquit, salus, quæ in tenebris sum, & lumen non video. Vbi quæso Domine consolationes tuæ, quibus oculos meos in cœlo repositos dicebas? Ego autem protrahor in hac miseria, & cæcitas inueterata perdurat. No- *Somniū miraculosum.* li, ait, diffidere de gratia Dei nostri. Statimque prætendens * signum venerabile ** P. dextra.* Crucis oculis eius impressit, adhibens benedictionem. Mane ergo facto euigilans fœmina, sensit ex operatione Dei cum tenebris noctis pulsas tenebras cæcitatis. Tunc

tatis. Tunc exiliens è strato mulier, prona cecidit in terram, exclamans in gratiarum actione, & dedignata ducem, proprios direxit gressus ad Ecclesiam, pulchrum de illuminatione sua præbens spectaculum omnibus notis & amicis. Fecitque postmodum de manu propria velum ad operiendum sepulcrum Pontificis in testificationem & monumentum illuminationis suæ. Multa quidem & alia fecit Dominus per virum hunc laudabilia, dignaque relatu, quæ non sunt scripta in libro hoc. Faldera ergo, Pontificis magni lætetur honore, Virtutes animo contegat ossa solo. Vos quoque qui residetis in architriclinio Ecclesiæ Lubikanæ, excipite virum hunc, virum, inquam, quem mera narratione vobis propino, ideo vtique mera, quia vera. Neque enim hoc dissimulare penitus valebitis, quia primus in ciuitate vestra noua, erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper.

*Vicelini epitaphium.*

## CAPVT LXXX.

POst transitum Vicelini Episcopi fratres de Faldera recesserunt à subiectione Aldenburgensis episcopatus, ob laboris fastidium, & elegerunt sibi præpositum Dominum Epponem, virum sanctum. Porrò episcopalis electio Domino Duci reseruata est. Fuit autem eo tempore Sacerdos quidam Geroldus nomine, Sueuia natus, parentibus non infimis, Capelanus Ducis, scientia diuinarum scripturarum adeò imbutus, vt neminem in Saxonia videretur habere parem, in corpore pusillo magnanimus, Magister scholæ in Brunswich, & Canonicus vrbis eiusdem, familiaris Principi propter continentiam vitæ. Præter mundiciem enim cordis Deo cognitam, castissimus habebatur in corpore. Propositum ergo habens habitum assumendi monachicum in loco qui dicitur Rådegeshusen sub obedientia Abbatis Conradi, ad quem ipsi erat germanus sanguis & amor: Hærebat autem in curia Ducis, corpore magis quàm animo. Vbi ergo fama vulgauit Vicelinum episcopum obijsse, Domina Ductrix allocuta est Geroldum sacerdotem, Si tibi propositum est seruiendi Deo sub austeritate vitæ, assumito tibi laborem vtilem & lucrosum, & perge in Slauiam, & sta in opere, in quo fuit Vicelinus Episcopus: hoc enim faciens & tibi & alijs proderis. Omne bonum si in commune deductum fuerit, maius bonum est. Accersiuit ergo Domina per literas Ludolfum præpositum de Cuzelina, commendatumque sacerdotem transmisit cum eo in Wagirensem terram, eligendum in Episcopum. Accessitque petitio Principis, cleri plebisque concors electio. Aberat tunc fortè Episcopus, qui consecraret † Episcopum: ille enim Duci ab initio infensus, tunc verò amplius insidiabatur calcaneo eius, eo quòd Dux occupatus esset expeditione Italica, & communita sunt aduersus eum castra Episcopi † Stadhettuorden, Horeborg, Friburg. In diebus illis orientalis Saxoniæ Principes & aliqui de Bauaria, conspirationis vt dicebatur gratia, condixere colloquium, euocatusque Archiepiscopus occurrit eis in saltu Bohemico. Quo postea reditum maturante, vetitus est à Ducensibus redire in Parochiam suam, exclususque mansit toto penè anno in orientali Saxonia. Surgens ergo noster electus, abijt post eum in Saxoniam, quæsitumque reperit apud Marcipolim, Aldenburgensem episcopatum in alteram personam demutare parantem. Enimuero præpositum quendam in partibus illis, bene erga se meritum, hoc honore remunerare decreuerat, magna quædam, sed superuacua de diuitijs huius episcopatus iactitans. Audito ergo aduentu Domini Geroldi, perturbatus est animo, cœpitque velle irritare electionem, prætendens immaturam Ecclesiam, & personis adhuc quasi vacuam, sine sui permissione, nec eligere nec discernere quicquam posse. At nostri ostendere cœperunt, ratum esse opus electionis, quam perfecisset postulatio Principis, concordia cleri, aptitudo personæ. Tunc Archiepiscopus, non est, inquit, huius temporis vel loci talium explanatio, expediet hanc causam, cùm rediero, Bremense capitulum. Videns ergo electus, Archiepiscopum aduersantem sibi, remisit Ludolfum præpositum, & eos qui cum ipso venerant in Wagiram, ipse verò succinctus abijt in Sueuiam, designaturus Duci

*Eppo præpositus Falderensis. Geroldus, Henrici L. mysta. Ridageshusium Conradus Abb. γνώμη. Gerold⁹ antistes Aldenburg. designatus. † P. electū. Hartuici Archiepis. inuidentia. † P. Staden, Vorden. Conspiratio in Henricum L. Pœna curiositatis. Marcipolis, Merseburg. Iactantia. Malitia. Ludolfus. Henricus L.*

*Geroldi in itinere Italico periculum.*

per nuncium suum de statu suo. Cui Dux remandauit, vt celerius veniret in Longobardiam, veluti processurus cum ipso Romam. Quo mandatis parente, in exeundo Sueuia, incursatus est à latronibus, amissoque viatico, gladio grauiter vulneratus in frontem est. Nec his præpeditus, vir æstuantis animi, profectus est itinere cœpto, perueniensque Terdonam, vbi erant castra regis, benignè susceptus est à Duce & amicis eius. Porrò rex & vniuersi Principes expugnabant Terdonam, & obsessa est ciuitas diebus multis. Ad vltimum capta ciuitate, fecit deponi muros eius, & adæquari solo. Inde proficiscente exercitu, fecit Dux episcopum nostrum comitari secum in Italiam, vt offerret eum Domino Papæ. Miserunt ergo Romani legatos ad regem in castra, qui dicerent ei paratum esse Senatum, & vniuersos ciues vrbis, ad excipiendum eum cum triumphalibus pompis, siquidem Imperatorio more sese exhibuisset. Quo percunctante modum, quo sese exhibere deberet, illi aiunt, Regem propter Imperiale fastigium Romam venientem decet venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curribus suis tyrannos bello subactos, & diuitias gentium. Præterea oportet eum honorare vrbem, quæ caput orbis est, & mater imperij, & dare senatui quæ edictis præfixa sunt, videlicet † quindecim millium libras argenti, vt per hoc suscitentur animi senatus ad beneuolentiam, & exhibeant ei honorem triumphalem, & quem electio principum Regni creauit Regem, autoritas senatus perficiat Cæsarem. Tunc rex subridens, grata, inquit, promissio, sed cara emptio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanita camera nostra. Puto autem quia occasiones quæritis aduersum nos, imponendo non imponenda. Consultius verò agitis, si his omissis, amicitiæ potius nostræ quàm armorum cœperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, dicentes: iura ciuitatis nullatenus irritanda, sed gerendum morem senatui, alioquin aduentanti claustra vrbis obijcienda.

*Dertona à Cæs. capta muris nudatur.*

*Stolida Romanorum legatio.*

*† D. viginti mill.*

## CAPVT LXXXI.

*Adrianus III. Papa.*

HIs auditis, Rex missa legatione per summos & honorabiles viros, accersiuit Dominum Adrianum Papam in castra, propter participationem consilij. Siquidem Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergo eo in castra, Rex festinus occurrit, & descendenti de equo tenuit strepam, duxitque per manum eum in tentorium. Facto autem silentio, locutus est Dominus Bauembergensis Episcopus verbum ex ore regis & principum, dicens: Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut iamdudum sitienter desiderauimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agentes omnium bonorum largitori Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & sanctissima visitatione tua dignos fecit. Notum ergo tibi esse cupimus, Reuerende pater, quia omnis hæc Ecclesia de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerunt Principem suum ad tuam beatitudinem, prouehendum ad culmen imperialis honoris, virum nobilitate generis conspicuum, animi prouidentia instructum, victorijs fœlicem, præterea etiam in his quæ ad Deum pertinent præpollentem, obseruatorem sanæ fidei, amatorem pacis & veritatis, cultorem sanctæ Ecclesiæ, super omnia verò sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam amplexatur vt matrem, nihil negligens eorum, quæ ad honorem Dei, & Apostolorum Principis exhibenda maiorum iubet traditio. Dat huic rei credulitatem humilitas nunc exhibita. Enimuero venientem te suscepit intrepidus, & applicitus sanctissimis vestigijs tuis, fecit ea quæ iusta sunt. Restat ergo Domine pater, vt & tu circa ipsum peragas ea quæ tua sunt, vt ea quæ de plenitudine culminis Imperialis ei desunt, per Dei gratiam tuo opere suppleantur. Ad hæc Dominus Papa respondit: Verba sunt, frater, quod loqueris. Dicis Principem tuum condignam beato Petro exhibuisse reuerentiam. Sed beatus Petrus ma-

*Ad eundem Bambergēsis de Cæs. & principum sententia oratio.*

trus magis videtur inhonoratus: denique cùm dexteram deberet tenere ſtrepam, tenuit ſiniſtram. Hæc cùm per interpretem regi nunciata fuiſſent, humiliter ait: Dicite ei, quia defectus hic, non fuit deuotionis ſed ſcientiæ. Non enim tenendis ſtrepis magnopere ſtudium dedi: enimuero ipſe, vt memini, primus eſt cui tale obſequium † dependi. Cui Dominus Papa, Si quod facilimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima: Tunc rex aliquantiſper motus, ait: Vellem melius inſtrui, vnde mos iſte inoleuerit, ex beneuolentia, an ex debito? Si ex beneuolentia, nil cauſari habet Dominus Papa, ſi vacillauerit obſequium, quod de arbitrio, non de iure ſubſiſtit. Quod ſi dicitis, quia ex debito primæ inſtitutionis hæc reuerentia debetur principi Apoſtolorum, quid intereſt inter dexteram ſtrepam & ſiniſtram, dum modò ſeruetur humilitas, & curuetur Princeps ad pedes ſummi Pontificis. Diu itaque, acriterque diſputatum eſt. Poſtremo diſceſſerunt ab inuicem ſine oſculo pacis. Timentes ergo ij, qui columnæ regni eſſe videbantur, ne fortè rebus inactis, fruſtra laboraſſent, multa perſuaſione euicerunt cor regis, vt Dominum Papam reuocaret in caſtra. Quem redeuntem ſuſcepit rex integrato officio. Omnibus autem exhilaratis, & conuentioni adgaudentibus, dixit Dominus Papa: Adhuc ſupereſt, quod facere debeat Princeps veſter. Requirat beato Petro Apuliam, quam Willehelmus Siculus per vim poſſidet. Quo facto, veniat ad nos coronandus. Reſponderunt Principes, dicentes: Diu eſt quo fuimus in caſtris, * & tu dicis, tibi Apuliam requiri, & ſic demum ad conſecrationem veniri? Dura ſunt hæc, & ſupra vires noſtras. Quin potius impleatur opus conſecrationis, vt pateat nobis reditus patriæ, reſpiremuſque paululum de labore: poſtmodum * expediti redibimus, expleturi quod nunc faciendum reſtat. Moderante ergo Deo, ſub quo curuantur qui portant orbem, ceſſit Apoſtolicus, & aſſenſus eſt poſtulationi Principum. Factaque concordia, aſſederunt in conſilio, acturi de introitu vrbis, & cauendis inſidijs Romanorum. Eo tempore acceſſit Dux noſter ad Dominum Papam, rogans eum pro conſecratione Aldenburgenſis electi: Qui cum modeſtia recuſauit, dicens, Libenter ſe facere poſtulata, ſi poſſet fieri ſine iniuria metropolitani. Nam Dominus Hammenburgenſis Papam literis præuenerat, rogans eum abſtinere huic conſecrationi, quæ ſibi verecunda foret.

*Faſtus & arrogantia Papalis.* — † D. impendi. — *Criminatio iniquiſſ.* — *Purgatio iuſtiſſ.* — *Pertinacia.* — *Papa Apuliam inhiat.* — *Wilhelmus Siculus.* — * P. deſunt nobis ſtipēdia. — * D. magis. — *Henricus L. intercedit ad Papam pro Geroldo.*

Cùm ergo appropinquarent vrbi, miſit rex clàm noctu nongentos loricatos ad domum beati Petri, vnà cum legatis Domini Papæ, qui perferentes mandata ad cuſtodes, intromiſerunt milites per poſticum infra domum & † arces. Mane ergo facto venit rex cum omni exercitu, præcedenſque Dominus Papa cum Cardinalium numero, ſuſcepit eum ad gradus, & intrantes domum beati Petri, aggreſſi ſunt opus conſecrationis. Porrò miles armatus ſtabat circa templum & ædem, obſeruans regem quouſque conſummarentur myſteria. Poſtquam autem perfectum eſt in eo opus Auguſtæ dignitatis, egreſſus eſt muros vrbis, & miles laſſitudine grauis cibo refectus eſt. Inter prandendum, Lateranenſes, facta eruptione, tranſgreſſi ſunt Tyberim, & primum quidem caſtra Ducis, quæ muris erant contigua, turbauerunt, vociferanſque exercitus de caſtris proruit ad obſiſtendum. Et factum eſt bellum potens in illa die. Illic Dux noſter fortiter dimicauit in capite. Romani victi paſſi ſunt ruinam magnam. Poſt factam victoriam, magnificatum eſt nomen Ducis, ſuper omnes qui erant in exercitu. Volens ergo Dominus Papa honorare eum, tranſmiſit ei munera, præcepitque nuncio, dicens: Dic ei, quia craſtina, ſi Dominus voluerit, electum eius conſecrabo. Et lætatus eſt Dux de promiſſione. Mane ergo facto, fecit Dominus Papa publicam ſolennitatem, & conſecrauit nobis Epiſcopum cum magna gloria.

† D. arcem. — *Friderici I. inauguratio.* — *Lateranenſium ſeditioſa in Cæſarianos eruptio.* — *Henrici L. virtus bellica.* — *Gloria.* — *Geroldus inauguratur à Papa.*

## CAPVT LXXXII.

*Verona.* *Athesis.* *† D. ruptus.* *Clusa seu fauces.* *Seditiosus Veronensiũ conatus.* *Animadversio iusta.*

REductis ergo Romanis in gratiam Papæ, Cæsaris expeditio retorsit iter ad reditum, & deserentes Italiam venerunt in Longobardiam. Qua nihilominus postposita, venerunt Veronam, vbi contigit Cæsarem cum exercitu graue incurrisse discrimen. Siquidem Veronensium lex est, Imperatori Longobardiam egredienti, pontem nauibus sternere in flumine, quod dicitur Edesa, cuius impetus instar torrentis violentus, nemini vadosus est. Cùm ergo transisset exercitus, statim pons ille à fluminis impetu † raptus est. Properansque exercitus, venit ad angustiam viæ, cui Clusa nomen est, vbi inter scopulos cœlo contiguos, iter adeo inter arctum trahitur, vt duobus pariter incedentibus, commeatum vix præbeat. At Veronenses supercilium montis occuparant: missisque iaculis, neminem transire sinebant. Requirebant autem ab Imperatore, quid pro salute suimet atque suorum dare vellet. Cæsar ergo tam flumine quàm montibus vndique cinctus, incredibile dictu est, qualiter animo consternatus fuerit: Ingressusque tabernaculum, discalciatus pedes, adorauit coram viuifico ligno crucis Domini. Nec mora, diuinitus inspiratus inuenit consilium. Fecit ergo vocari eos, qui de Verona secum erant, & ait ad illos: Ostendite mihi callem absconditum, qui ducit in supercilium montis, alioquin iubebo effodi oculos vestros. At illi timentes, detexerunt ei abditos ascensus montis, statimque conscendentes fortissimi militum superuenerunt hostibus à tergo, & disiectos pugna, comprehenderunt nobiles eorum, & perduxerunt eos in conspectum Cæsaris. Qui fecit eos suspendio affici. Sicque remotis offendiculis, exercitus perrexit itinere suo.

## CAPVT LXXXIII.

*Geroldi antistitis in Germaniã & ad munus suum reditio.* *Difficultates.* *Buzoe.* *Hartuici Archiepisc. fastus.* *Cum Geroldo iurgium.*

POst hæc Episcopus noster, accepta à Duce licentia, secessit in Sueuiam, vbi venerabiliter ab amicis susceptus, & per dies aliquot retentus, diuertit in Saxoniam. Deinde transmissa Albia venit in Wagiram, ingressurus laborem, cui mancipatus fuerat. Denique ingressus episcopatum, non inuenit stipendia, quibus vel ad vnum mensem sustentari posset. Siquidem Falderensis domus post mortem beatæ memoriæ Vicelini episcopi, commodo simul & quieti consulens, ad Hammenburgensem Ecclesiam sese transtulerat. At Ludolfus præpositus & fratres in Hogerestorph satis sibi esse iudicabant, vt Episcopum ingredientem & egredientem hospitio colligerent. Sola domus Buzoe stipendijs episcopalibus deseruiebat, vacua admodum & inculta. Visitans ergo Episcopus & alloquens filios Ecclesiæ suæ, regressus est ad Albiam, locuturus Archiepiscopo, penes Staden. Quem cùm Archiepiscopus ob fastum elationis diutius protraheret, essetque difficilis admissio, dixit episcopus noster ad Abbatem de Reddegeshusen, & cæteros, qui secum venerant: Quid hîc residemus fratres? Eamus videre faciem hominis. Et nil trepidans, ingressus est ad Principem: accepitque osculum sine verbo salutationis. Ad quem noster episcopus, mihi, ait, non loquimini? Quid peccaui, vt non merear salutari? Demus, si placet, arbitros, qui iudicent inter nos. Veni, vt scitis, Marcipolim, postulaui benedictionem, & renuistis. Necessitate ergo compulsus abij Romam; impetraturus ab Apostolica sede, quæ mihi negata sunt à vobis. Iustior ergo mihi est irascendi ratio, qui mihi onerosam itineris huius necessitatem imposuistis. Ad quem Archiepiscopus: Quæ, inquit, tam ineuitabilis causa vos propulit Romam, ad subeundum viæ laborem & expensas sumptuum? An quia in regione longinqua positus, postulationem

tionem vestram ad faciem Ecclesiæ nostræ distuli? Distulistis, ait noster Episcopus, veluti infirmaturus causam nostram. hoc enim, vt verum fateamur, verbis apertius prosecutus estis. Sed gloria Deo, qui perfecit nos in ministerio suo, laboriosa quidem sed grata assecutione. Tunc Archiepiscopus, Apostolica, inquit, sedes, potestate sua, cui certè obniti non possumus, vsa est in consecratione vestri, quæ ad nos iure spectabat. Sed huic iniuriæ rursus prouidit remedium, designando nobis per literas, nihil in hoc facto authoritati nostræ de vestra subiectione subtractum. Respondit Episcopus: Scio quidem, nec diffiteor hoc ita esse vt dicitis, & ob hoc ipsum veni, vt exhibeam me in his quæ digna sunt vobis, vt sopiantur discordiæ, & instaurentur ea quæ pacis sunt. Iustum quoque arbitror, vt nobis quæ subiecta sunt sentientibus, prouideatis sustentationis adminiculum. Militantibus enim debentur subsidia. Et his dictis statuerunt ad inuicem amicitias, promittentes alterutrum in necessitatibus opem vicariam. Inde digrediens episcopus noster Geroldus, abijt Bremam, occursurus Duci. Ille enim offensus Fresonibus, qui dicuntur Rustri, venit Bremam in Calendis Nouembris, & fecit comprehendi quotquot ad forum venerant, & substantias eorum diripi. Interrogatus autem à Duce Præsul noster, qualiter susceptus fuerit ab Archiepiscopo, locutus est bona de eo, & studuit lenire animum eius circa † Episcopum. Inueteratæ enim inimicitiæ, quæ dudum fuerant inter eos, eo tempore inuenerunt locum grassandi, eo quòd Archiepiscopus omisisset Italicam profectionem, transgressor iuramenti, essetque reus maiestatis. Vnde etiam Legatus Imperatoris veniens Bremam, occupauit omnes curtes Episcopales, & quæcunque reperisset, addidit fisci iuribus. Idem factum est Othelrico, Halberstatensi Episcopo. Redeuntem ergo Ducem Brunswig prosecutus est noster Episcopus, & egit cum eo festum natalis Domini. Quo expleto, redijt Episcopus in Wagiram assumpto germano suo Abbate de Redegeshuse, & abijt Aldenburg, acturus diem solennem Epiphaniæ in loco Cathedrali. Erat autem vrbs deserta penitus, non habens mœnia * nisi habitatorium paruulum, quod sanctæ memoriæ Vicelinus ibidem erexerat. Illic in asperrimo frigore † in cumulo niuis officium peregimus. Auditores nulli de Slauis, præter Pribizlaum, & paucos admodum. Expletis mysterijs sacris, rogauit Pribizlaus vt diuerteremur in domum suam, quæ erat in † loco remotiori. Et excepit nos cum magna alacritate, fecitque nobis conuiuium lautum. Mensam nobis appositam viginti fercula cumularunt. Illic experimento didici, quod antè fama vulgante cognoui, quia nulla gens honestior Slauis in hospitalitatis gratia. In colligendis enim hospitibus omnes quasi ex sententia alacres sunt, vt nec hospitium quenquam postulare necesse sit. Quicquid enim agricultura, piscationibus seu venatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt, eo fortiorem quemque quo profusiorem iactitantes, cuius ostentationis affectatio multos eorum ad furta vel latrocinia propellit. Quæ vtique vitiorum *, apud eos quidem venialia sunt: excusantur enim hospitalitatis palliatione. Slauorum enim legibus accedens, quod nocte furatus fueris, crastina hospitibus disperties. Si quis verò, quod rarissimum est, peregrinum hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domum vel facultates incendio consumere licitum est, atque in id omnium vota pariter conspirant, illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exibilandum dicentes, qui hospiti † partem negare non timuisset.

- *Reconciliatio.*
- *Frisii Rustri ab Henrico L. mulctati.*
- *Geroldus φιλήσυχος.*
- † P. Archiepisc.
- *Hartuicus Archiepisc. reus maiestatis mulctatur.*
- *Vdalricus antistes Halberstad.*
- *Aldenburg.*
- * P. vel habitatorem, nisi sanctuarium paruul.
- † P. inter cumulos.
- *Pribizlaus Obotritus.*
- † P. oppido.
- *Epulum Geroldo datū.*
- *Slauorū hospitalitas.*
- *D. genera.
- † P. panem.

## CAPVT LXXXIIII.

MAnentes autem apud Regulum nocte illa, cum die ac nocte subsequenti, transiuimus in vlteriorem Slauiam, † hospitati apud potentem quendam,

- † P. hospitaturi.

*Thessemar Slauus.* cui nomen Thessemar: is enim nos accersierat. Accidit autem vt in transitu veniremus in nemus, quod vnicum est in terra illa: tota enim in planiciem sternitur. Illic inter vetustissimas arbores vidimus sacras quercus, quæ dicatæ fuerant Deo terræ illius Prouen, quas ambiebat atrium & sepes accuratior lignis *Lucus & asylum deastri Prouen.* constructa, continens duas portas. Præter penates enim & idola quibus singula oppida redundabant, locus ille sanctimonium fuit vniuersæ terræ, cui flamen & feriationes & sacrificiorum varij ritus deputati fuerant. Illic enim secunda feria populus terræ cum flamine & Regulo conuenire solebant propter iudicia. *Ædes sacra Slauis inuiolabiles.* Ingressus atrij omnibus inhibitus nisi sacerdoti tantùm, & sacrificare volentibus, vel quos mortis vrgebat periculum: his enim minimè negabatur asylum. Tantam enim sacris suis Slaui exhibent reuerentiam, vt ambitum fani *† D. vindicem.* nec in hostibus sanguine pollui sinant. Iurationes difficilimè admittuntur. Nam *Iurisiurandi religio.* iurare apud Slauos quasi periurare est, ob † inuicem Deorum iram. Est autem Slauis multiplex idololatriæ modus: non enim omnes in eandem superstitionis *Diuersi Slauis religionis ritus.* consuetudinem consentiunt. Hi enim simulacrorum imaginarias formas prætendunt de templis, veluti Plunense idolum, cui nomen Podaga: *Podaga.* alij syluas vel lucos inhabitant, vt est Proue Deus Aldenburg, quibus nullæ sunt effigies expressæ. Multos & duobus vel tribus vel eo amplius capitibus exculpunt. Inter multiformia verò Deorum numina, quibus arua, syluas, tristitias, atque vo- *Slauorũ Deus Deorum, & ex hoc cœlestis soboles.* luptates attribuunt, non diffitentur vnum Deum in cœlis cæteris imperitantem, illum præpotentem cœlestia tantùm curare. Hos verò distributis officijs obsequentes de sanguine eius processisse, & vnumquenque eo præstantiorem, quo proximiorem illi Deo Deorum. Venientibus autem nobis ad nemus illud *Geroldus lucum dirutũ incendit.* & prophanationis locum, adhortatus est nos Episcopus, vt valenter accederemus ad destruendum lucum. Ipse quoque desiliens equo, contriuit de conto insignes portarum frontes, & ingressi atrium, omnia septa atrij congessimus circum sacras illas arbores, & de strue lignorum iniecto igne fecimus pyram, **D. lapidibus.* non tamen sine metu, ne fortè tumultu incolarum * obrueremur, sed diuinitus protecti sumus. *Thessemar.* Posthæc diuertimus ad hospitium, vbi Thessemar suscepit nos cum magno apparatu. Nec tamen dulcia vel iucunda nobis fuerunt Slauorum pocula, eo quòd videremus compedes, & diuersa tormentorum genera, *Dani captiui in Slauis.* quæ inferebantur Christicolis de Dania aduectis. Aspeximus illic sacerdotes Domini captiuitatis diutina detentione maceratos, quibus episcopus nec vi nec prece subuenire poterat. Proxima die Dominica conuenit vniuersus po- *Lubeca.* pulus terræ ad forum Lubicense, & veniens Dominus Episcopus habuit ver- *Geroldi cõcio sacra.* bum exhortationis ad plebem, vt relictis idolis, colerent vnum Deum qui est in cœlis, & percepta baptismatis gratia, renunciarent malignis operibus, prædis scilicet & interfectionibus Christianorum. Cumque perorasset ad ple- *Pribislaus Obotritus pro populo verba facit.* bem, innuentibus cæteris, ait Pribizlaus: verba tua, ô venerabilis Pontifex, verba Dei sunt & saluti nostræ congrua. Sed qualiter ingrediemur hanc viam, tantis malis irretiti? Vt enim intelligere possis afflictionem nostram, accipe patienter verba mea: Populus enim quem aspicis, populus tuus est, & iustum est nos tibi pandere necessitatem nostram. Porrò tui iuris erit compati nobis. Principes enim nostri tanta seueritate grassantur in nos, vt propter vectigalia & seruitutem durissimam, melior sit nobis mors quàm vita.

*Tributa Slauorum. Christianismus ob exactiones immodicas repudiatus.* Ecce hoc anno, nos habitatores breuissimi anguli huius, has mille Marcas duci persoluimus: porrò Comiti tot centenaria, & necdum euicimus, sed quotidie emungimur & premimur, vsque ad exinanitionem. Quomodo ergo vacabimus huic religioni nouæ, vt ædificemus Ecclesias, & percipiamus baptisma, quibus quotidiana indicitur fuga? Si tamen locus esset quo diffugere possemus. Transeuntibus enim Trauenam, ecce similis calamitas illic est: Venientibus ad Panim fluuium, nihilominus ad-

nus adest. Quid ergo restat, quàm vt omissis terris feramur in mare, & habitemus cum gurgitibus? Aut quæ culpa nostra, si pulsi patria, turbauerimus mare, & acceperimus viaticum à Danis siue institoribus, qui mare remigant? Nonne principum erit hæc noxa qui nos propellunt? Ad hæc Dominus Episcopus ait: Quod principes nostri hactenus abusi sunt gente vestra, non est mirandum. non enim multum se delinquere arbitrantur in idololatris, & in his, qui sunt sine Deo. Quin potius recurrite ad ritum Christianitatis, & subijcite vos creatori vestro: sub quo curuantur, qui portant orbem. Nonne Saxones & cæteræ gentes quæ Christianum nomen habent, degunt cum tranquillitate, contenti legitimis suis? Vos verò soli, sicut ab omnium discrepatis cultura, sic omnium patetis direptioni. Et ait Pribizlauus, Si Domino Duci, & tibi placet, vt nobis cum Comite eadem sit culturæ ratio, dentur nobis iura Saxonum in prædijs & reditibus, & libenter erimus Christiani, ædificabimus Ecclesias, & dabimus decimas nostras. Posthæc abijt Episcopus noster Geroldus ad Ducem propter colloquium prouinciale, quod laudatum fuerat Ertheneburg, & euocati venerunt illuc Reguli Slauorum ad tempus placiti. Tunc adhortante Episcopo, Dux habuit verbum ad Slauos de Christianitate. Ad quem Niclotus Regulus Obotritorum ait: Sit Deus qui in cœlis est, Deus tuus, esto tu Deus noster, & sufficit nobis. Excole tu illum, porrò nos te excolemus. Et corripuit eum Dux de verbo blasphemiæ. De promotione verò episcopatus & Ecclesiæ, nihil amplius eo tempore actum est, eo quòd * nuper Italia rediens, totus quæstui deditus esset. Camera enim erat inanis & vacua. Redeuntem ergo Ducem Brunswig prosecutus est *, & mansit apud eum diebus multis. Dixitque ad Ducem: Ecce iam toto anno in curia vestra sum & sic vobis oneri: In Wagiram quoque veniens non habeo quod manducem. Cur ergo imposuistis mihi onus nominis huius vel officij? Melius mihi multo fuit antea quàm nunc. His prouocatus Dux, accersiuit Comitem Adolfum, & habuit cum eo rationem de trecentis mansis, qui oblati fuerant in dotem Episcopij. Tunc designauit Comes Episcopo in possessionem, Vthinæ & Gamalæ, cum appendicijs eorum. Insuper prædio quod dicitur Bozoe, adiecit duas villas, Gothesuelde & Wobitze. In Aldenburg quoque dedit ei prædium commodum satis & adiacens foro. Et ait Comes: Eat Dominus Episcopus in Wagiram, & adhibitis viris industrijs, æstimari faciat prædia hæc; quod defuerit de trecentis mansis, ego supplebo; quod superfuerit, meum erit. Veniens ergo Episcopus, vidit possessionem, & habita inquisitione cum colonis, deprehendit prædia hæc, vix centum mansos continere. Quamobrem Comes fecit mensurari terram funiculo breui, & nostratibus incognito, præterea paludes & nemora funiculo mensus est. Et ita fecit maximum agrorum numerum. Perlata ergo causa ad Ducem, adiudicauit Dux Episcopo dari mensuram iuxta morem terræ huius, nec mensurandas paludes aut syluas robustiores. Multum ergo laboris adhibitum est in requirendis prædijs his. Non per Ducem, aut Episcopum, requiri potuerunt, vsque in hodiernum diem. Hæc autem, quæ prædixi, conquisiuit Geroldus Episcopus, quotidie insistens Principibus, opportunè, importunè, vt suscitaretur scintilla episcopalis nominis in Wagira. Et ædificauit ciuitatem & forum Vthinæ, fecitque sibi domum illic. Quia autem congregatio Clericorum non habebatur in Aldenburgensi episcopatu, præter eam quæ erat Cuzelinæ, quæ alio nomine dicitur Hogerestorph, annuente duce fecit eos transmigrare Segeberg ad locum primæ fundationis, quatenus in solennitatibus, quando Pontificem oportet esse in populo, haberet in Clero supplementum. Quod licet Ludolfo præposito & fratribus videretur incommodum, propter tumultus fori, cesserunt tamen consilio maiorum, cui refragari locus non erat. Et fecit illic domum episcopus. Inde progrediens adijt Archiepiscopum, cui etiam multa obsequia † dependit, sperans sibi reddi Falderense monasterium, quod antecessor eius & fundasse & possedisse dinosci-

*Responsum Geroldi.*

*Pribislaus efflagitat iura Saxon. & Christianismum à populo defert.*

*Henricus L. ordinum suorū conuentum agit.*

*Nicloti Slaui ἀθεότης.*

πλεονεξία.

* P Dux.

* P. Episcopus.

*Geroldus aulæ pertæsus.*

*Henrici L. ad eundem respectus.*

*Possessiones ab Adolfo traditæ.*

πλεονεξία.

ἐπιείκεια.

*Vthina.*

*Cuzelinense collegium postliminio Sigebergam reductum.*

*Ludolfus præpositus.*

† D. impendit.

*Geroldus frustra repetit monasterium Falderense.*

tur. Sed Archiepiscopus in partem Ecclesiæ suæ pronior, callidis sponsionibus deduxit virum, promittens ac inducians, ac tempus redimens.

*Eppo.*

Mandauit autem reuerendissimo viro Epponi præposito, ne penitus retraheret manum à subsidio nouellæ Ecclesiæ huius, sed subueniret Episcopo, tam in personis quàm in cæteris adiumentis.

*Bruno.*

Quamobrem Episcopus noster accersiuit de Faldera Brunonem sacerdotem. Is enim defuncto Vicelino, Slauia decesserat, & transmisit eum Aldenburg, vt curaret salutem populi illius. Ad quod nimirum opus ille diuino suscitabatur instinctu.

*Somnium ominosum.*

Viderat namque nocturna visione Chrismale in manibus suis, de cuius operculo succreuerat nouella plena viroris, quæ confortata validam creuit in arborem. Quod nimirum pro sententia eius ita † obuenit.

† P. euenit.

Statim enim vt venit Aldenburg, aggressus est opus Dei cum magno feruore, & vocauit gentem Slauorum ad regenerationis gratiam, succidens lucos & destruens ritus sacrilegos. Et quia castrum & ciuitas, quæ olim Ecclesia & sedes cathedralis fuerat, deserta erat, obtinuit apud Comitem, vt fieret * Saxonum colonia, & esset solatium sacerdoti de populo cuius nosset linguam & consuetudinem.

* P. illic.

*Aldenburgum instauratum colonia Saxonica.*

Et factum est hoc nouellæ Ecclesiæ non mediocre adiumentum. Siquidem ædificata est Ecclesia honestissima in Aldenburg, libris, & signis & cęteris vtensilibus copiosè † ordinata.

† P. adornata.

*Eius Vastitas à Godescalci cade. Fani dedicatio. Adolfus C. Mechthildis Vxor.*

Et restauratus est cultus domus Dei in medio nationis prauæ ac peruersæ, anno quasi nonagesimo post excidium prioris Ecclesiæ, quòd contigit occiso Godescalco, pio Principe. Et dedicata est Ecclesia à pontifice Geroldo in honore sancti Ioannis Baptistæ, astante & omnem deuotionem adhibente nobili Comite Adolfo, & Domina Mechtildi eius pijssima coniuge. Et præcepit Comes populo Slauorum, vt transferrent mortuos suos tumulandos in atrium Ecclesiæ, & vt conuenirent in solennitatibus ad Ecclesiam, audire verbum Dei. Quibus & sacerdos Dei Bruno iuxta creditam sibi legationem sufficienter administrauit verbum Dei, habens sermones conscriptos verbis Slauicis, quos populo pronunciaret opportunè.

*Vetus innocentiæ examen per candens ferrũ. Supplicium crucis ab Adolfo sublatum.*

Et inhibiti sunt Slaui de cætero iurare in arboribus, fontibus & lapidibus, sed offerebant criminibus pulsatos sacerdoti, ferro vel vomeribus examinandos. In illis diebus Slaui quendam Danum suffixerunt cruci. Quod cùm Bruno sacerdos renunciasset Comiti, ille vocauit eos in causam, & damno multauit, tulitque genus illud supplicij de terra.

*Susle. Deilanus. Crempine fl.*

Videns ergo Geroldus episcopus, quia in Aldenburg positum esset fundamentum bonum, suggessit Comiti, vt in pago qui dicitur Susle suscitaretur Ecclesia. Et miserunt illuc de Falderensi domo † Deilanum sacerdotem, cuius spiritus sitiebat labores & pericula in prædicatione Euangelij, missusque venit in speluncam latronum, ad Slauos qui habitant iuxta flumen Crempine. Erat autem illic piratarum latibulum familiare. Et habitauit inter eos sacerdos, seruiens Domino in fame & siti, & nuditate.

† D. Alanũ.

*Adolfi et Geroldi concordia.*

His ita peractis, opportunũ videbatur vt ædificaretur Ecclesia in † Lucelenburg, & Rathecoue, & abierunt illuc episcopus & Comes, & signauerunt atria ædificandis Ecclesijs. Creuit ergo opus Dei in Wagirensi terra, & adiuuerunt se Comes & Episcopus ope vicaria.

† D. Luckelinburg.

*Plune. Saxonũ per Slauiam coloniæ.*

Circa id tempus reædificauit Comes castrum Plunen, & fecit illic ciuitatem & forum. Et recesserunt Slaui, qui habitabant in oppidis circumiacentibus, & venerunt Saxones & habitauerunt illic. Defeceruntque Slaui paulatim in terra.

*Euermodus. Henricus C. Racesburg. Slauorum piratica.*

Sed & in terra Polaborum multiplicatæ sunt Ecclesiæ, instantia Domini Euermodi Episcopi & Henrici Comitis de Racisburg. Veruntamen prædas Slauorum necdum inhibere poterant, siquidem adhuc mare transfretabant, & vastabant terram Danorum, nec dum recesserant à peccatis patrum suorum.

## CAPVT LXXXV.

*Scomma in Danos. sup. cap. 52.*

*Suenonis regis tyrannis.*

DAni semper bellis laborantes domesticis, ad forinseca bella nullam habuere virtutem. Nam Suein Danorum rex, & victoriarum prosperis successibus, & Cæsaris authoritate firmatus in regnum, gente sua crudeliter abusus est, propter quod vlciscente Deo, nouissima eius infœlici exitu conclusa sunt.

ſunt. Videns autem Kanutus æmulus eius, murmur populi aduerſus Suein, miſit & vocauit Waldemarum, qui fuit patruelis & adiutor Suein, & ſociauit eum ſibi, data ei ſorore in coniugio. Certior ergo factus de auxilio eius, innouauit aduerſus Suein conſilia mala. Cùm ergo eſſet Suein rex in Seland, venerunt improuiſi cum exercitu Kanutus & Waldemarus, vt debellarent eum. Ille ergo propter crudelitatem ſuam deſertus ab omnibus, quia non habuit vires confligendi, cũ vxore & familia fugit ad mare, & transfretauit in Aldenburg. * Quo recognito, Comes Adolfus vehementer extimuit, virum ſcilicet potentiſſimum, cuius frenum in maxillis populorum omnium Borealium nationum, repente deiectum. Cupienti ergo tranſire per terram ſuam multam exhibuit Comes humanitatem, diuertitque in Saxoniam ad ſocerum ſuum Conradum, Marchionem de Within, & manſit illic annis fere duobus. In tempore illo Dux noſter Henricus adijt curiam Ratiſponæ ad recipiendum ducatum Bauariæ. Siquidem Fredericus Cæſar eundem ducatum patruo ſuo abſtulit, & reddidit Duci noſtro, eo quòd fidelem eum in Italica expeditione & cæteris negocijs regni perſenſerit. Et creatum eſt ei nomen nouum, Henricus Leo, Dux Bauariæ & Saxoniæ. Peractis ergo rebus ad votum, Ducem curia redeuntem, adierunt Principes Saxoniæ, interpellantes vt fieret Suein auxilio, & reduceret eum in regnum ſuum. Promiſitque duci Suein pecuniam immenſam. Collecta ergo maxima militia dux noſter hyemali tempore reduxit Suein in Daniam, & ſtatim apertæ ſunt ei ciuitates Sleſwich & Ripa. Non tamen vltra proſperari poterant in negocio. Nam Suein gloriatus * ſæpiſſimè apud Ducem, quia venientem ſe cum exercitu Dani vltrò eſſent excepturi. Quod iuxta ſententiam eius minimè ceſſit. Nullus enim in tota Danorum terra fuit, qui reciperet eum, aut occurreret illi. Sentiens ergo ille, refragari ſibi fortunam, & omnes refugere à ſe, dixit ad Ducem: Caſſus eſt labor noſter, melius eſt, vt redeamus. Quid enim prodeſt ſi vaſtauerimus terram, & ſpoliauerimus innocentes? Volentibus nobis cum hoſtibus confligere, locus non eſt, eo quòd profugiant à nobis, & tranſeant ad interiora maris. Acceptis ergo obſidibus duarum ciuitatum, exierunt Dania. Tunc Suein alia via & conſilio vtens ſtatuit tranſire ad Slauos, & vtens diuerſorio Comitis Lubike, tranſijt ad Niclotum Principem Obotritorum. Præcepitque Dux Slauis in Aldenburg, & in terra Obotritorum, vt adiuuarent Suein. Acceptisque nauibus paucis, venit pacificus in Lalande, & inuenit eos gratulantes de introitu ipſius, eo quòd ab initio fuerint ei fideles. Inde tranſijt in † Feoniam, & addidit eam ſibi. Dehinc procedens in reliquas inſulas minores, donis atque promiſſis addidit ſibi quàm plurimos, cauens inſidias, & contutans ſe in locis firmiſſimis. His ergo recognitis, Kanutus atque Waldemarus venerunt cum exercitu, vt expugnarent Suein, & eijcerent eum de terra. At ille confœderat in Lalande, paratusque ad reſiſtendum, ſimul etiam adiutus firmitate locorum, mediante Domino Helia, Pontifice de Ripa, & Principibus vtriuſque partis, diſcordiæ ad pacem inclinatæ ſunt, & diuiſum eſt regnum in tres partes. Et data eſt Waldemaro Iuthlande, Kanuto Seland, Suein Scone, quæ viris & armis præſtantior eſſe probatur. Cæteras inſulas minores partiti ſunt cuilibet pro ſua opportunitate. Et ne pactiones irritarentur, iuramentorum adhibita ſunt ſacramenta. Poſt hæc Kanutus & Waldemarus fecerunt conuiuium maximum in Selande, in ciuitate, quæ dicitur Roſchilde, & inuitauerunt cognatum ſuum Suein, vt exhiberent ei honorem & recreationem, & conſolarentur eum ſuper omnibus malis, quæ irrogauerunt ei in die hoſtis & belli. At ille pro ingenita ſibi crudelitate, vbi conuiuio aſſedit, & vidit reges conuiuas impauidos, & omni ſuſpicione vacuos, cœpit rimari aptum inſidijs locum. Tertia ergo die conuiuij, cùm iam tenebræ noctis adeſſent, annuente Suein, allati ſunt gladij, & inſilientes regibus incautis, Kanutum repentè confodiunt. At vbi percuſſor † leuauit ictum in caput Waldemari, ille fortius exiliens, lumen excuſſit, & ſaluante Deo, in tenebris elapſus eſt, vno tantùm vulnere ſaucius. Fugiens ergo in Iuthlande, vniuerſam commouit Daniam. Tunc Suein contraxit exercitum de Selande, & inſulis maris, & tranſ-

*In eundem Canuti & Waldemari conſpiratio.*
* P. euentũ.
*Adolfi in exulem benignitas.*
*Conradus Marchio Wetinenſis.*
*Henricus L. recuperat Bauariam.*
*Ad eundem intercesſiones pro Suenone.*
*Expeditio Danica.*
*Sleſuicum.*
*Ripa.*
* P. fuerat.
*Suenonis iactantia.*
*Pietas in patriam.*
*Noua belli inſtaurãdi conſilia.*
*Niclotus Obotritus.*
*Adolfus C.*
*Lalande.*
† P. Sconiã.
*Feonia.*
*Waldemarus & Canutus in armis.*
*Elias antiſtes Ripenſis.*
*Pacificatio & regni Danici diuiſio.*
*Roſchilda.*
*Suenonis perfidia.*
*Canuti cædes.*
† P. librauit.
*Waldemarus elapſus arma capit.*

fretauit in Iuthlande, vt expugnaret Waldemarum. At ille producto exercitu, occurrit ei in manu valida, & commissum est prælium non longè à Wiberge, & occisus est Suein in die illa, & omnes viri eius pariter, & obtinuit Waldemarus regnum Danorum, & factus est moderator pacis, & filius pacis. Et cessauerunt intestina prælia, quibus multis annis laborauerat Dania. Et composuit amicitias cum Comite Adolfo, & honorauit eum, secundum quod reges fecerunt qui ante eum fuerunt.

*Victoria eiusdem de Suenone. Regnum in vniuersam Daniam. Amicitia cum Adolfo.*

## CAPVT LXXXVI.

*Incendium Lubecense.*

IN diebus illis Lubicensis ciuitas consumpta est incendio, & miserunt institores & cæteri habitatores vrbis ad Ducem, dicentes, diu est, ex quo inhibitum est forum Lubike, autoritate iussionis vestræ. Nos autem hactenus detenti sumus in ciuitate hac, spe recuperandi fori, in beneplacito gratiæ vestræ: sed nec ædificia nostra multo sumptu elaborata nos abire sinebant. Nunc verò consumptis domibus, superuacuum est reædificare in loco, vbi non finitur esse forum. Da ergo nobis locum construendi ciuitatem, in loco qui tibi placuerit. Rogauit ergo Dux Comitē Adolfum, vt permitteret sibi portum & insulam in Lubike. Quod ille facere noluit. Tunc ædificauit Dux ciuitatem nouam super flumen Wochenicze, non longè à Lubike, in terra Racesburg, cœpitq; ædificare & communire. Et appellauit ciuitatem de suo nomine Lewenstat, quod dicitur, Leonis ciuitas. Sed cùm locus ille minus esset idoneus & portu & munimento, nec posset adiri, nisi nauibus paruis, Dux iterato sermone cœpit conuenire Comitem Adolfum, super insula Lubicensi & portu, multa spondens, si volūtati suæ paruisset. Tandem victus Comes, fecit quod necessitas imperabat, & resignauit ei castrum & insulā. Et tunc, iubente Duce, reuersi sunt mercatores cum gaudio, desertis incommoditatibus nouæ ciuitatis, & cœperunt reædificare Ecclesias & mœnia ciuitatis. Et transmisit Dux nuncios ad ciuitates & regna aquilonis, Daniam, Suediam, Norwegiam, † Rugiam, offerens eis pacem, vt haberent liberum commeatum adeundi ciuitatem suam Lubeke. Et statuit illic monetā & teloneum & iura ciuitatis honestissima. Ab eo tempore prosperatum est opus ciuitatis, & multiplicatus est numerus † accolarum eius.

*Adolfus C. Leuvenstadt. ¶ Imperat nō rogat, dū rogat potentior. Lubeca Hērico Leoni permissa instauratur. † P. Ruziā, D. Russiam. † D. incolarum.*

## CAPVT LXXXVII.

*Friderici Cæs. bellum Mediolanense. Henricus L. pacem in finibus suis sancit. Iungit fœdus & amicitiam cum Waldemaro Dano. Niclotus.*

HIs fermè diebus accersiuit fortissimus Cæsar Fredericus omnes Principes Saxoniæ in obsidionem Mediolanensis ciuitatis. Opus ergo fuit Ducem nostrū negocijs publicæ rei solenniter adesse. Quapropter cœpit sopire discordias, quæ erant intra ducatum, sapienter præcauens, ne tumultus aliquis consurgeret in principum cæterorumq; nobilium absentia. Transmissis autem nuncijs, vocauit regē Danorum Waldemarum ad colloquium, & iunxit cum eo amicitias. Et rogauit Rex Ducem, vt faceret sibi pacem de Slauis, qui sine intermissione vastabant regnum eius, & pactus est ei amplius quàm mille Marcas argenti. Quamobrem præcepit Dux Slauos in præsentiam suam venire, Niclotū scilicet & cæteros, & astrinxit eos præcepto & iuramento, vt seruarent pacem tam Danis quàm Saxonibus vsque ad reditum suum. Et vt pactiones ratæ essent, iussit omnes piraticas naues Slauorum perduci Lubike, & nuncio suo præsentari. At illi propter solitæ temeritatis ausum, & vicinitatem Italicę expeditionis, paucas admodum naues, & easdem vetustissimas obtulerunt, † ijs quæ bello aptæ erant, callidè retentis. Igitur Comes, per manum seniorum terræ Wagirensis, Marchradum scilicet, & Hornonem, cōuenit Niclotum, & exegit ab eo cum beneuolentia, vt fidem terrę suæ exhiberet illibatam. Quod ille fide digna compleuit. In hunc modum rebus compositis, profectus est Dux in Longobardiam, cum mille, vt aiunt, loricis, habens in comitatu suo Adolfum Comitem, & multos nobiles Bauariæ atq; Saxoniæ. Et peruenerunt ad exercitum Regis, qui obsederat præsidium quod dicitur Crumnæ, pertinens ad Mediolanenses, munitum valde. Et morati sunt toto penè anno in expugnatione pręsidij, feceruntq; machinas multas, & ignium iaculationes. Nouissimè expugnato præ-

*Fraus hostilis. † P. cæteris. Adolfus cū Nicloto fœdera renouat. Henrici L. copiæ auxiliares Crumnæ.*

to præsidio, Cæsar conuertit exercitum ad Mediolanum, Dux verò accepta licentia, reuersus est in Saxoniam. At Comes Adolfus, rogatus iuit in Angliam, cum cognato suo Domino Reinoldo, Coloniensi electo, qui functus est legatione publica ad regem Anglorum. Et contristati sunt tam Clerus quàm populus terræ nostræ, propter diutinam absentiam boni Patroni. Slaui enim de Aldenburg & Mikilinburg, compotes sui propter absentiam Principum, violauerunt pacem in terra Danorum: fuitque terra nostra in tremore à facie regis Danorum. At noster Episcopus Geroldus, tum per se tum per nuncios iram regis mitigare studuit, inducijs tempus redimens vsque ad aduentum Ducis & Principum. Redeunte ergo Duce & Comite, præfixum est colloquium prouinciale omnibus Marcomannis, tam Teutonicis quàm Slauis, in loco qui dicitur Berenuordæ. Rex quoque Danorum Waldemarus venit vsque ad Ertheneburg, & conquestus est Duci omnia mala, quæ intulerant sibi Slaui præuaricatores mandati publici. Et timuerunt Slaui venire in præsentiam Ducis, eò quòd culpæ suæ essent conscij. Et dedit eos Dux in proscriptionē, & fecit omnes suos paratos esse ad expeditionem tempore messis. Tunc Niclotus videns animum Ducis contra se fixum in malum, proposuit primum irrumpere Lubeke, & misit filios suos eò cum insidijs. Eo autē tempore habitauit Lubeke sacerdos quidā venerabilis nomine Athelo, huius domus vicina erat Ponti, qui transmittit flumen Wochenicze versus Austrum. Is fortè parari fecerat fossam †longissimam ad conducendum riuum, qui erat longiusculè. Insidiæ ergo Slauorum festinantes vt prærriperent pontem, impediti sunt fossa: passiq; sunt errorem in quærendo transitu. Quod videntes ij, qui erāt de domo sacerdotis, clamauerunt voce validiori, & conterritus sacerdos, occurrit valenter ex aduerso. Exercitus verò iam erat in medio pontis, & portam penè apprehenderat, sed celerrimè missus à Deo sacerdos, pontem de catena leuauit, & in hūc modum exclusa sunt latenter subinducta pericula. Quo audito, Dux posuit illic custodiam militum.

*Adolfi & Reinoldi Coloniensis legatio Anglica.*
*Slaui redeunt ad ingenium.*
*Gerold⁹ antistes, pacis sequester.*
*Henricus L. redux suorū conuentum agit.*
*Bernuorda.*
*Waldemarus R. Dan.*
*Slaui proscripti.*
*Niclotus insidiis Lubecam frustra tentat.*
*Athelo.*
† D. latissimam.

## CAPVT LXXXVIII.

POst hæc intrauit Dux Henricus terram Slauorū in manu valida, & vastauit eam igne & gladio. Et videns Niclotus virtutem Ducis, succendit omnia castra sua, videlicet Ilowe, Mikilinburg, Zuerin, & Dobin, præcauens obsidionis periculum. Vnum solum castrum sibi retinuit Wurle, situm iuxta flumen Warnou, prope terram Kicine. Inde exibant per singulos dies, & explorabant exercitū Ducis, & percutiebant de insidijs incautos. Vna ergo dierum, dum exercitus moraretur prope Mikilinburg, egressi sunt ad nocendū filij Nicloti, Pribizlaus & Wertizlaus, & percusserunt quosdam de castris, qui exierant ad frumentandum. Quos insecuti fortiores de exercitu, comprehenderunt multos eorum, fecitq; Dux eos suspendio affici. Filij autem Nicloti, amissis equis & viris melioribus, venerūt ad patrem. Quibus ille dixit: Ego quidem æstimabam, me viros enutrisse, sed isti mulieribus fugaciores sunt. Egrediar ergo ipse, & experiar si fortè maiora promouere possim. Et exijt cum electorum numero, & collocauit insidias in latibulis prope exercitum. Tunc exierunt pueri de castris ad conquirendum pabulum, & venerunt prope insidias. Porrò milites venerant intermixti seruis numero quasi sexaginta, omnes induti loricis sub veste intrinsecus. Quod non aduertens Niclotus, equo velocissimo perlatus est inter eos, conatus quendam perfigere. Sed lancea pertingens ad loricā, casso ictu, resilijt. Volens ergo ad suos reuerti, circumuentus subito atq; trucidatus est, nemine suorum ipsi præsidium ferente. Caput eius recognitum, in castra perlatum est, non sine admiratione multorum, quòd tantus vir, tradente Deo, de omnibus suis solus ceciderit. Tunc filij eius audita morte patris, succenderunt Wurle, & occultauerunt se in nemoribus, familias verò suas transtulerūt ad naues. Dux ergo demolitus omnem terram, cœpit ædificare Zuerin, & communire castrum. Et imposuit illic nobilem quendam Guncelinum, virum bellicosum cum militia. Post hæc redierunt filij Nicloti in gratiā Ducis, & dedit eis Dux Wurle, & omnem terram. Porrò terram Obotritorum diuisit militibus suis possidendam. Et collo-

*Henrici L. in Slauos expeditio.*
*Niclotus sua vastat.*
*Pribizlaus & Wertizlaus Nicloti F.F.*
*Temeritas Nicloti & cædes.*
*Wurle inflāmata.*
*Suerinū instauratum.*
*Guncelinus.*
*Nicloti F.F. Henrico reconciliati.*

*Ludolfus de Paina.* *Henricus de Scaten ductor coloniæ Flandrorũ.* *Berno antistes Megalburg. Emmehardi successor.* *Priuilegiũ Henrici L. de Episcoporum per Slauiam inauguratione.* † D. suscitandi.

cauit in castro Cuscin, Ludolfum quendã, Aduocatum de Brunswich. Apud Melicon, fecit esse Ludolfum de Paina. Zuerin, & Ilinburg, Guncelino commendauit. Porrò Mikilinburg dedit Henrico cuidam nobili de Scaten, qui etiam de Flandria adduxit multitudinem populorũ, & collocauit eos Mikilinburg, & in omnibus terminis eius. Et posuit Dux Episcopum in terra Obotritorum Dominũ Bernonem, qui defuncto Emmehardo, Magnopolitanæ præsedit Ecclesię. Porrò Magnopolis ipsa est Mikelenburg. Et subscripsit in dotem Magnopolitanæ Ecclesiæ trecentos mansos, sicut antea fecerat Racesburgensi & Aldenburgensi Ecclesiæ. Et facta postulatione, obtinuit apud Cæsarem autoritatem Episcopatus † suscitare, dare, & confirmare in omni terra Slauorum, quam vel ipse vel progenitores sui subiugauerint in clypeo suo & iure belli. Quamobrem vocauit Dominum Geroldum Aldenburgensem, Dominum Euermodum Racisburgensem, Dominũ Bernonem Magnopolitanum, vt reciperent ab eo dignitates suas, & applicarentur ei per hominij exhibitionem, sicut mos est fieri Imperatori. Qui licet hanc impositionem difficilimam iudicarent, cesserunt tamẽ propter eum qui se humiliauit propter nos, & ne nouella † ecclesia caperet detrimentum. Et dedit eis Dux priuilegia de possessionibus, & de reditibus, & de iusticijs. Et pręcepit Dux Slauis, qui remanserant in terra Wagirorum, Polaborum, Obotritorum, Kycinorum, vt soluerent reditus episcopales, qui soluuntur apud Polonos atq; Pomeranos, hoc est, de aratro tres modios siliginis, & duodecim nummos monetæ publicæ. Modius autem Slauorum, vocatur lingua eorũ Curitze. Porrò Slauicum aratrum perficitur duobus bobus & totidem equis. Et auctæ sunt decimationes in terra Slauorũ, eo quòd confluerent de terris suis homines Teutonici ad incolendam terram spaciosam, fertilem frumento, commodam pascuorum vbertate, abundantem pisce & carne & omnibus bonis.

† D. ecclesię plantatio. *Munificentia in Ecclesiasticos.* *Modius Slauus curitze.* *Coloni Germani in Slauorum finibus.*

## CAPVT LXXXIX.

*Albertus Vrsus.*

IN tempore illo Orientalem Slauiam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Vrsus, qui etiã propicio sibi Deo, amplissimè fortunatus est in funiculo fortis suæ. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarumq; gentium habitantium iuxta Hauelam & Albiam, misit sub iugum, & infrenauit rebelles eorum. Ad vltimum, deficientibus sensim Slauis, misit Traiectum & ad loca Rheno contigua, insuper ad eos, qui habitant iuxta Oceanũ, & patiebantur vim maris, videlicet Hollandos, Selandos, Flandros, & adduxit ex eis populum magnum nimis, & habitare eos fecit in vrbibus & oppidis Slauorum. Et confortatus est vehementer ad introitum aduenarum Episcopatus Brandenburgensis necnon Hauelbergensis, eo quòd multiplicarentur Ecclesiæ, & decimarum succresceret ingens possessio. Sed & australe littus Albiæ ipso tempore cœperunt incolere Hollandienses aduenæ, ab vrbe † Saleueldele, omnem terram palustrem atq; campestrem, terrã quæ dicitur Balsemerlande, & Marscinerlande, ciuitates & oppida multa valde, vsq; ad Saltum Boiemicum possederunt Hollandri. Siquidem has terras Saxones olim inhabitasse feruntur, tempore scilicet Ottonũ, vt videri potest in antiquis aggeribus, qui congesti fuerant super ripas Albiæ in terra palustri Balsamorum, sed præualentibus postmodum Slauis, Saxones occisi, & terra à Slauis vsq; ad nostra tempora possessa. Nunc verò quia Dominus Duci nostro, & cæteris Principibus salutem & victoriam largè contribuit, Slaui vsquequaq; protriti atq; propulsi sunt, & venerũt adducti de finibus Oceani populi fortes & innumerabiles, & obtinuerunt terminos Slauorum, & ædificauerunt ciuitates & Ecclesias, & increuerunt diuitijs super omnem æstimationem.

*Immittit in desolatos Slauorum fines Belgas & Rhenanos.* † P. Solt, D. Soltvvedel. *Salueldela.* *Balsamorũ regio ad Albim cedit colonis Holandis.* *Saxonũ ibidem colonia à Slauis deleta.*

## CAPVT XC.

*Episcopatus Aldeburg. auctore Geroldo Lubecam transfertur.*

CIrca id temporis rogauit Dominus Geroldus Episcopus Ducẽ, vt sedes cathedralis, quæ antiquitus erat Aldenburg, transferretur Lubeke, eo quòd ciuitas hæc esset populosior, & locus munitior, & omni prorsus aptitudine commodior.

Quod

Quod cùm placuisset Duci, condixerunt diem, quo venirent Lubeke, ordinaturi de statu Ecclesiæ & Episcopatus. Et designauit Dux locum in quo fundari deberet Oratorium, in titulum Matricularis ecclesiæ, & areas claustrales, & statuerunt illic præbendas duodecim Clericorum canonicè viuentium. Porrò tertiadecima Præpositi est. Et dedit Episcopus in stipendia fratrum decimas quasdam, & tantum de reditibus, quos soluit Slauia, quantum præbendis sufficeret perficiendis. Et † designauit Comes Adolfus villas opportunas prope Lubeke, quas statim Dux obtulit in vsum fratrum, & de teloneo cuilibet fratrum duas marcas Lubicensis monetæ: insuper alia quæ priuilegijs conscripta sunt, & in Lubicensi continentur Ecclesia. Et posuerunt illic præpositum, Dominũ Ethelonem, cuius in pagina superiori memoria est cum laude.

*†P. resignauit.*
*Adolfus Comes.*
*Ethelo, præpositus Lubecensis.*

## CAPVT XCI.

IN circulo dierum istorum, defuncto Adriano Papa, ortum est schisma in Ecclesia Dei, inter Alexandrũ, qui & Rolandus, & Victorem, qui est Octauianus. Cùm ergo Cæsar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in castra, quæ erant apud Papiam, & recepit eum. Adunatoq; concilio, receperunt eum Reinoldus Coloniensis, & Conradus Moguntinus electi, & omnes quos imperialis aut timor aut fauor agebat. Porrò Alexandrum recepit Hierosolymitana ecclesia & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna quæ sunt vbiq; terrarum. Insuper Cisterciensis ordo eidem vniuersus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi, & Episcopi quamplures & Abbates amplius quàm septingenti, & Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrãt concilium apud Cistercium, & decernunt ea quæ vtilia sunt. Horum inuincibilis sententia vel maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Cæsar, proposuit edictum, vt omnes Monachi Cisterciensis ordinis, qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, transfugere in Franciam. Pontifices etiam quamplures, sanctitate insignes, in Longobardia, & in vniuerso regno, Principis violentia sedibus suis pulsi, & alij superpositi sunt in locum illorum. Postquam ergo transierunt obsidionis quinq; vel eo amplius anni, Cæsar obtinuit Mediolanum, & eiecit habitatores eius ex illa, & destruxit omnes turres eius, Ecclesias & muros ciuitatis adæquauit solo, & posuit eam in solitudine. Tunc eleuatum est cor eius nimis, & timuerunt omnia regna terrarum ad famam nominis eius. Et misit ad Regem Franciæ Ludouicum, vt occurreret sibi ad colloquium apud Laonam, quæ est in terra Burgundionum, iuxta Ararim fluuium, ad redintegrandum vnitatem Ecclesiæ. Et annuit rex Franciæ. Præterea misit nuncios ad regem Daniæ, & ad regem Vngariæ, & ad regem Boemiæ, vt venirent ad constitutum diem: insuper omnibus Archiepiscopis & Episcopis & summis potestatibus regni sui, & religiosis quibusq; solenniter adesse mandauit. Grandis ergo expectatio erat vniuersorum ad tam celebrem curiam, quo vterq; Papa, & tanti terrarum reges conuenturi ferebantur. Tunc abierunt simul Waldemarus cum Episcopis Daniæ, Hartwichus Archiepiscopus, Geroldus Episcopus, & Comes Adolfus, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquij locum. Dux vero positus in Bauaria, alia via venerat. Ludouicus ergo Rex Franciæ, cuius præcipuè expectabatur aduentus, vbi intellexit Cæsarem appropiare cum exercitu & armis multis, dubitauit occurrere illi. Sed propter fidem sacramentorum, venit ad locum placiti constituto die, hoc est, in decollatione Ioannis Baptistæ, & exhibuit se in pontis medio ab hora tertia vsq; ad horam nonam. Porrò Cæsar necdum venerat. Quod rex Franciæ accipiens pro omine, lauit manus suas in flumine ob testimonium, quasi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde abijt ipso vespere Diuionem. Veniens ergo noctu Cæsar, intellexit regem Franciæ discessisse, & misit honorabiles personas denuò accersere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans se fidẽ soluisse, & suspectam Cæsaris manũ euasisse. Ferebatur enim à multis, quòd Cæsar eum circumuenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus adue-

*Schisma Alexãdri III, & Victoris.* 1160
*Cæsar stat à Victore.*
*Reliqua Christiani nominis prouincia ab Alexandro.*
*Familia Cisterciensis potentia.*
*Exilium.*
*Mediolani quinquennalis obsidio.*
*Excidium.*
*E victoria insolentia.*
*Cæsar schismati tollendo studet.*
*Waldemarus R. Dan.*
*Hartuigus Archiepisc.*
*Adolfus Comes.*
*Henricus L.*
*Gallus Pilatum agit.*
*Calumnia.*

nerit. Sed ars arte delusa est. Francigenæ enim ingenio altiores, quod armis & viribus impossibile videbatur, consilio euicerunt. Tunc Cæsar vehementer irritatus, secessit à curia, intentans Francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab
*Henricus L.* eo tempore magis inualuit. Henricus dux declinauit in Bauariam. Et compositis illic rebus, reuersus est in Saxoniam.

## CAPVT XCII.

FVit ergo in diebus illis pax per vniuersam Slauiam, & munitiones, quas Dux iure belli possederat in terra Obotritorum, cœperunt inhabitari à populis aduenarum, qui intrauerant terram, ad possidendum eam. Fuitq; præfectus terræ illius
*Guncelinus.* Guncelinus, vir fortis & amicus Ducis. Porrò Henricus Comes de Racesburg,
*Henricus C. Raceburg. coloniæ Westualorum ductor.* quæ est in terra Polaborũ, adduxit multitudinem populorum de Westfalia, vt incolerent terram Polaborum, & diuisit eis terram in funiculo distributionis. Et ædificauerunt Ecclesias, & subministrauerunt decimas fructuum suorũ ad cultum domus Dei. Et plantatum est opus Dei temporibus Henrici in terra Polaborum,
*Bernhardus, Henrici F.* sed temporibus Bernhardi filij eius abundantius consummatum. At viri Holzati, qui Wagirensium terram propulsis Slauis inhabitabant, deuoti quidem in Eccle-
*Holsati in Geroldũ antistitem cõtumaces.* siarum constructione, & hospitalitatis gratia, sed decimis iuxta diuinum præceptũ legaliter persoluendis rebelles existebant. Soluebant autem mensuras paruulas sex de aratro, quod sibi dicebant † permissum pro leuamine, cùm adhuc essent in ter-
*† P. promissum.* ra natiuitatis suæ, propter viciniam Barbarorum, & tempus belli. Terra autem vn-
*† P. Wagirensi proxima.* de exierant Holsati, pertinet ad Hammenburgensem Parochiã, & est terræ † Wagirensis prouincia. Videns ergo Geroldus Episcopus quia Polabi & Obotriti, qui erant in medio camini æstuantis, soluerent decimarum suarum legitima, propo-
*Adolfus C.* suit à suis requirere similia. Communicato ergo consilio Adolfi Comitis, indomitos Holzatorum animos, exhortatorijs per literas verbis tentare studuit. Ad Eccle-
*Marcradus.* siam ergo Burnhouede, quæ alio nomine Zuentiueld dicitur, vbi habitabat Marcradus senior terræ, & secundus post Comitem, & cætera virtus Holzatorum, mi-
*Literæ Geroldi ad Holsatos.* sit literas in hunc modum. Geroldus, Dei gratia Lubicensis Ecclesiæ Episcopus, vniuersis ciuibus ad Ecclesiam Burnhouede pertinentibus, salutem & debitam dilectionem. Quoniam per Dei voluntatem Ecclesiastica mihi dispensatio credita est, & diuina legatione ad vos fungor, necesse est vt à bonis ad meliora vos perducere studeam, & ab his, quæ sunt saluti animarum vestrarum contraria, vos abstrahere totis nisibus elaborem. Deo siquidem gratias ago, quòd multarum in vobis parent virtutum insignia, quòd videlicet hospitalitati, & alijs misericordiæ operibus propter Deum insistitis, quòd in verbo Dei promptissimi & in construendis Ecclesijs solliciti estis, in legitimis quoq;, vt Deo placitum est, castã ducitis vitam, quæ omnia tamen obseruata nil proderunt, si cætera mandata negligitis, quia sic-
*Veteris Testamẽti exẽpla insulse allegata.* ut scriptum est: Qui in vno offendit, omnium reus est. Dei enim præceptum est, Decimas ex omnibus dabis mihi, vt bene sit tibi, & longo viuas tempore, cui obedierunt Patriarchæ, Abraham scilicet, Isaac & Iacob, & omnes qui secundũ fidem facti sunt filij Abrahæ, per quod laudem etiam & præmia æterna consecuti sunt. Apostoli quoq; & apostolici viri, hoc ipsum ex ore Dei mandauerunt, & sub anathematis vinculo posteris seruandum tradiderunt. Cùm ergo Dei omnipotentis proculdubio hoc constet esse præceptum, & sanctorũ patrum sit autoritate firmatum, nobis id incumbit negocij, vt quod vestræ saluti deest, nostro in vobis opere per Dei gratiam suppleatur. Monemus ergo & obsecramus omnes vos in Domino, vt mihi, cui paterna in vos cura commissa est, animo volenti quasi filij obedientiæ acquiescatis, & decimas, prout Deus instituit, & Apostolica Banno firmauit autoritas, ad ampliandum Dei cultum, & ad gerendum pauperum curam Ecclesiæ detis, ne si Deo, quæ ipsi debentur, subtraxeritis, & substantiã simul & animam
*Holsatorum obstinatio.* in interitum mittatis æternum. Valete. His auditis tumultuosa gens infremuit, dixeruntq; se huic conditioni seruili nunquam colla submissuros, per quam omne pene Christicolarum genus Pontificum pressuræ subiaceat. Præterea hoc adiecerunt, non

runt, non multum aberrantes à veritate, quòd omnes penè decimæ in luxus secularium cesserint. Quamobrem Episcopus verbum hoc retulit ad Ducẽ. At ille præcepit sub obtentu gratiæ suæ, omnibus Holzatensibus de terra Wagirensi, vt soluerent Episcopo decimas cum omni integritate, sicut faciunt in terra Polaborum, & Obotritorum, quæ recentius incultæ sunt, & ampliori pulsantur formidine belli. Ad hoc præceptum Holzati obstinatis animis dixerunt, nunquam se daturos decimas, quas patres sui nõ dedissent, malle se potius succensis ædibus proprijs egredi terram, quàm tantæ seruitutis iugum subire. Præterea pontificem cum Comite & omni aduenarum genere, quod decimarum soluit legitima, interficere cogitabant, & terra inflammata, transfugere in terram Danorum. Sed prauarum molimina rerum, Ducis nostri, regisq; Danorum præpedierunt innouata fœdera. Laudatum autem fuit, ne quis transfugam alterius reciperet. Quapropter Holzatenses necessitate constricti, præsente Duce cum Pontifice tale pactum inierunt, vt facerent augmentationem decimarum, & soluerent de manso sex modios siliginis, & octo auenæ, illius inquam modij, qui vulgo dicitur Hemmethe. Et ne succedentium fortè Pontificum innouatas paterentur angarias, rogauerunt, hoc Ducis atq; Pontificis sigillo confirmari. Cumq; notarij iuxta morem curiæ, marcam requirerent auri, gens indocta resilijt, & negocium mansit imperfectũ. Eidem quoq; negocio, commodis Ecclesiæ magnificè profuturo, magnum attulit impedimentum, & velox episcopi transitus, & bellorum imminens dira tempestas.

*Henrici L. edictum.*

*Institutum seditiosum.*

*Altercationis compositio.*

## CAPVT XCIII.

Filij enim Nicloti, Pribizlauus atq; Wertizlauus, non contenti terra Kycinorum & Circipanorũ, aspirabant ad † acquirendam terram Obotritorũ, quam Dux eis abstulerat iure belli. Quorum insidijs recognitis Guncelinus de Zuerin, præfectus terræ Obotritorum, intimauit Duci. At ille posuit eos rursus in indignationem & iram, & venit cum exercitu graui in terram Slauorum hyemali tempore. Porrò illi consederant in vrbe Wurle, & munierunt castrum contra obsidionis impetum. Et præmisit Dux Guncelinum & fortissimum quenq;, vt præoccuparent obsidionem, ne fortè elaberentur Slaui. Ipse verò quantocyus secutus est cum reliquo exercitu. Et obsessa est munitio, in qua fuit Wertizlauus, filius Nicloti, & multi nobilium, insuper vulgus promiscuum multum valde. At Pribizlauus senior natu, cum numero equitum transierat in abdita nemorũ, percussurus de insidijs incautos. Et gauisus est Dux gaudio, eo quòd Slaui obfirmatis animis expectauerunt eum in munitione, & præbita sit ei facultas obtinendi eos. Et dixit ad iuniores de exercitu, quos præliandi stulta cupido incitabat hostẽ prouocare, & suscitare bathalias: Quare, quod superuacuum est, acceditis ad portas vrbis, & struitis pericula vobismetipsis? Frustratorij sunt huiuscemodi congressus, atq; ruinosi. Quin potius consistite in tabernaculis vestris*, & habete custodiam obsidionis, ne quis elabatur. Nostri verò studij erit, per Dei gratiam, vt sine tumultu & sine strage vrbe potiamini. Et statim pręcepit ex abundanti nemore ligna conduci & aptari bellica instrumenta, qualia viderat facta Crimmæ siue Mediolani. Fecitq; machinas efficacissimas, vnam tabulatis compactam ad perfringendos muros, alteram verò quæ excelsior erat, & in turris modum erecta, superexaltauit castro, ad dirigendas sagittas, & ad abigendos eos qui stabãt in propugnaculis. A die enim qua erecta est hęc fabrica, nemo Slauorum ausus est proferre caput, aut apparere de propugnaculis. Ipso tempore Wertizlauus grauiter vulneratus est de sagitta. Quadã verò die perlatum est ad Ducem, quòd Pribizlauus cum turma equitum apparuerit non longè à castris. Ad quem requirendum transmisit Adolfum Comitem, cum electa iuuenum manu, qui tota die paludes & nemora oberrantes neminem inuenerunt, delusi à ductore, qui maiorem hosti quàm nostratibus fauorem accommodauerat. Pręceperat autem Dux pabulatoribus, ne quoquam exirent eo die, ne fortè in hostem inciderent. At Holzatorum quidã, vt sunt ceruicosi, non curauerunt de mandato, & egressi sunt ad frumentandum, & superueniens Pribizlauus, & irruens su-

*Pribizlaus & Wertizlaus student rebus nouis.*

†P. requirẽdam.

*Guncelinus.*

*Henrici L. expeditio in Slauos.*

*Wertislaus obsessus Wurle.*

*Pribizlai equitatus.*

*Henricus L. prouidi imperatoris munus obit.*

*P. vnde nõ possitis iaculari sagittis hostium.

*Machina bellica.*

*Wertislaus sauciatus.*

*Adolfus C.*

*Holsati pabulatores à Pribizlao casi.*

per incautos, proſtrauit ex eis ad centum viros, reliqui fugerunt in caſtra. Quapropter Dux ira acriter inſtimulatus, feruentius vrget obſidionem, iamq; munimenta clauſtri cœperunt trepidare minaci ruina & ſuffoſſionibus dilabi.

*Wertizlaus fide publica venit in caſtra.*

*Adolfus auctor deditionis.*

Tunc Wertizlauus omni ſpe meliori depoſita, accepto conductu, venit in caſtra ad Comitem Adolfum, vt acciperet ab eo conſilium. Cui reſpondet Comes: Sera quidem medicinæ conſultatio eſt, quando ęger deſperatus eſt. Pericula nunc imminentia, debuerant antea fuiſſe præuiſa. Quis, quæſo, tibi conſilium dedit, vt obſidionis periculum incurreres? Magnæ fuit amentiæ, ponere in neruo pedem, vbi non ſit diuerticulum, vel vlla euaſionis molitio. Nil ergo reſtat niſi deditio. Si quod poteſt eſſe ſalutis compendium, ſola deditione apprehendendum video. Et ait Wertizlauus: Fac pro nobis verbum apud Ducem, vt ſine periculo vitę & membrorum damno, admittamur deditioni.

*Intercedit pro hoſte.*

Tunc perrexit Comes ad Ducem, & alloquens eos, in quibus pendebant conſilia, manifeſtauit eis negocium. At illi deguſtata Principis voluntate, dederunt manus, vt quicunq; Slauorum dediſſet ſe in poteſtatem Ducis, membris & vita potiretur, ea tamen conditione, vt & Pribizlauus ab armis diſcederet.

*Deducit eũ dẽ cum ſuis ſe dedentẽ.*

*Dani captiui gratis dimiſſi.*

Tunc conductu clariſſimi Comitis exierunt de munitione Wertizlauus, & omnes nobiles Slauorum, & venerũt ad pedes Ducis vniuſcuiuſq; enſis ſuper verticem ſuum. Et ſuſcepit eos Dux, & recluſit in cuſtodia. Pręcepit ergo Dux, vt quicunq; Danorum captiui haberentur in caſtro, potirentur libertate: & exijt de illis multitudo maxima, imprecantes Duci fortiſſimo bona, pro ſuimet ereptione.

*Lubemarus, Nicloti frater.*

*Wertiſlaus abducitur Brunſuigam.*

Porrò caſtrum & vulgus ignobile fecit ſeruari, & præpoſuit eis Lubemarum quendam veteranũ, fratrem Niclotí, vt præeſſet terræ & ſentiret ea quæ ſubiecta ſunt. Wertizlauum verò Slauorum regulum duxit ſecum Brunſwich, & aſtrinxit eum manicis ferreis, cęteros verò diſpertiuit per cuſtodias, quouſq; ſoluerent nouiſſimum quadrantem. His ita geſtis humiliatę ſunt vires Slauorum, vt recognoſcerent, quia Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauet occurſum.

*Pribizlaus agit de pace.*

Pribizlauus ergo, qui erat ſenior natu, & acris ingenij, cupiens fratri captiuo ſubuenire, cœpit per nunciorum manus attentare Principis animum, & rogare ea quæ pacis ſunt. Cumq; Dux requireret obſides, vt firma eſſet ſponſionum fides, ait Pribizlauus: Quid opus eſt Domino meo, vt à ſeruo ſuo requirat obſides? Nonne fratrem meum, & omnes nobiliores Slauiæ retinet in cuſtodia? teneat eos loco obſidum, abutatur eis vt libuerit, ſi temerauerimus ſponſionum fidem. Dum hęc per internuncios agerentur, & daretur Pribizlauo ſpes meliorũ, aliquantulum temporis fluxerat ſine bello, fuitq; pax in Slauia à Martio menſe vſq; in Calendas Februarij ſequẽtis anni, & omnia caſtra Ducis erant illæſa, videlicet Malachou, Cuſcin, Zuerin, Ilowe, Mikilinburg.

## CAPVT XCIIII.

*Morbus Geroldi antiſtitis.*

EOdem anno Dominus Geroldus, Lubicenſis Epiſcopus, poſt celebres Paſchę ferias cœpit infirmari, & decubuit in lecto ægritudinis, vſq; in Calendas Iulij. Orauitq; Deum, vt differretur ſibi vita, quouſq; dedicaretur oratorium Lubicenſe, & Clerus recenter adunatus conualeſceret in ſtatu ſuo. Nec mora, diuinitus adiutus, dilatus eſt ad modicum.

*Congreſſio Henrici L. & Hartuici Archiepiſ.*

Adijt ergo Ducem, qui tunc forte venerat Stadhen, in occurſum Archiepiſcopi, & contulit cum eo de commodis Lubicenſis Eccleſiæ. Cuius verbis ille condelectatus, monuit vt quantocyus rediret Lubeke, paraturus ea quæ dedicationi opportuna erant. Et rogauit Dux Archiepiſcopum, vt occurreret ſecum ad † confirmationem officij.

† P. cõſummationem.

Cuius petitioni acquieſcens aggreſſus eſt iter in Wagirenſem terram, & in tranſitu dedicauit Falderenſem Eccleſiam, quam ſanctæ memorię Vicelinus Aldenburgenſis Epiſcopus & fundaſſe & poſſediſſe dinoſcitur. Et fecit Archiepiſcopus præpoſito & fratribus illic degentibus bona multa.

*Faldera nomen mutatum.*

*Hermannus Epponis ſucceſſor.*

Præcepitq; vt locus ille de cætero vocaretur nouũ monaſteriũ. Antea enim Faldera ſiue Wippenthorp vocabatur. Fuitq; loci illius præpoſitus Hermannus, qui olim etiam Lubeke ſub Barbarica tempeſtate multos pertulerat labores, ſociatus in prædicatione Euangelij Domino Ludolfo Segenbergenſi præpoſito, & Brunoni Aldenburgenſi Presbytero. Hic ergo Hermannus ſucceſſerat in procurationem mona-

monasterij noui, venerabili viro Epponi, cuius sanctitas insignis, ab omnibus semper cum pietate recolēda. Iampridem fœlicem acceperat consummationem Calend. Maij. Perfecta ergo, vt antea dixi, dedicatione noui monasterij, transijt Dominus Archiepiscopus Segeberg, & illic vsus est diuersorio Comitis Adolfi. Postquam autem venit Lubeke, suscepit eum Dux & Episcopus cum magna gloria, & aggressi sunt opus dedicationis, & obtulerunt singuli voluntaria cordis sui, Henricus Dux, Geroldus Episcopus, & Adolphus Comes, dederuntq; prædia & reditus & decimationes in subsidia Cleri. Commonitus autem Archiepiscopus, vt nouum monasterium daret Lubicensi Episcopo, non acquieuit. His ritè peractis, reuersus est Archiepiscopus in locum suum. Dux verò ordinatis rebus in Saxonia, profectus est in Bauariam, vt sedaret tumultuantes, & faceret iudicium iniuriā patientibus.

*Sigeberga. Adolfus. πλεονεξία. Henricus L. Bauariam petit.*

## CAPVT XCV.

INterim sentiens Geroldus venerabilis Episcopus dilatos ad tempus dolores rursus incalescere, statuit visitare omnes Ecclesias suæ diœcesis, à nullo petens stipē, ne cui esset onerosus. Paternam ergo gerens solicitudinem, filijs suis abundanter erogauit monita salutis, errantes corrigens, & discordes compacans, præbens etiā confirmationis gratiam, sicubi necesse fuisset. Forum etiam Plunense, quod singulis diebus Dominicis frequentabatur à Slauis, & à Saxonibus, in verbo Domini prohibuit, eo quòd populus Christianus, deserto cultu Ecclesiæ & missarum solennijs, mercationibus tantùm operam daret. Hanc ergo permaximam idololatriam præter multorum opinionem, animi constantia destruxit, præcipiens sub anathematis districtione, ne quis de cætero suscitaret ruinas eius. Et conuenerunt populi de cætero ad Ecclesias, audire verbum Dei, & interesse sacris mysterijs. Perlustrata ergo omni Parochia sua, Dominus Episcopus nouissimè venit Lucelenburg consolari manētes illic, expletisq; diuinis mysterijs, quasi peracto negocio, viribus corporis cœpit repente destitui: Perlatusq; Bozoue multis diebus lecto decubuit. Nūquam tamen missarum solennijs vsq; ad diem obitus sui defuit. Fateor non meminisse, me vidisse virum magis exercitatum in diuino officio, frequentiorem in Psalmodia & vigilia matutina, benigniorē Clero, quem nec verbo passus est à quoquā molestari. Hic quandam personam laicalem, clericum calumniantem, fecit acerrimè plagari, dans cæteris exemplum, vt discerent non blasphemare. Audita ergo boni pastoris ægritudine, venerunt ad eum venerabiles viri, Odo Lubicensis Ecclesiæ Decanus, & Ludolfus prępositus Segebergensis cum fratribus vtriusq; congregationis. Qui cùm lecto ægrotantis appositi optarent ei dilationem vitæ, ipse respondit: Quid precamini mihi, fratres, quod inutile est? Quantumcunq; viuam, mors semper restat. Iam nunc vtiq; fiat, quod quandoq; futurū est. Melius est euicisse, quod effugere nemini licitum est. O libertatem spiritus pauore mortis imperterritam. Inter loquendum autem dedit nobis lectionem de Psalmo, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus. Interrogatus à nobis quas pateretur molestias? nullos se torsionum dolores sentire professus est, sed tamen defectu virium pręgrauari. Verùm cùm fratres consummationis finem imminere viderent, impenderunt ei sacræ vnctionis officiū, sicq; sacramentis salutaribus communitus, illucescente die, cum tenebris noctis corruptibilē carnis sarcinam deposuit. Corpus eius Lubeke perlatum à Clero & ciuibus, * traditum est sepulturæ in medio Basilicæ, quam ipse fundauit. Et vacauit sedes Lubicensis vsq; in Calendas Februa. eo quòd Dux abesset, & expectaretur eius sententia.

*Geroldus inspicit ecclesias. Vetat aperiri forum die dominico. Lucelenburg. Morbus Geroldi. Pœna calumniæ. Animus ad mortem paratus. Mors Geroldi. Sepultura.*

** P. honestè.*

# HELMOLDI, PRESBYTERI BVZOVIENSIS, CHRONIC. SLAVORVM

## LIBER II.

*Præfatio operis ſequentis.*

*Fides in hiſtoriarũ ſcriptoribus deſiderata. Falſarũ expoſitionum cauſa.*

INTER deſcriptores hiſtoriarum rari inueniũtur, qui rebus geſtis deſcriptionis fidem integrã ſoluant. Sanè diſparilia hominũ ſtudia, plerunq; corrupto fonte naſcentia, in ipſa narrationis ſuperficie ſtatim dinoſci poſſunt, dum videlicet ſucceſcens in corde hominis veluti ſuperfluitas quædã humorũ, indebitus amor ſiue odiũ deflectit narrationis impetũ, derelicto veritatis tramite, in dexterã ſiue in ſiniſtram. Multi enim aucupantes fauorem hominũ, palliauerunt ſe amicitiæ ficta quadam ſuperficie, & propter ambitionem honoris ſeu cuiuſlibet emolumenti, locuti ſunt placentia hominibus, aſcribentes digna indignis, laudẽ quibus non debebatur laus, benedictionem quibus nõ erat benedictio. Quo contra alij odio concitati minus pepercerunt obloquijs, quęrentes locũ calumnijs, & quos manu nequibant acrius lingua inſectãtes. Tales profectò ſunt, qui ponunt lucẽ tenebras, & dicunt noctem diem. Sed nec aliquando defuerunt inter ſcriptores, qui propter damna rerum & cruciatus corporum impietates Principum publicare timuerunt. Venialius autẽ eſt, veritatem tacuiſſe ob puſillanimitatẽ ſpiritus, & tempeſtatẽ, quam ob ſpem inanis lucri finxiſſe mendaciũ. In exprimendis ergo actibus hominũ, veluti in exculpendis ſubtiliſſimis cælaturis, ſincerum ſemper oportet eſſe conſiderationis intuitũ, qui nec gratia, nec odio, nec pauore, à veritatis via deducatur. Quod quia multæ peritiæ eſt, imò maximæ ſolertiæ, gubernaculũ videlicet ſermonis inter hęc ſcopulorũ impedimenta inconcuſſum dirigere, diuina mihi pietas diligentius eſt exoranda, vt quia nauẽ deſcriptionis auſu quodã improuiſo magis quàm temerario in altũ deduxi: ipſa opitulante, & flatus ſecundos dirigente, perducere merear ad littus debitæ conſummationis. Alioquin ob difficultatẽ ingraueſcentiũ cauſarum, & deprauatos mores principũ, facilè perturbabor à timore hominũ. Magnę aũt conſolationis eſt firmamentũ omnibus veritati innitentibus, quia veritas, etſi nonnunquã impijs odiũ pariat, ipſa tamen in ſe inconcuſſa permanens, non offenditur, ſicut ægris oculis odioſa lux eſt, quod non lucis ſed ægritudinis oculorũ culpa dinoſcitur. Sed & omnis conſiderans vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, non ſpeculo ſed ſibimet imputabit, ſi quid in ſe prauum aut diſtortum viderit. Sequens ergo opuſculum, ſicut & præcedentia, dedico caritati veſtræ, ô venerabiles Domini & fratres, præſentibus honorem, futuris de rerum noticia fructũ conducere cupiens. Sed & mihimet ſpero non defuturum quantumlibet emolumenti de orationibus magnorum virorum, qui fortè libellum hunc lecturi ſunt, qui poſtulationi meæ non negabunt precum ſuarum ſuffragia.

*Hiſtorici officium.* *Votum.* *Veritas.*

CAPVT

## CAPVT I.

COmpositis ergo rebus in Bauaria, Henricus Leo gemino ducatu clarus, reuersus est in Saxoniam, & accersito Clero Lubicensi dedit eis Pontificem Dominum Conradum Abbatem de Reddegeshusen, fratrem germanum Domini Geroldi Episcopi. Quod licet Hartwigo Archiepiscopo & omnibus pene Lubicensibus esset contrarium, præualuit tamen voluntas Ducis, cui refragari formidolosum erat. Recepit autem sacrum ordinem per manus Hartwici Archiepiscopi, in ciuitate Stadensi. Pollebat autem literatura, facundia, affabilitate, largitate, multis † deniq; donis, quibus dignam personam superuestiri decorum est. Sed pulcram viri superficiem deformabat insanabilis, vt ita dicam, impetigo, mobilitas animi, & facilitas verborum, quæ nunquam in eodem persistebat, diffidens ipse secum, nihil ex consilio faciens, incertus in promissis, extraneos diligens, suos fastidiens. Clero, quem in tenella reperit Ecclesia, magna seueritate primum abusus est, incipiens à primis, qui erant in Lubicensi Ecclesia, vsq; ad nouissimos, qui habitabant ruri. Bona sacerdotum omnia sua esse dicebat, non quasi fratres, sed vt seruos reputans. Si quem fratrem fortè pulsare cœpisset, non legitima vocatione, non loci vel temporis congruentia, siue capituli sententia vsus est, sed ad placitum suum, quos grauare voluisset, aut suspendit ab officio, aut eliminauit ab Ecclesia. Commonitus à Duce, nihil remissius egit, sed alienauit se à Duce, & confœderatus est Archiepiscopo, quatenus connexis viribus facilius vincerent omnem resistentē. Circa dies illos, quo primum promotus est ad summi sacerdotij gradum, cùm adhuc consisteret secus Archiepiscopum in vrbe Horeborg, quæ est super ripas Albiæ, in mense Februario, hoc est, 14. Calendas Martij, orta est tempestas maxima, ventorum procella, fulgurum coruscatio, & tonitrui fragor, quæ passim multas ædes aut incendit aut subruit: insuper tanta maris exundatio oborta est, quanta non est audita à diebus antiquis, quæ inuoluit omnem terram maritimam Fresiæ, Hadelen, & omnem terram palustrem Albiæ & Wirræ, & omnium fluminum, quæ descendūt in Oceanum mare, & submersa sunt multa millia hominum, & iumentorum, quorū non est numerus. Quanti diuites, quanti potentes vespere sedebant, & delicijs affluebant, omni timore malorum sublato, sed veniens repentina calamitas inuoluit eos in medijs fluctibus?

*Henricus L.* — *Cōradus Abbas, Geroldi antistitis frater & successor.* — *Eiusdē virtutes.* — † P. præterea. — *Vitia.* — *Fastus.* — *Arrogantia.* — *Fœdus cum Hartwico Archiepisc.* — *Tempestas.* — *Cataclysmus.*

## CAPVT II.

EAdem die qua maritimæ regiones Oceani, tanta clade peruastatæ sunt, accidit strages magna, in ciuitate Slauorum Mikelenburg. Wertislauus enim, Nicloti filius iunior, qui tenebatur in vinculis Brunswich, mandauit, vt dicitur, Pribizlauo fratri suo per nuncios, dicens: En ego teneor vinculis æternis inclusus, & tu negligenter agis? Euigila, & enitere atq; viriliter age, & quod pace non potes, armis extorque. Non recogitas, quòd pater noster Niclotus, cùm Lunenburgi teneretur in custodia, neq; prece neq; pecunia redimi potuit. Postquam autē virtutis instinctu, corripuimus arma, & fecimus incendia & exterminia vrbium, nonne dimissus est? His auditis, Pribizlauus collegit latenter exercitum, & venit improuisus Mekelinburg. Henricus autem de Scathen, præfectus castri, tunc fortè defuit, & populus qui erat in castro, fuit sine Principe. Accedens ergo Pribizlauus, ait ad viros qui erant in munitione: Magna, ô viri, tam mihi quàm genti meæ illata est violentia, qui expulsi sumus de terra natiuitatis nostræ, & priuati sumus hæreditate patrū nostrorum. Vos quoq; iniuriā hanc cumulastis, qui inuasistis terminos nostros, & possedistis vrbes & vicos, qui nobis debētur hæreditaria successione. Proponimus ergo vobis optionē vitę & mortis. Si volueritis aperire nobis munitionē, & reddere terrā debitā, deducemus vos pacificè cum vxoribus & filijs, & vniuersa supellectili. Si quis Slauorū quippiam abstulerit, eorū quæ ad vos pertinēt, ego in duplo restituā. Quòd si nolueritis egredi, immo vrbē hāc pertinaciter defendere, iuro vobis, q̄ si fauerit nobis Deus & Victoria, oēs vos occidā in ore gladij. Ad hęc verba Flāmingi

*Wertislaus captiuus nunc belli fax.* — *Niclotus.* — *Pribizlaus in armis.* — *Henricus de Scathen.* — *Flandri Megalburgi coloni.*

iacula dirigere, & vulnera infligere cœperunt. Slauorum ergo exercitus viris &
*Clades Megalburgica.* armis potentior, vehementi pugna irrupit munitionem, & occiderunt omne maſculinum in ea, non reliquerũt de populo aduenarum vel vnum, vxores & paruulos eorum duxerunt in captiuitatem, & ſuccenderunt caſtrum igne. Poſthæc con-
*Ilonia tentata.* uerterunt faciem ſuam ad caſtrũ Ilowe, vt deſtruerent illud. Porrò Gunzelinus,
*Guncelinus.* ſatelles Ducis, & præfectus terræ Obotritorum, audiens per exploratorum manus exiſſe Slauos, præierat cum paucis militibus Ilowe, vt fieret vrbi præſidio. Vaſtata ergo Mickelenburg, Pribizlauus anteceſſit exercitum cum fortiſſimis, vt præoccuparet obſidionem, ne quis fortè effugeret. Quod audiens Guncelinus dixit ad ſuos, Exeamus velociter & pugnemus cum eo, priuſquam reliquus veniat exercitus. Laſſi enim ſunt de pugna & ſtrage, quam commiſerunt hodie. Et reſponderũt ei fideles ſui: Non eſt nobis cautum egredi, ſtatim enim vt exierimus, Slaui qui ſunt intra vrbem hanc, & videntur ſtare nobiſcum, claudent portas vrbis poſt nos, & nos erimus excluſi, vrbsq; cedet in manus Slauorum. Et diſplicuit verbum hoc in oculis Guncelini, & virorum eius. Conuocans ergo Teutonicos omnes, qui erant in vrbe, dixit ad eos in audientia Slauorum, qui fuerant in vrbe, & de quibus fuerat
*Slaui Ilonienſes aſtu in officio retenti.* traditionis timor: Relatum eſt mihi, quòd Slaui, qui nobiſcum ſunt intra portas vrbis, iurauerunt Pribizlauo, vt tradant & nos & vrbẽ. Audite ergo ô viri compatriotæ, qui deſtinati eſtis in mortem & exterminium, ſtatim vt videritis perfidiam, ob-
*† P. vxoribus.* ijcite vos portis, & mittite ignẽ in mœnia vrbis, & exurite perfidos hos cum † mulieribus & paruulis. Moriantur vnà nobiſcum, nec fiat aliquis ex eis ſuperſtes, vt non glorientur de interitu noſtro. His auditis, exterriti ſunt animi Slauorum, nec auſi ſunt aggredi quæ animo conceperant. Veſpere autem facto, venit vniuerſus
*Pribizlaus ſolicitat populares ad defectionẽ.* exercitus Slauorum ante caſtrum Ilowe, & allocutus eſt Pribizlauus Slauos, qui erant in ea: Notum eſt omnibus vobis, quantæ calamitates & preſſuræ apprehenderint gentem noſtram, propter violentam Ducis potentiam, quam exercuit in nos, & tulit nobis hæreditatem patrum noſtrorum, & collocauit in omnibus terminis eius aduenas, ſcilicet Flamingos, & Hollandos, Saxones & Weſtphalos, atq; nationes diuerſas. Hanc iniuriam zelatus eſt pater meus vſq; ad mortem, frater meus ob hoc ipſum vinculis æternis tenetur incluſus, & nemo remanſit qui cogitet bonum genti noſtræ aut velit ſuſcitare ruinas eius, niſi ego ſolus. Reuertimini ergo ad cor ô viri reliquiarum Slaui generis, & reſumite audaciam, & tradite mihi vrbem hanc, & viros qui iniuſtè occupauerunt eam, vt vlciſcar in eos, ſicut vltus ſum in eos qui inuaſerant Mikilenburg. Et cœpit eos commonere ſuper promiſſo. At illi negauerunt, timore perterriti. Seceſſerunt ergo Slaui longius à caſtro, eo
*Soluit obſidionem Ilonienſem.* quòd ingrueret nox, & caſtra metanda eſſent. Aduertentes autem Slaui quia Guncelinus & qui cum eo ſunt, viri fortes ſunt & bellicoſi, nec poſſe munitionem capi ſine maxima ſtrage, primo diluculo receſſerunt ab obſidione, & reuerſi ſunt ad loca ſua. Guncelinus ergo veluti torris erutus ab igne, relicta Ilowe, & collocata illic
*Suerinum à Guncelino conſeruatum.* militum cuſtodia, tranſijt Zuerin, & læti ſunt habitatores vrbis de inſperato aduentu eius. Auditum enim fuerat pridie, quòd interfectus fuiſſet ipſe, & viri eius pariter.

## CAPVT III.

*Bernonis pietas.* QVinto ergo die, poſtquam percuſſa eſt Mikilinburg, deſcendit Berno venerabilis Epiſcopus cum paucis clericis de Zuerin, tumulare interfectos, geſtans in collo ſuo ſacerdotalia indumenta, in quibus offerre mos eſt. Et figens altare in medio interfectorum, obtulit pro eis hoſtiam ſalutarem Domino Deo, cum luctu & tremore. Quo iam ſacrificium peragente, ſurrexerunt Slaui de inſidijs, vt percu-
*Richardus de Soltvvedele.* terent Pontificem, & qui cum eo erant. Sed celeriter miſſus à Deo, ſuperuenit quidam Reichardus de Saltwedele cum militia. Hic audito quia Guncelinus obſeſſus eſſet Ilowe, egreſſus fuit ad auxilium ipſius, & iter faciens, caſu ſuperuenit Mikilinburg, cùm Pontifex cum ſuis iam in mortis eſſet articulo. Cuius aduentu territi Slaui fugerunt, & ſaluatus Epiſcopus, peregit opus pietatis, & tumulauit de interfectis ad ſeptuaginta corpora & poſthęc reuerſus eſt Zuerin. Poſt non multum verò tem-

rò tempus Pribizlauus collecta rursum Slauorũ manu, venit Malacowe & Cuscin, & allocutus est habitatores vrbis, dicens: Scio quidem vos esse viros fortes & nobiles, & obsecundantes imperio magni Ducis Domini vestri. Volo ergo persuadere vobis quæ sunt vtilia. Reddite mihi castrũ, quod olim fuit patris mei, & mihi nunc hæreditaria successione debetur, & ego exhiberi vobis faciam conductum, vsq; ad ripas Albię: Si quis eorum, quæ ad vos pertinent, quicquam violenter attigerit, ego in duplo restitui faciam. Quòd si hanc conditionem optimam, inutilem iudicaueritis, oportebit me rursum experiri fortunam meam, & congredi vobiscum. Mementote quid contigerit habitantibus Mekelenburg, qui spreuerunt conditiones pacis, & prouocauerunt me in suimet damnum. Tunc milites custodes pręsidij videntes non esse locum pugnæ; eo quòd hostes multi, auxiliarij verò essent pauci, impetrauerunt conductum extra terminos Slauiæ, & Pribizlauus recepit castrũ.

*Pribizlai hostiles blanditia.*
*Cuscini deditio.*

## CAPVT IIII.

AVdiens ergo Henricus Leo Dux, labefactari res in Slauia, contristatus est animo, & misit interim robur militum Zuerin, ad custodiendum eam. Et præcepit Adolfo Comiti & maioribus de Holzatia, vt transirent Ilowe, & essent tutamẽ castri. Post hæc congregauit exercitum grandem, & vocauit cognatum suum Adelbertum, Marchionem orientalis Slauiæ, & omnes fortissimos totius Saxoniæ, in auxilium, vt redderet Slauis malum quod fecerant. Sed & Waldemarum regem Danorum adduxit cum nauali exercitu, vt vexaret eos terra mariq;. Et occurrit Adolfus Comes Duci cum omni Nordalbingorum populo iuxta Malacowe. Dux verò vbi transijt Albiam, & attigit terminos Slauorũ, fecit Wertizlauum Principem Slauorum suspendio interfici prope vrbem Malacowe, eo quòd persuaderit eum frater eius Pribizlauus, & præuaricatus fuerit promissiones pacis, quas pactus fuerat. Et præcepit Dux Adolfo Comiti per nuncium, dicens: Surge cum Holzatis & Sturmarijs & cum omni populo qui tecum est, & præcede te Ducem vsq; in locum qui dicitur Viruchne. Idem facturus est Guncelinus præfectus terræ Obotritorum, & Reinoldus Comes Thetmarsiæ, & Christianus Comes de Aldenburg, quæ est in Amerland, terra Fresonum, hi omnes præcedent te cum armatorum numero, qui ad ipsos pertinent. Tunc abijt Adolfus Comes cum cæteris nobilibus, qui secum deputati fuerant iuxta imperium Ducis, & venerunt in locum qui dicitur † Viruchne, & distat ab vrbe Dimin ferè duobus miliaribus, & metati sunt illic castra. Porrò Dux & cæteri Principes morati sunt in loco qui dicitur † Malacowe, secuturus post aliquot dies cum reliquo exercitu, cum veredarijs ferentibus victualia, quæ exercitui sufficerent copiosè. Vniuersus verò Slauorum exercitus consederat in vrbe Dimin, fueruntq; Principes eorum Kazemarus & Bugezlauus, duces Pomeranorum, & cum his Pribizlauus autor rebellionis, miseruntq; nuncios ad Comitem, volentes per eum admitti ad conditiones pacis, & promiserunt tria millia Marcarum. Rursum alios mittentes, promiserũt duo millia. Et displicuit verbum hoc Comiti Adolfo, & dixit ad suos: Quid vobis videtur, ô viri sapientes? Qui heri promiserunt tria millia Marcarum, nunc offerunt duo millia. Verbum istud non est quærens pacem, sed adducens bellum. Miserunt ergo Slaui noctu speculatores in castra † explorare statum exercitus. Aldenburgenses verò Slaui fuerant cum Adolfo Comite, sed insidiosè: nam quęcunq; gerebantur in exercitu, remandauerunt hostibus, per manus exploratorum. Dixerunt ergo Adolfo Comiti, Marchradus senior terræ Holzatorum, & cæteri qui intellexerant verbum absconditum: Auditu certissimo comperimus, quòd hostęs nostri præparent se ad bellum. Porrò nostrates segnius agunt, nec in vigilijs, nec in custodijs debitam exhibent diligentiam. Adhibe ergo cautionem populo, eo quòd Dux bene præsumat de te. Et dissimulauit Comes, cæterique nobiles & dixerunt: Pax & securitas, emortua est enim virtus Slauorum. Defecit ergo in exercitu custodia. Moram autem faciente Duce, defecerunt exercitui alimenta, & destinati sunt pueri, qui deberent ire ad exercitum Ducis propter victualia

*Henricus L. se ad bellum parat.*
*Adolfus C.*
*Albertus Vrsus.*
*Waldemarus R. Dan.*
*Wertizlai nex ignominiosa.*
*Guncelinus.*
*Reinoldus Com. Ditmars.*
*Christianus Comes Oldenburg.*
† D. Biruchne.
*Demin opp.*
† D. Verthen.
*Bugizlaus & Cazimirus, Pomerani, socij Pribizlai.*
*Adolfi intercessio petita.*
† D. ad explorandũ.
*Slauorum Aldeburg. perfidia.*
*Marchradi sagacitas.*
*Adolfus maturum consilium respuit.*

afferenda. Quibus primo diluculo iter aggressis, ecce in ascensu cliui apparuerunt cunei Slauorum cum populo innumerabili, tam equitum quàm peditum. Quibus visis, retorsere pedem pueri, & clamore valido dormientem suscitauere exercitũ. Alioquin omnes mortem somno copulassent. Tunc viri illustres atq; militares A-

*Fertur teme rè in hostē.*

dolfus atq; Reinoldus cum paucissimis Holzatensium atq; Thetmarsiensium, qui fortè somno exciti maturius accurrerant, exceperunt hostes in descensu cliui, & contrita est prima acies Slauorum ab eis, & percusserunt eos vsq; ad interiora stagni. Quos e uestigio subsecuta secunda Slauorum acies operuit instar montium, &

*Cadit cum Reinoldo C. Guncelinus. Christianus.*

percussi sunt Adolfus Comes, & Comes Reinoldus, & fortissimi quiq; ceciderũt. Et obtinuerũt Slaui castra Saxonum, & diripuerunt prædas castrorũ. Porrò Gun-celinus & Christianus, & cum eis amplius quàm trecenti milites conglobati in v-nũ, continebant se in latere pugnæ, ignorantes quid agerent. Formidolosum quippe erat congredi cum tanto hoste, omnibus scilicet socijs aut interfectis aut in fugam disiectis. Accidit ergo vt cuneus quidam Slauorum veniret ad tabernaculum quoddam, vbi multi erant armigeri & equi plures. Quibus expugnandis cùm valentius instarent, armigeri clamauerunt ad Dominos suos, quorum globus fuit è

*Implorati à suis opem, hostem victorē fundunt.*

vicino: Quid statis ô fortissimi milites? & quare nõ succurritis seruis vestris? Rem vtiq; turpissimam agitis. Qui concitati clamore seruorum suorum insilierũt in hostes, & quasi cæco furore pugnantes, liberauerunt pueros suos. Deinde castris fortius immersi, difficile dictu est, quantos ictus dederint, vel quantas strages hominũ fecerint, donec victrices illas Slauorum acies disijcerent, & reciperent castra quæ perdiderant. Deniq; miscuit Deus Slauis spiritum vertiginis, & ceciderunt de manibus optimorum militum. Et audierunt Saxones, qui erant in latibulis, & egressi sunt, & resumpta audacia fortiter infusi sunt hostibus, & percusserunt eos attritione magna nimis, & repletus est campus ille aceruis mortuorum. Et venit Dux festi-

*Henricus L. suorum stragem miseratur.*

nanter, vt fieret suis præsidio, & vidit ruinam, quæ facta est in populo suo, & quia mortuus est Comes Adolfus, & fortissimi quiq;, & resolutus est in lacrymas multas. Sed dolorem eius mitigauit copiosior victoria, & cædes Slauorum maxima, qui ad duo millia & quingentos connumerati sunt. Præcepit ergo Dux, corpus A-

*Adolfi cadauer dissectũ & assum.*
† D. patrijs.
*Omen.*

dolfi Comitis concidi frustatim & assum condiri opere pigmentarij, quo posset circumferri & † patris inferri monumentis. Et impletum est vaticinium quod cecinit pridie quàm pateretur, sępissime reiterans versum, Igne me examinasti & non est inuenta in me iniquitas. Slaui ergo, qui effugerant manus gladij, venerunt Di-

*Diminum inflammatum.*

min, & succenso castro illo potentissimo, transierunt ad interiora Pomeranæ regionis, fugientes à facie Ducis. Sequenti autem die venit Dux cum exercitu vniuerso Dimin, & reperit castrum exustum, & collocauit ibi partem exercitus, vt deponerent vallum & adæquarent solo, & vt essent præsidio vulneratis, quibus opus erat cura. Ipse verò cum reliquo exercitu iuit in occursum Waldemari Regis. Et abierunt sociata manu, vt depopularentur latitudinem Pomeranę regionis, & ve-

*Stolpe.*
*Wertizlaus primus è Pomeraniæ principibus Christianismum amplexus.*

nerunt ad locum qui dicitur Stolpe. Illic Kazemarus & Bugezlauus iam olim fundauerant Abbatiam in memoriam patris sui Wertizlaui, qui ibidem & occisus & sepultus est. Ille primus inter Duces Pomeranorũ conuersus est ad fidem, per manus sancti Ottonis Bauenbergensis Episcopi, & ipse fundauit Episcopatũ Vznam, & admisit cultũ Christianæ religionis in terram Pomeranorum. Illuc ergo peruenit exercitus Ducis, & non erat qui resisteret. Slaui enim semper vltra progredientes, diffugiebant à facie Ducis, nusquam ausi subsistere præ formidine faciei eius.

*Legatio Græcorũ ad Henricum L.*
† P. recentē victoriā, & impetum fauentis fortunæ, omne r.
† P. terrę Pomeranorũ, sicut fecit terræ Obotritorum.
*Regni Obo-*

## CAPVT V.

IN diebus illis venit nuncius in terram Slauorum, qui diceret Duci: Ecce Legatus Regis Græciæ cum multo comitatu venit Brunswich, loqui tibi. Ad hunc audiendum Dux egressus est Slauiam, omisso exercitu & prosperis expeditionis expeditus successibus. Alioquin propter † Comitis mortem importunam, conuocata fortitudine, omne robur Slauorum consumpsisset, vsq; in finem, & fecisset † terram Pomeranorum, socios Obotritorum. Omnis ergo terra Obotritorum & finitimæ re-

timæ regiones, quæ pertinent ad regnum Obotritorum, aſſiduis bellis, maximè verò hoc nouiſſimo bello, tota in ſolitudinem redacta eſt, Domino ſcilicet fauente & dextram piiſſimi Ducis confortante. Si quæ Slauorum extremæ remanſerant reliquiæ, propter annonæ penuriam, & agrorum deſolationes, tanta inedia confecti ſunt, vt congregatim ad Pomeranos ſiue ad Danos confugere cogerentur, quos illi nihil miſerantes, Polonis, Sorabis, atq; Boemis vendiderunt. Poſtquã ergo Dux exiens Slauia, dimiſit exercitum, vnumquenq; in ſua, corpus Adolphi Comitis perlatum eſt Mindin, ibiq; ſancta deuotione reconditum. Cometiam verò tenuit Mechtildis vidua eius, cum filio tenello. Et immutata eſt facies terræ huius, eò quòd iuſtitia, & quies Eccleſiarum, ſublato bono patrono, penitus infirmata videretur. Ipſo enim ſuperſtite, clero nihil durum, nihil aſperum videbatur. Tantus erat fide, bonitate, prudentia atq; conſilio, vt vniuerſis videretur conſtructus virtutibus. Hic vnus de bellatoribus Domini, & certè non infimus, in funiculo ſortis ſuæ vtilis inuentus eſt, extirpans idololatriæ ſuperſtitiones, & faciens opus nouæ plantationis, quod fructificet in ſalutem. Nouiſſimè peracto boni itineris curſu, peruenit ad palmam, portansq; vexilla in caſtris Domini, ſtetit pro defenſione patriæ, & fide Principum, vſq; ad mortem. Rogatus vt vitæ conſuleret fugæ compendio, vehementer deteſtatus eſt, manibus pugnans & voce Dominum orans, mortem libenter excepit, ob virtutis amorem. Huius æmulatione inſtigati illuſtres viri & optimi Ducis boni ſatellites, Guncelinus atq; Bernhardus, quorum vnus Zuerin, alter Racesburg præerat: fecerunt & ipſi opus bonum, in funiculo partis ſuæ, bellantes prælia Domini, vt ſuſcitaretur cultus domus Dei noſtri in gente incredula & idololatra.

*Obotritorũ prouincia in ſolitudinẽ redacta.* *Slauorũ internecio.* *Adolfi ſepultura.* *Mathildis Vxor.* *Elogium.* *Guncelinus.* *Bernhardus.*

## CAPVT VI.

PRibizlauus ergo rebellionis autor, paternæ hæreditatis factus extorris, conſiſtebat apud Duces Pomeranorum Kazemarũ atq; Buggeſlauum, cœperuntq; reædificare Dimin. Inde frequenter exiens Pribizlauus per inſidias percutiebat fines Zuerin atq; Racesburg, & tulit captionem multam tam de hominibus quàm de iumentis. Cuius exitum obſeruantes Guncelinus atq; Bernhardus, pugnabant & ipſi de inſidijs, & commiſſa creberrima pugna, ſemper meliores inuenti ſunt, quouſq; perditis fortioribus viris & equis, Pribizlauus nihil iam poſſet moliri. Et dixerunt ad eum Kazemarus & Buggezlauus: ſi tibi placet habitare nobiſcũ, & vti diuerſorio noſtro, caue ne offendas oculos virorum Ducis, alioquin propellemus te de finibus noſtris. Iam dudum enim duxiſti nos, vbi † contriti ſumus contritione maxima, & perdidimus viros & vrbes meliores. Nec his contentus iteratam ſuper nos inducere vis Principis iram? Et cohibitus eſt Pribizlauus ab inſania ſua. Humiliatę ergo ſunt vires Slauorum, nec auſi ſunt mutire prę formidine Ducis. Et habuit Dux pacem cum Waldemaro, rege Danorum, & celebrauerunt colloquia ad Egdoram, ſiue Lubikę, pro commodis vtriuſq; terræ. Et dedit Rex Duci pecuniam magnam, eo quòd pacarentur termini eius per ipſum à vaſtatione Slauorum. Et cœperunt inhabitari omnes inſulæ maris, quæ ad regnum pertinent Danorum, eò quòd pirata defeciſſet, & confractæ ſint naues prædonum. Et inierunt pactum Rex & Dux, vt quaſcunq; gentes terra mariq; ſubiugaſſent, tributa ſocialiter partirentur. Et increuit Ducis poteſtas ſuper omnes, qui fuerunt ante eum, & factus eſt † Princeps principum terræ. Et conculcauit colla rebellium, & effregit munitiones eorum. Et perdidit viros deſertores, & fecit pacem in terra, & ædificauit munitiones firmiſſimas, & poſſedit hæreditatem multam nimis. Præter hæreditatem enim magnorum progenitorum, Lotharij Cæſaris, & coniugis eius Richenzen, multorumq; Ducum Bauariæ atq; Saxoniæ, acceſſerunt ei nihilominus multorum Principũ poſſeſſiones, vt fuit Heremãnus de † Winceburg, Sifridus de Hammenburg, Otto de Aſle, & alij quorum mentio excidit. Quid dicam de ampliſſima poteſtate Hartwici Archiepiſcopi, qui de antiqua ¶ Vdonum proſapia deſcendit. Nobile illud caſtrum Staden, cum omni attinentia ſua, cum Cometia vtriuſq; ripæ, & Cometia Thetmarſciæ viuente adhuc Epiſcopo obtinuit, quædam quidem hæreditario iu-

*Pribizlai exiliũ & excurſiones.* *Cazimirus & Bugiſlaus Pomerani.* *Guncelinus.* *Bernhardus.* *Pribizlaus coercitus.* † P. percuſſi ſumus attritione max. *Congreſſio Henrici L. & Waldemari Dani.* *Henrici L. potentia & ſucceſſus.* † D. Wittimburg. *Hermannus Winceburg.* *Sigefridus Hamburg.* *Otto de Aſle.* ¶ *Vdonũ familiã habet Crãcius Metropol. lib. 6. cap. 24.* *Comitatus Stadenſis et Ditmarſiæ.*

re,quædam beneficiali. Extenditq; manum in Fresiam,& admouit eis exercitum, & dederunt ei pro suimet redemptione,quod postulati fuissent.

## CAPVT VII.

*Inuidia gloria comes.* *Æmulatio.* *Conspiratio in Henricũ Leonem.* † P. Archiepisc. *Ludouicus Landgrafius Turing.* *Albertus Vrsus.* *Albertus Palatinus.* *Christianus Oldenburg.* *Reinoldus Archiepisc. Coloniensis.* *Aldeslebum obsessum.* *Brema ab Christiano Oldenburg. capta.*

SEd quia gloria parit inuidiam,& quia nil durabile in rebus humanis, tantam viri gloriam zelati sunt omnes principes Saxoniæ. Ille enim immensis diuitijs locuples,clarus victorijs,& propter geminum Bauariæ & Saxoniæ Principatum sublimis in gloria sua,omnibus Saxoniæ tam Principibus quàm nobilibus, importabilis visus est. Sed manus principum, formido Cæsaris continuit, ne concepta molimina transferrent in effectum. Postquam autem Cæsar quartam profectionẽ parauit in Italiam,& opportunitatem tempus adduxit, statim inueterata conspiratio processit in publicum, & facta est coniuratio valida omnium contra vnum. Fueruntq; inter eos primi, Wichmannus Magdeburgensis † Episcopus, Hermannus Hildensemensis Episcopus. Post hos fuerunt Principes ij: Ludowicus, prouincialis Comes Turingiæ, Adelbertus Marchio de Soltwedele,& filij eius, Otto Marchio de Camburg, & fratres eius, Adelbertus Palatinus Comes de Someresburg. Hos adiuuerunt nobiles ij, Otto de Asle, Wedekindus de Dasenburg, Christianus de Aldenburg,quæ est in Amerland. Super hos omnes,prępotens ille Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus,& Cancellarius Imperij,insidiatus est Duci, facie quidẽ absens & in Italia positus, sed totus consilio expugnationi Ducis intentus. Tunc Principes qui erant in orientali Saxonia, cum Turingorum principe Lodewico, obsederunt munitionem Ducis quæ vocatur Aldeslef, & fecerũt contra eam machinas multas. Porrò Christianus Comes de Amerland collecta Fresonum manu, occupauit Bremam, & omnes fines eius, & fecit motum magnum in occidentali regione. Videns ergo Dux,quia consurgunt vndiq; bella, cœpit communire ciuitates & castra, & ponere custodias militũ in locis opportunis. In tempore illo Cometiam Holsatiæ, Sturmariæ, atq; Wagiræ administrabat vidua Adolfi Comitis cum filio adhuc tenello. Propter consurgentes autem bellorũ motus posuit Dux puero tutorem qui præesset armis, Henricum Comitem Turingia natum, auunculum pueri, virum scilicet impatientem ocij, & totum armis deditum. Communicato quoq; fidelium suorum cõsilio, Pribizlauum, Principem Slauorum, quem multis, vt suprà dictum est, prælijs expulerat prouincia, admisit in gratiam, & reddidit ei omnem hæreditatem patris sui, terram scilicet Obotritorum, præter Zuerin & attinentia eius. Et fecit Pribizlauus Duci & amicis eius securitatem fidelitatis, nulla deinceps bellorum tempestate corrumpendam, stare scilicet ad mandatum ipsius,& obseruare oculos amicorum eius absq; omni offensione.

*Hẽricus Turingus tutor Adolfi III.* *Pribizlaus Obotritus in integrũ restitutus.*

## CAPVT VIII.

*Henrici L. in aduersarios expeditio.* *Christianus Oldenburg.* *Brema recuperata & mulctata.* *Christiani Oldenburg. mors.* *Hartwicus Archiepisc. declinat bellum.* *Solicitatur in partes.*

TVnc congregauit Dux exercitum grandem,& intrauit orientalem Saxoniã, vt pugnaret cum inimicis suis, in medio terræ ipsius. Et viderunt quia venit cum manu forti,& timuerunt occurrere illi. Et fecit plagam magnam in terra hostili, & vastauit eam incendijs & deprædationibus, & peruagatus est terram, vsq; ad muros Magdeburg. Deinde conuertit exercitum in occidentales partes, vt comprimeret tumultum Christiani Comitis,& improuisus venit Bremam, & cœpit eam. Tunc fugit Christianus Comes in abditas Fresię paludes. Et irrupit Dux Bremam & deprædatus est eam. Et transfugerunt ciues eius in paludes, eo quòd peccassent aduersus Ducẽ,& iurassent Christiano,& posuit eos Dux in proscriptionem, quousq; interuentu Archiepiscopi, mille & eo amplius Marcis argenti pacem indempti sunt. Christianus autẽ Comes post paucos dies mortuus est, & sopita sunt mala rebellionis, eius molimine suscepta. Grassantib. ergo vsquequaq; ciuilibus bellis, Hartwicus Archiepiscopus decreuerat apud se, declinare tumultum consurgentis belli,& sedit Hammenburg solitarius & quietus, structuris claustralibus, & cæteris Ecclesiæ suæ commodis intentus. Tunc Coloniensis Archiepiscopus cæteriq; Princi-

Principum mandauerunt ei per literas, vt reuocaret ad cor omnes pressuras, quibus attriuisset eum Dux: Nūc tandem venisse tempus, quo possit auxilio principū recuperare statum honoris sui, patere sibi vrbem Stathen, & ereptam Cometiam, si manus Principū adiuuerit. Hartwicus ergo Archiepiscopus multis experimentis edoctus fortunatum semper in prælijs ducem esse, ambiguam quoq; Principibus inesse fidem, & se huiusmodi sponsionibus sæpe delusum, fluctuare cœpit animo. Prouocabat † eum recuperandi honoris cupido, sed deterrebat eum sæpe cōperta mobilitas Principum. Hærebat interim superficies amicitiarum, & pax sonabat in verbis. Veruntamen castra sua Friborg & Horeborg communire cœpit Archiepiscopus, & congessit illic apparatum armorum & escarum quæ sufficerent in menses & annos.

*† D. quidē.*

*Munit propugnacula.*

## CAPVT IX.

Circa hos dies, Conradus Lubicensis Ecclesiæ episcopus, morabatur apud Archiepiscopum, & pendebat in ipso summa consilij. Et perlatum est ad Ducem, quia non sentiret ea quæ pacis sunt, sed quæ ad destructionem Ducis, & quia suggerit Archiepiscopo, vt transeat ad Principes, & rescindat amicitias quas pepigerat cum Duce. Volens ergo Dux rem certius nosse, vocauit eum ad colloquium Ertheneburg. At ille † declinans iram potentis, declinauit in Fresiam veluti fungens legatione Archiepiscopi. Quem demum redeuntem, Dux secundo vocauit. Conductu ergo Domini Archiepiscopi, & Domini Bernonis Magnipolitani, occurrit Duci apud Stathen, auditurus verbū eius. Et conuenit eum Dux super his, quæ ad ipsum perlata fuerant, qualiter scilicet verbis malis derogauerit honori suo, & dederit consiliū aduersus eum in malum. Affirmat Episcopus, se nihil horum recognoscere. Multis ergo verbis hinc & inde habitis, cupiens Dux conuulsas amicitias resarcire, & Episcopum iam olim sibi dilectum, tenacius colligere, cœpit ab eo familiariter exigere hominij debitū, quod sibi imperiali donatione permissum in superioribus ostensum est, in his videlicet Slauorum prouincijs, quas ipse iure belli, in clypeo suo & gladio possederat. Ad huius propositionis verbum, vir magnanimus resilijt, dicens: modicā esse stipem Ecclesiæ suæ, nunquam se huius intuitu libertatem suam occupaturum, aut cuiuslibet potestati submissurum. E conuerso proponit Dux omnino aut loco cedere, aut propositis parere. Cumq; fixus in sententia maneret Episcopus, præcepit Dux obcludi ei introitum Parochiæ suę, & omnes reditus Episcopales tolli. Post discessum ergo Ducis locutus est Archiepiscopus, ad Conradum Episcopum: Existimo, quòd non sit cautum vobis consistere apud nos, propter satellites Ducis, in quorum medio sumus. Quin potius cōsulite honori nostro & saluti vestræ, & transite ad Magdeburgensem Archiepiscopum, & principes, vt possitis euadere manus inimicorum vestrorum. Ego quoq; post paucos dies prosequar vos, & peregrinabor cum peregrinante. Et fecit iuxta consilium Archiepiscopi, & transijt ad Magdeburgensem Archiepiscopū, & mansit apud eum fermè duobus annis. Inde abiens in Franciam, visitauit Cisterciense Concilium, & reconciliatus est Alexandro Papæ per manus Papiensis Episcopi, qui fuit partiū Alexandri, & eiectus de sede sua, morabatur in Claraualle. Deditq; Pontifici in mandatis, vt prębita sibi facultate, aut ipse iret ad Alexandrum, aut Legatum dirigeret. His ita peractis, reuersus est Magdeburg, & inuenit ibi Hartwicum Hammenburgensem Archiepiscopum, nam & ipse loco cesserat, & manserunt apud Magdeburgensem Archiepiscopum diebus multis. Veruntamen milites Hartwici Archiepiscopi, qui erant in castris Horeborg & Friborg, faciebāt frequentes excursus, & faciebant incendia & prædas in possessionibus Ducis. Quamobrē Dux transmissa militia, occupauit Friborg & fregit munimenta eius, & adæquauit eam solo, & fecit tolli omnes reditus episcopales, non reliquit ex eis paruas reliquias. Soli qui erant in castro Horeborg, continuerunt se vsq; ad reditū Archiepiscopi, eo quòd locus esset munitus propter paludosas voragines. Feruebat autē seditionū sæua tempestas per omnem Saxoniam, contendentibus scilicet vniuersis Principibus aduersus Ducē. Et factæ sunt captiones militum, & demembratio-

*Cōradus Lubecēsis Hartuici flabellum.*

*Euocatur ab Henrico L. ad colloquium.*

*† D. malè suspicans ir.*

*Iubetur iurare in eius verba.*

*Mulctatur ob cōtumaciam.*

*Solum vertit.*

*Reconciliatur Alexandro III. Papa.*

*Hartuicus Archiepisc. exulat Magdeburgi.*

*Mulctatur ab Henrico L.*

*Horeberga.*

*Tumultus Saxon.*

*Goslaria.*

nes,& euersiones vrbium atq; domorum,& incendia ciuitatum. Et addita est Goslaria Principibus. Et pręcepit Dux custodiri vias, ne quis frumentũ induceret Goslariæ,& esurierunt valde.

## CAPVT X.

*Friderici Cæs. in Italia successus.*

* P.& abusus est Longobardia supra Reges qui fuerunt ante eũ diebus multis.

*Paschalis et Calixtus Antipapæ.*

*Romani Alexandri cõplices, victi ingenti strage à Germanis.*

*Genua capta.*

*Roma expugnata.*

IN diebus illis Fretbericus Imperator morabatur in Italia, & contritæ sunt rebelliones Longobardorum, à formidine virtutis eius,& effregit ciuitates multas populosas atq; munitas, *& conuertit faciem suam, vt iret Romam, ad fugandũ Alexandrum,& statuendum Calixtum. Paschalis enim breui tempore viuens, defunctus erat. Cæsar ergo obsidens Ianuam, quæ fuerat partiũ Alexandri, pręmisit Reinoldum Coloniensem, & Christianum Moguntinum, & partem exercitus iussit præire Romam. Et venerunt Tusculum, quæ non longè est à Roma. Quorum introitu cõperto, Romani exierunt cum immenso exercitu, pugnaturi propter Alexandrum,& egressus Reinoldus & Teutonicus miles, pugnauerunt pauci contra innumeros,& obtinuerunt Romanos,& percusserunt ex eis ad 12. millia,& persecuti sunt fugientes vsq; ad portas vrbis. Et corrupta est terra propter cadauera occisorum,& permanserunt mulieres Romanorum viduę in annos multos, eo quòd defecissent viri habitatores vrbis. Ipsa die qua hæc gesta sunt Romæ, pugnauit Cęsar cum Ianuanis,& obtinuit victoriam, compos effectus ciuitatis. Et assumpto exercitu, abijt Romam,& inuenit Reinoldum,& exercitum quem præmiserat lętantem de salute suimet,& de ruina Romanorum. Et admouit exercitum, vt caperet Romam, & oppugnauit domum Beati Petri, quia pręsidium Romanorũ illic erat, & iussit ignem portis immitti,& abegit Romanos à turribus per vaporem fumi. Et obtinuit templum, & repleuit ædem interfectis. Et intronizauit Calixtum in cathedram, & egit illic celebritatem beati Petri ad vincula. Admouitq; manũ Lateranensibus, vt destrueret eos, dederuntq; ei pro vita simul & ciuitate, quicquid postulati fuissent. Coacti vt comprehenderent Alexandrum, non præualuerunt, eo quòd noctu fugam inisset. Et accepit filios nobiliũ obsides, vt de cætero obedientes essent Calixto fide irreprehensa. Secuta est hos Cæsaris prosperos euentus repentina calamitas. Tanta enim pestilentia subitò Romam inuasit, vt infra paucos dies vniuersi penè interirent. Mense enim Augusto pestiferę nebulę in partibus illis consurgere dicuntur. Mortui sunt ea pestilentia Reinoldus Coloniensis, Hermannus Verdensis, qui erant Duces consilij: Præterea nobilissimus adolescens, filius Conradi regis, qui duxerat vnicam filiam Henrici Ducis nostri, insuper multi Episcopi, Principes & nobiles ipso tempore interierunt. Cæsar cum residuo exercitu reuersus est in Longobardiam. Illic positus, audiuit motũ, qui fuit in Saxonia, & missa legatione, frequentibus inducijs repressit surgentem seditionem, quousq; præteriret tempus, & ipse liberaretur ab expeditione Italica. In tempore dierũ illorum misit Henricus Dux Bauariæ & Saxoniæ legatos in Angliam,& adduxerũt filiam regis Angliæ cum argento & auro & diuitijs magnis, & accepit eam Dux in vxorem. Separatus enim fuerat à priore coniuge, domina Clementia, propter cognationis titulum. Habuit autem ex ea filiam, quam filio Conradi regis dedit in matrimonium, qui etiam modico superuixit tempore, præuentus immatura morte in expeditione Italica, vt suprà dictum est.

*Calixtus à Cæsare inauguratus.*

*Lateranenses mulctati.*

*Pestis Romæ in exercitu Cæsaris.*

*Reinoldi Colon. & Hermanni Verdensis mors.*

*Cæsar tumultum Saxon. compescere studet.*

*Henrici L. altera nuptiæ.*

*Diuortium cum prima coniuge.*

## CAPVT XI.

*Longobardorum rebellio.*

*Conuentus Bambergẽsis.*

*Henricus L. restitutus in integrũ.*

EMenso ergo post hęc non longo interuallo, videntes Longobardi quia corruissent columnæ regni, & defecisset robur exercitus, conspirauerunt vnanimiter aduersus Cæsarem, & voluerunt interficere eum. Ille præsentiens dolos, clàm recessit à Longobardis,& reuersus in Teutonicam terram, indixit curiã Bauenberg, vocatisq; vniuersis Principibus Saxoniæ coarguit eos de violatione pacis, dicens tumultum Saxoniæ dedisse Longobardis materiam defectionis. Multis itaq; dilationibus, multa prouidentia & consilio, dissensiones, quæ erant inter Ducẽ & Principes, ad conuentionem pacis inclinatæ sunt,& cesserunt omnia iuxta placitũ Ducis,& ereptus est à circumuentione Principum absq; omni suimet diminutione. Et

reuocatus

reuocatus eſt Dominus Hammenburgenſis Archiepiſcopus in ſedem ſuã, tactusq́; infirmitate infra paucos dies obijt, & extincta eſt morte illius vetus controuerſia, quæ fuit ſuper Cometia Stadenſi, & poſſedit eam Dux de cætero abſq; omni contradictione. Conradus quoq; Lubicenſis Epiſcopus interuentu Cęſaris, meruit redire in Parochiam ſuam, ea ſcilicet conditione, vt ſopita priori obſtinatione, exhiberet Duci quę iuſta ſunt. Potitusq́; reditu in gratia Ducis, mutatus eſt in virum alterum. Didicit enim in his, quæ ipſe paſſus eſt, compati fratribus ſuis, & de cætero proniorem eſſe in † humilitatis officio. Clerum nihilominus defenſauit à circumuentione Principum & potentum, præcipuè verò de manibus Henrici Comitis Turingi, qui nec Deum nec homines reuerens, aſpirabat ad bona ſacerdotũ. Cùm autem omnis bellorum motus, autore Deo, rediret in ſerenam pacis quietem, Wedekindus de Daſenburg recuſauit pacẽ, quam locuti ſunt Principes. Hic enim ab adoleſcentia ſua ad malum ſtrenuus, ſemper militiæ vſum in rapinas detorſerat. Sed ne malum poſſet, quod voluit, Ducis refrenatione acrius tenebatur. Captus enim aliquando, & in vincula cõiectus, fidem † dedit, vt de cætero temperaret à rapinis, & ſtaret ad mandatum Ducis ſyncero obſequio. Sed ille ingruente tempore belli, pollicitationis immemor in Ducem omnibus acrius deſæuit. Cęteris ergo ad pacem reductis, hunc ſingularem ferũ Dux obſedit in caſtro Daſenburg. Sed cùm omnem obſidionis & machinarum violentiam mons altior eluderet, miſit Dux, & vocauit viros induſtrios de Rammesberg, qui aggreſſi rem difficilem & inauditã, perfoderunt radices montis Daſenburg, & interiora montis colluſtrantes repererunt puteum, vnde caſtellani hauriebant aquam. Quo obturato, defecit aqua caſtellanis, & neceſſitate conſtrictus Wedekindus, dedidit ſe & caſtrum in poteſtatem Ducis, cæteri dimiſſi, diſperſi ſunt, vnuſquiſq; in terram ſuam.

*Hartuici Archiepiſ. mors.*
*Cõradus Lubecenſis reſtitutus, emendatur.*
† P. humanitatis.
*Hẽricus Turing.*
*Widekindus Daſenburg. eiusq́; maleficia.*
†P. dederat.
*Daſenburgũ opera foſſorũ metallicorum captum.*

## CAPVT XII.

IN tempore illo congregauit Waldemarus, Rex Danorum, exercitum grandem & naues multas, vt iret in terram Rugianorum, ad ſubiugandum eam ſibi. Et adiuuerunt eum Kazemarus & Buggezlauus Principes Pomeranorũ, & Pribizlauus Princeps Obotritorum, eo quòd mandaſſet Dux Slauis, ferre auxilium regi Danorum, vbicunq; forte manũ admouiſſet ſubiugandis exteris nationibus. Proſperatum eſt ergo opus in manibus regis Danorum, & obtinuit terram Rugianorum, in manu potenti, & dederunt ei pro ſui redemptione quicquid Rex impoſuiſſet. Et fecit produci ſimulacrum illud antiquiſſimum Zwanteuith, quod colebatur ab omni natione Slauorum, & iuſſit mitti funem in collum eius, & trahi per mediũ exercitum in oculis Slauorum, & fruſtatim conciſum in ignem mitti. Et deſtruxit fanum cum omni religione ſua, & ærarium locuples diripuit. Et præcepit, vt diſcederent ab erroribus ſuis, in quibus nati fuerant, & aſſumerent cultum veri Dei. Et dedit ſumptus in ædificia Eccleſiarum, & erectæ ſunt duodecim Eccleſiæ in terra Rugianorum, & conſtituti ſunt ſacerdotes, qui gererent populi curam in his quæ Dei ſunt. Et affuerunt illic Pontifices, Abſolon de Roſchilde, & Berno de Magnopoli. Hi adiuuerunt manus Regis cum omni diligentia, vt fundaretur cultus domus Dei noſtri in natione praua atq; peruerſa. Erat autem tunc temporis Princeps Rugianorum vir nobilis Iaremarus, qui audita vera Dei cultura & fide catholica, alacriter ad baptiſma cõuolauit, præcipiens etiã omnibus ſuis, ſecum ſacro baptiſmate renouari. Ipſe verò factus Chriſtianus, tam in fide firmus, tam in prędicatione erat ſtabilis, vt ſecundum Paulum iam à Chriſto vocatum videres, qui fungens vice Apoſtoli, gentem rudem & beluina rabie ſęuientem, partim prædicatione aſſidua, partim minis, ab innata ſibi feritate ad nouæ conuerſationis religionem conuertebat. De omni enim natione Slauorum, quę diuiditur in prouincias & principatus, ſola Rugianorum gens durior cæteris, in tenebris infidelitatis vſq; ad noſtra tempora perdurauit, omnibus inacceſſibilis, propter maris circumiacẽtia. Tenuis autem fama commemorat, Ludewicum, Karoli filium, olim terram Rugianorũ obtuliſſe B. Vito in Corbegia, eo quòd ipſe fundator extiterit cœnobij illius. Inde e-

*Expeditio Waldemari Dani in Rugianos.*
*Cazimirus & Bugiſlaus Pom.*
*Pribizlaus Obotritus.*
*Rugiani debellati.*
*Zuanteuit idolum.*
*Rugianis Chriſtianiſmus inductus.*
*Abſolon antiſtes Roſchild.*
*Berno Megalburg.*
*Iaremarus, princeps Rugianorum.*
*Feruor in Chriſtianiſmo propagando.*
*Ludouicus Pius.*
*Corbeia.*

gressi prædicatores, gentem Rugianorum siue Ranorum, ad fidem conuertisse feruntur, illicq; oratorium fundasse in honorem Viti martyris, cuius venerationi prouincia † consignata est. Postmodum verò, vbi Rani, qui & Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error peior priore: nam sanctum Vitum, quem nos seruum Dei confitemur, Rani pro Deo colere cœperunt, fingentes ei simulacrum maximum, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori. Adeo autem hæc superstitio apud Ranos inualuit, vt Zuanteuit Deus terræ Rugianorum inter omnia numina Slauorum primatum obtinuerit, clarior in victorijs, efficacior in responsis. Vnde etiã nostra adhuc ætate, non solùm Wagirensis terra, sed & omnes Slauorum prouinciæ, illuc tributa annuatim transmittebant, illum Deum Deorum esse profitentes. Rex apud eos modicæ æstimationis est, comparatione flaminis. Ille enim responsa perquirit, & euentus sortium explorat. Ille ad nutum sortium, & porrò rex & populus ad illius nutum pendent. Inter varia autem libamenta, sacerdos nonnunquam hominem Christianum † litare solebat: huiuscemodi cruore Deos omnino delectari iactitans. Accidit ante paucos annos, maximã institorum multitudinem eo conuenisse, piscationis gratia. In Nouembri enim flante vehementius vento, multum illic halec capitur, & patet mercatoribus liber accessus, si tamen antè Deo terræ legitima sua persoluerint. Affuit tunc fortè Godescalcus quidam sacerdos Domini de Bardewich, inuitatus vt in tanta populorum frequentia ageret ea quæ Dei sunt. Nec hoc latuit diu sacerdotem illum barbarũ, & accersitis rege & populo, nunciat irata vehementius numina, nec aliter placari posse nisi cruore sacerdotis, qui peregrinum inter eos sacrificium offerre præsumpsisset. Tunc barbara gens attonita, conuocat institorum cohortem, rogatq; sibi dari sacerdotem, vt offerat Deo suo placabilem hostiã. Renitentibus Christianis, centum marcas offerunt in munere. Sed cùm nihil proficerent, cœperunt intentare vim, & crastina bellum indicere. Tũc institores onustis iam de captura nauibus, nocte illa iter aggressi sunt, & secundis ventis vela credentes, tam se quàm sacerdotem atrocibus ademere periculis. Quamuis autem odium Christiani nominis & superstitionum fomes plus omnibus Slauis apud Ranos inualuerit, pollebant tamen multis naturalibus bonis. Erat enim apud eos hospitalitatis plenitudo, & parentibus debitũ exhibent honorem. Nec enim aliquis egenus aut mendicus apud eos repertus est. Statim enim vt aliquẽ inter eos aut debilem fecerit infirmitas, aut decrepitum ætas, hæredis curæ delegatur, plena humanitate fouendus. Hospitalitatis enim gratia, & parentum cura, primum apud Slauos virtutis locum obtinent. Cæterùm Rugianorum terra ferax frugum, piscium atque ferarum est. Vrbs terræ illius principalis dicitur Archona.

† P. insignita.

*Origo cultus idoli Zuanteuit.*

*Sacerdos regi prælatus.*

† D. libare.

*Hostia humana.*

*Godescalci, sacerdotis Christiani, periculum.*

*Rugianorũ hospitalitas καὶ ἀντιπελάργωσις.*

## CAPVT XIII.

Anno ergo incarnati verbi M. C. LXVIII. fundatum est opus nouæ plantationis in terra Rugianorum, & ædificatæ sunt Ecclesiæ, & præsentia sacerdotum illustratæ. Seruieruntq; Regi Danorum sub tributo, & accepit filios nobilium obsides, & abduxit eos secum in terram suam. Hæc autem acta sunt tempore, quo Saxones ciuilia bella gerebant. Postquam autem Dominus pacem reddidit, confestim Dux misit legatos ad regem Danorum, requirens obsides, & medietatem tributorum, quæ soluunt Rani, eo quòd laudatũ & iuramento firmatũ esset, vt quascunq; gentes Rex Danorũ expugnare voluisset, Dux ferret auxilium, & cum participatione laboris, fieret etiam particeps emolumenti. Cumq; renueret Rex, & nuncij redissent inacti, Dux ira permotus vocauit Principes Slauorum, & mandauit, vt vltionem facerent de Danis. Vocati sunt, & dixerunt assumus, & obaudierunt ei cum læticia. Qui misit illos, & amoti sunt vectes & ostia, quibus iampridem conclusum erat mare, & erumpebat vadens & inundans, & intentans exitiũ multis Danorum insulis & regionibus maritimis. Et instauratæ sunt prædonum naues, & occupauerunt in terra Danorum † insulas opulentas, & saturati sunt Slaui post diutinam inediam diuitijs Danorum, incrassati, inquam, sunt, impinguati sunt, dilatati

*Christianismus Rugianorum.*

*Henricus L. vrget fœderis tabulas cum Waldemaro.*

*Immittit Danis Slauos.*

† D. ciuitates.

latati sunt. Audiui à referentibus, quòd Mekelenburg die fori de captiuitate Danorum septingentæ numeratę sint animę, omnes venales, si sufficissent emptores. Porrò tanti excidij calamitatem ostenderant præsagia quędã. Sacerdos enim quidam in terra Danorum, quæ dicitur Alfse, assistens sacro altari, cùm subleuasset calicem, sumpturus hostiam, ecce visa est in calice species carnis & sanguinis. Ille de timore tandem resumpto spiritu, non audens sumere insolitæ visionis speciem, transijt ad Pontificem, ibi in conuentu Cleri calicem videndũ obtulit. Cùm multi dicerent, id factum diuinitus, ad confirmandam plebis fidem, Pontifex, altiori sensu, protestatus est, grauem Ecclesiæ imminere tribulationem, & sanguinẽ Christiani populi multum fundendum. Quoties enim sanguis martyrum effunditur, Christus denuò in membris suis crucifigitur. Nec prophetantis fefellere vaticinia. Vix enim prӕterierunt dies 14. & superueniens exercitus Slauorum, occupauit omnem terram illam, ecclesias subuertit, & populum captiuauit, omnem verò resistentem percussit in ore gladij. Diu ergo siluit rex Danorũ, dissimulans gentis suæ ruinas. Reges enim Danorum, segnes & discincti, & inter continuas epulas semper poti, vix aliquando sentiunt percussuras plagarum. Tandem veluti somno excitus rex Daniæ, congregauit exercitum, & percussit partem modicam Cyrcipanæ regionis. Filius quoq; regis ex concubina natus, Christophorus nomine, cum mille, vt aiunt, loricis, venit Aldenburg, quæ Danicè dicitur Brandenhuse, & percusserunt maritima illius. Ecclesiam verò, cui deseruiebat Bruno sacerdos, nõ lęserunt, nec attigerunt penitus bona sacerdotis. Recedentibus ergo Danis, Slaui è vestigio prosecuti sunt, & damna sua vltione decupla compensauerũt. Dania enim ex maxima parte in insulas dispertita est, quas ambit mare circumfluum, nec facilè caueri possunt insidię piratarum, eo quòd ibi sint promontoria latebris Slauorum aptissima, vnde clàm egredientes, percutiunt de insidijs incautos. Slaui enim clandestinis † insidijs maximè valent. Vnde etiam recenti adhuc ætate, latrocinalis hæc cõsuetudo, adeò apud eos inualuit, vt omissis penitus agriculturæ commodis, ad nauales excursus, expeditas semper intenderint manus, vnicam spem & diuitiarum summã in nauibus habentes sitam. Sed nec in construendis ædificijs operosi sunt, quin potius casas de virgultis contexunt, necessitati tantùm consulentes aduersus tempestates & pluuias. Quoties autem bellicus tumultus insonuerit, omnem annonam paleis excussam, aurum, atq; argentum, & preciosa quæq; fossis abdunt, vxores & paruulos munitionibus vel certè syluis contutant. Nec quicquam hostili patet direptioni, nisi tuguria tantùm, quorum amissionem facilimam iudicant. Danorum impugnationes pro nihilo ducunt, imò voluptuosum existimant manum cum eis conferere. Solus eis Dux est formidini, qui protriuit robur Slauorum super omnes Duces, qui fuerunt ante eum, plus multo quàm ille nominatus Otto, & misit frenum in maxillas eorum, & quo voluerit, declinat eos. Loquitur pacem, & obtemperant: mandat bellum, & dicunt assumus.

*Prodigiũ in pane mystico.*
*γνώμη Christiana.*
*Regum Daniæ inertia & crapula notata.*
*Waldemarus R. vastat Circipanam.*
*Christophorus nothus.*
*Aldenburg Danis Brandenhusa.*
*Slaui illatas iniurias vlciscũtur.*
† P. incursibus.
*Student piraticæ.*
*Negligunt ædificiorum exquisitas extructiones.*
*Mos in bellis.*
*Dani despecti.*
*Henricus Leo plenè Slauos edomat.*

## CAPVT XIIII.

REx ergo Danorum perspecta calamitate gentis suæ, vidit tandem quia bona est pax, & misit Legatos ad fortissimum Ducem, rogans præberi sibi locum familiaris colloquij ad Egdoram. Et venit Dux ad expetitum placiti locum in natiuitate sancti Ioannis Baptistæ. Et occurrit ei Rex Danorum, & exhibuit se pronum ad omnem voluntatem Ducis. Et recognouit ei medietatem tributorum & obsidum, quæ dederant Rani, & de ærario fani æquam portionem, & ad singula, quæ Dux iudicauit exigenda, deuotè paruit Rex. Et renouatæ sunt inter eos amicitiæ, & inhibiti sunt Slaui, ne de cætero impugnarent Daniam. Et facti sunt vultus Slauorum subtristes, propter confœderationem Principum. Et misit Dux nuncios suos cum nuncijs Regis in terram Ranorũ, & seruierunt ei sub tributo Rani. Et rogauit rex Danorũ Ducem, vt filiam suam, viduam Frethericí nobilissimi Principis de † Radenburg daret filio suo, qui iã designatus erat rex, in vxorẽ. Interuẽtu itaq;

*Colloquium Waldemari R. cum Henrico L. et reconciliatio.*
*Slauis ingrata pax.*
† P. Rodenburg.
*Affinitas Henrici L. cum Waldemara.*

Arcy
ntroeul i F.
ak nayprędzey
a tam nieprzyia-
ztaką rostropno-
go rozkazu, iż
parl, i przez
artylleryi dro-
ułatwił.
yiaciel zmocni-
i przemagaiącą
kował, ktory
ołudniu utrzy-
ym czasem też
Tarvis przeszła;
L. Baialich, ani je-
asu na pomoc nieprzy-
yiaciel około 4 godziny
kolomny przeciw prawe-
abionego iuż korpusu je-
ul uderzył, to z przemagaią-
kował, i przy ponowionem kil-
ttaku tak jenerał Gontroeul, iako
Wratislaw jenerał adiutant Ar-
a Karola ranionym, zostało na-

ry
oderznę w 180
zabrali. Woyska które p
trzymały spieszno w te strony ruszyły, i wszystkie po wyżey leżące wsie w masie powstały.

Jak tylko Arcy Xżę Karol przy armii w Fryolu stanęł, niewolno żadnemu podrożnemu przez Piawę się przeprawiać. Miasto Gorycya iest wstanie obrony postawione; domy przed wałami będą zwalone. — Arcy Xżę Karol oprocz Palma-Nuova i zamku Osopo w Weneckim, kazał wszystkie wąwozy, które do Karencyi i Krainu idą mocno woyskiem osadzić. Buonaparte obiechał także kordon ku Tyrolowi.

*Od Granic Włoskich d. 22. Marca.*

Ta sama rewolucya, która w Bergamo zaszła, stała się w Brescia; ale rzeczy nie tak spokoynie poszły iak tam. Część

lennictwa
do rzeczypospolitey Cyspadeńskiey przyłączone; mieszkańcy zostali za wolnych ogłoszeni i wysłano deputowanych do Modeny do uczynienia potrzebnych z tego złączenia w konstytucyi odmian. Listy z Genui mowią także, iż się tam co moment ambasadora Tureckiego, który będzie w Paryżu rezydował, spodziewaią.

Hrabia Alberghetto i biskup Bergamu byli naypierwszemi do rewolucyi w tym mieście. Pierwszy zachęcał lud w wielu razach; drugi zaś wykonawszy przysięgę z swoim duchowieństwem wydał list pasterski do całey dyecezyi, nakazuiąc plebanom posłuszeństwo dla nowey konstytucyi.

Z Ankony donoszą iż Francuzi znacz-

...zką; wszy-
stkie władze Weneckie ustały, wszystkie woyska są rozbroione i oddalone. Zrobiła się municypalność, przed ktorą więcey 8000 ludzi przysięgi wykonało. Przeszły rządca Wenecki dziś po południu z całą swoią familią ztąd wyiechał, i przed samem wyiazdem wydał ieszcze poniższą odezwę. Wszędzie się kokarda Francuzka uwiia. Jak słychać podobne odmiany miały w Weronie, Brescia i Crema nastąpić. Pomimo tak ważnego iednak zdarzenia panuie tu nie pomiarkowana cisza i porządek.

Oto iest wzmiankowana odezwa:

*Niech żyie Bergamska Rzeczpospolita!*

Przyrzekam Bergamskiemu ludow...
przyłożenia się wszystkiemi siłami, ab...

...nie
... pod kommen-
...nich pod żagle wyszła; właściwe iey przeznaczenie ieszcze nie iest wiadome. Do Liworną nazad 900 Francuzow przybyło, ale dla 5000 ludzi garnizonu gotuią tam żywność. — W Mantui kommenderuie teraz Francuzki ienerał Cervoni. — W Ankonie ienerał Buonaparte wiele żydow do municypalności wezwał. — Konie Neapolitańskiey iazdy, która w Weneckim stała zakupili Francuzi i regiment iazdy z nich uformowali. — Francuzi iuż wszystkich brańcow Papiezkich, między innemi i hrabiego Laderchi na wolność wypuścili. — W Bononii wydał Buonaparte rozkazy ktokolwiek by do broni zawołał i rozruchy chciał wszcząć, iż na galery skazany będzie.

...ktoray w...
wieszczenie:

Wybuchnie...
ktora konieczni...
sobą pociąga...
naywiększe z...
wiło. Przeię...
miłości do swe...
śliwość i obfito...
dziczne kraie...
o sposobach n...
koniec nieszczęśc...
lecz z żalem każde...
skuteczne widział, i pr...
wał nowe siły dla obro...
wiernych swoich podda...
przyiacielowi wystawiać...
każdem momencie o dobro...
i oszczędzaiąc drogiey iego ser...
żdego poddanego, nie przestaw...
Jmć i w ten czas pokoiu pragnąć...
J. C. Mci broń nayświetnieysze z...

magnorum Principum, consensit Dux, & misit filiam suam in regnum Danorum, & facta est lætitia magna omnibus populis borealium nationum, iocunditas & pax simul orta est. Et mutatum est gelidum illud frigus aquilonis, in lenes Austri flatus, & cessauit maris vexatio, & detumuerunt procellæ tempestatum. Et pacata est via transeuntibus à Dania in Slauiam*, & ambulauerunt mulieres & paruuli per eam, eo quòd submota sint offendicula, & defecerint prædones in via. Omnis enim Slauorum regio, incipiens ab Egdora (qui est limes regni Danorum) & extenditur inter mare Balticum & Albiam, per longissimos tractus vsq; ad Zuerin olim insidijs horrida, & penè deserta, nunc dante Deo tota redacta est velut in vnam Saxonum coloniam, & instruuntur illic ciuitates & oppida: multiplicantur Ecclesiæ, & numerus ministrorum Christi. Pribizlauus quoq; deposita diuturnæ rebellionis obstinatia, sciens quia non expedit sibi, calcitrare aduersus stimulum, sedit quietus & contentus funiculo portionis sibi permissę, & ędificauit vrbes Mekelenburg, Ilowe, & Rozstock, & collocauit in terminis eorum Slauorũ populos. Et quia Slauorum latrones inquietabant Teutonicos, qui habitabant Zuerin, & in terminis eius, Guncelinus præfectus castri, vir fortis & satelles Ducis, mandauit suis, vt quoscunque Slauorum inuenissent incedentes per auia, quibus non esset euidens ratio, captos statim suspendio necarent. Et cohibiti sunt vtcunque Slaui à furtis & à latrocinijs suis.

*D. & econuerso.

*Egdora fl. limes regni Danici.*

*Saxonũ in Slauis colonia.*

*Pribizlaus.*

*Megalburgum, Ilouia et Rostochiũ instaurata.*

*Guncelini edictum in prædones Slauos.*

## Hactenvs Helmoldvs.

DERELI-



# DERELICTORVM HELMOLDI SVPPLEMENTVM,

## AVCTORE ARNOLDO, ABBATE LVBECENSI.

*DOMINO ET PATRI PHILIPPO, Racesburgensis Ecclesiæ antistiti, Arnoldus, seruorum Dei vltimus, debitam in Christo reuerentiam.*



QVIA bonæ memoriæ Helmoldus Sacerdos historias de subactione seu vocatione Slauorum, & gesta Pontificum, quorum instantia ecclesiæ harum regionum inualuerunt, debito fine, vt voluit, non consummauit, Deo cooperante huic operi vel labori insistere decreuimus, vt tam piæ deuotionis cooperatores existentes, vestris suffulti orationibus, memoriam in benedictione sortiamur. Vnde rogamus prudentiam vestram, ne tenuitatem ingenij nostri, vel verborum rusticitatem attendatis, sed caritatis deuotionem, quæ confundi non meretur, pia consideratione aduertatis. Ille etenim vir sagacis ingenij, potens in verbis, notior in positionibus, facundo sermone diuitis venæ, seriem operis percurrit, nos autem de pingui Minerua distillantes velut impeditioris linguæ, & tardioris calami, cœpto operi reptando insistentes, humiliter procedamus, quia nec voce nec calamis æquiparamus magistrum. Veritatem ergo historiæ sequentes, adulationem, quæ plerisque scriptorum comes est, omnino damnamus, vt timorem ac gratiam excludentes fallacē, liberè quæ nobis comperta sunt, prosequamur.

*Helmoldus historiā suā nō absoluit.*

*Eiusdem elogium.*

Quo ergo † præcipiente, vel præsidente, harum Borealium regionum siue Ecclesiarum status inualuerit, vt in libro memorati sacerdotis Helmoldi contextum est, subsequenter annectamus. Et quia vsq; ad tempora Henrici, Ducis Saxoniæ atque Bauariæ, series decurrit, ipsum in fronte ponamus. Quia super omnes, qui ante ipsum fuerunt, duriciam Slauicam perdomuit, & non solùm ad tributa soluenda coegit, sed etiam erga veri Dei cultum, relictis superstitionibus idololatriæ, humiliatis ceruicibus promptissimos fecit. Pacem etiam maximam in omni terra Slauorum firmauit: & omnes prouinciæ aquilonares Wagirorum, Holzatorum, Polaborum, Obotritorum, ocio & quiete vacabant, & prohibita sunt furta & latrocinia terra mariq;, & fruebantur mercationibus & negociationibus mutuis, & habitabat vnusquisq; sub vite & ficu sua, præsidente in Racesburg reuerendissimo patre Euormodo Episcopo, in Lubeke verò Conrado Episcopo, viro illustri, in Zuerin quoq; Bernone, viro religioso, qui ecclesias nouellæ plantationis, quas Hēricus Dux memoratus instituit, Domino incrementum dante, doctrina plantare, & opere irrigare instantissimè satagebant.

*† P. principante.*

*Slaui ab Hērico L. pacati.*

*Euermodus, antistes Racesburg.*

## CAPVT II.

COnfirmata ergo pace in terra Slauorum, vt dictum est, magis ac magis inualescebat potentia Ducis, super omnes inhabitantes terram, & sopita sunt bella ciuilia, mediante maiestate Imperatoria, quę erant inter ipsum & Principes Orientales. Pribizlauus verò, frater Wertislaui, ex inimico factus est Duci amicissimus, sciens quòd nil præualerent aduersus eum suscepta molimina, considerans etiam

*Pax ex edicto Cæsaris.*

*Pribizlaus ex hoste Henrici L. amicus.*

*Henricus L. religionibus inductus cogitat Hierosolymam. Committit sua Wichmāno Magdeburg. Legit itineris comites. Pribizlaus. Guncelinus. Sigefridus Blanceburg. Ecbertus de Wolfenbuttel. Mathildis Britanna, Henrici L. vxor. Eius elogium. Liberi. Henricus de Lunenburg. Ecbertus Wolfebutelus à fide discedit.*

viri magnificentiam, & quocunq; se vertebat in omnibus fortuna fauente præualebat. Dux itaq; tanta potitus quiete, tantisq; fluctuationum emensis periculis, tāquam portum salutis commodum duxit, pro peccatis suis sanctum visere sepulcrū, vt adoraret Dominum in loco vbi steterunt pedes eius. Ordinatis ergo rebus suis, de profectione Hierosolymitana acrius cogitare cœpit, & terræ suæ tutelā Wichmanno Archiepiscopo Magdeburgensi consignans, nobiliores terræ itineris sui socios fecit, Conradum scilicet Episcopum Lubicensem, Henricum Abbatem de Brunswich, Bertoldum Abbatem de Lunenburg, & memoratum Pribizlauum regulum Obotritorum, & Guncelinum Comitem de Zuerin, & Sifridum Comitem de Blanckenburg, & alios quàm plures, tam de viris suis liberis, quàm de ministerialibus. Et non remansit quisquam maiorum, excepto Ecberto de Wolfelebotele, quem constituit Dux super familiam suam, maximè tamen deputatus est in ministerium Dominæ Ducissæ Mechtildis, religiosissimæ fœminæ, cuius memoria & apud Deum nota est & apud homines, filiæ Regis Anglorum. Quæ lineam generositatis suæ, quam ex longa regalium parentum prosapia traxit, pijs operibus extulit, & caritatis insistens effectibus, religionis decore venustauit. Erat enim summæ pietatis, circa afflictos miræ compassionis, eleemosynarum larga erogatrix, & orationibus dedita: Missarum, quas plurimas decantari fecit, deuotissima frequentatrix. Fidem quoq; coniugij illibatam custodiens, thorum conseruabat immaculatum. Manebat autem in Brunswich, omni tempore quo Dux peregrinatus est, quia tunc prægnans erat, edidítq; filiam nomine Rikezen: filios etiam ex eo post reditum suscepit, Henricum, Luderum, Ottonem, Willehelmum, quos sicut de sancto Thobia legitur, ab infantia Deum timere docuit. Ministrabant ei Henricus de Luneburg, & Ecbertus memoratus, eo quòd ipse fidelis & inclytus haberetur in omni domo Ducis. Sed res aliter cesserūt. Ipse enim dedit maculam in gloriam suam, & notam perfidiæ incurrit. Vnde grauiter multatus est. Sed ista nunc omittamus, quia ad alia festinamus.

## CAPVT III.

*Henricus L. ingreditur iter Hierosolymitanum. Fridericus Marchio Sudbach. Marchio Stiriæ. Henricus Austrius. Gertrudis, Henrici L. mater. Vienna, Austriæ metropolis. Wormaciensis antistes, Cæsaris legatus. Manuel Imper. Byzāt. Mesenburg. Florētius, legatus regis Vng. Strigoniū.*

DVx autem cum magna gloria profectus est de Brunswich post octauam Epiphaniæ, & venit cum omni comitatu suo Ratisbonam, ibíq; solenniter egit diem purificationis cum optimatibus terræ. Quorum etiam nobiliores peregrinationis suæ socios fecit, Marchionem videlicet Frethericum de Sudhbach, & Marchionem de Stire, & ita processit in regnum Orientale, ad vitricum suum nobilem Ducem Henricū. Qui totus festinus occurrit ei in castro Nuenburg, cum maximo Cleri plebisq; tripudio, vbi mater eius Domina Gertrudis, memorabilem sortita est sepulturam. Inde honorificè deduxit eum in ciuitatem metropolitanā Wenæ, vbi comparatis nauibus, frumento, & vino, cæterisq; necessarijs copiosè onustatis, Dux cum suis nauale iter per deuexa Danubij arripuit: serui tamē cum equis via terrestri perrexerunt, vespertino tempore semper venientes ad locum determinatum, vbi naues applicuissent. Nec prætereundum, quòd Dominus Wormaciensis huic itineri se sociauit, nō peregrinationis gratia, sed legatione functus Imperatoris, ad regem Græcorum Manuelem pro filia ipsius filio suo in matrimonio socianda. Verius tamen ob commodum Ducis factum creditur, vt tam familiari legatione accepta, benignè Ducem Rex Græcorum susciperet, & benignius per terram suam ducatum ei præberet. Dux etiam Orientalis Austriæ instaurata classe, prosecutus est Ducem Saxoniæ, ducatum ei præbens, & necessaria hospitalitatis abundantissimè administrans. Cum magna ergo commoditate ad ciuitatem, quæ Mesenburg dicitur, peruenerunt, quæ sita est in confinio terræ Vngariæ, vbi Legatus Regis Vngarorum, Florentius dictus, paratus fuit ad excipiendum Ducem Saxoniæ vnà cum Duce Orientalis Austriæ, cuius sororem Rex habebat, & ita procedentes cum summa tranquillitate, applicuerunt ad vrbem quandam, quæ naturaliter est munitissima. Nam ex vno latere cingitur Danubio, ex alio, alueo profundissimo, qui Grane dicitur, à quo arx & ciuitas, quæ in altera

altera ripa sita est, nomen accepit. Grauis autem mœstitia Ducem illic perculit. Nam ipsa nocte, rex veneno interijt, appotiatus, vt dicitur, à fratre suo, quem de terra eiecerat. Vnde graui afflictione constricti, ignorabant quid facerent. Dux enim Saxoniæ, grauiter cum suis angebatur, quòd in peregrinatione constitutus, tutò vlterius progredi non posset, quia morte Regis quasi præfocatus, ducem viæ habere non poterat. Nec minus alter affligebatur de tam subito Regis interitu, eo quòd intestatus obijsset, & sororem suam, viduam, prægnantem tamen, quasi exortem regni, sine hærede reliquisset. Consilio autem habito, missi sunt ad Archiepiscopum, qui tunc in ciuitate constitutus erat, regij funeris exequijs occupatus, Conradus Episcopus, Henricus Abbas, Bertoldus Abbas, vt ipsius ordinatione Dux Saxoniæ ducem itineris habere posset. Qui beneuolum se huic negocio exhibuit, & conuocatis Principibus tandem ordinatum est, vt Florentius suprà memoratus, cum Duce procederet, via qua cœperat.

*Rex Vngariæ veneno à fratre necatus.*

*Henrici L. & Austrii angor.*

*Archiepis. Strigoniensis.*

## CAPVT IIII.

DImissus ergo Dux & sui, prosperè nauigabant per aliquot dies, & inciderunt periculum, quod vulgariter Schere dicitur, quia ibi scopuli immanissimi ad instar montium prominentes, quorum vni castellum impositum est, interceptis aquis meandi facultate subtracta, difficilimum illic nauigantibus transitum fecerunt: aquæ enim in arctum collectæ, primò quidem consurgentes intumescunt, & postea magno fragore in præceps cadunt. Omnes tamen naues, nutu Dei, illic illęsæ transierunt, sed solus Dux ibidem naufragium pertulit. Quod videntes ij, qui in castello erant, nauicula arrepta, eum ad terrã traxerunt. Guncelinus verò, & Iordanes Dapifer, cum alijs, natando euaserunt. Restaurata ergo naue, peruenerunt Brandiz, vrbem Regis Græcorum, vbi deficientibus aquis, naues in sicco steterũt. Ibi enim Danubius subterraneo meatu absorptus, in amnem paruissimum deriuatur, & post longa terrarum spacia, turgentibus fluctibus ebulliens, in Sowam protrahitur. Relictis ergo nauibus, terrestrem viam ingressi, intrauerunt nemus illud maximum & notissimum, quod Bulgerewalth dicitur, vbi multum laborauerunt, tam ipsi quàm equi eorum, trahentes in plaustris & carrucis copiam victualium. Cumq; creberrimè plaustra contererentur, & omnes nimio labore deficerent, in reficiendis & subleuandis curribus, & processum nullum haberent, eo quòd dictũ fuisset, vt vna carruca confracta, omnes consisterent, donec ea refecta omnes procederent, animaduertens Dux, quòd ob tædiũ tanti laboris nimiam facerent moram progrediendi, præcepit vt relictis plaustris victualia iumentis imponerent, & sic abirent. Videres ergo immensos aceruos farinæ purissimæ proiectos, vasa vinaria plurima, & vino plena relicta, & quicquid accuratius sibi quisq; præparauerat diuersis condimentis. Procedentes ergo, appropiabant vrbi, quæ Rauenellæ dicitur, quæ in medio nemoris sita est, cuius habitatores Serui dicuntur, filij Belial, sine iugo Dei, illecebris carnis & gulæ dediti, & secundum nomen suum immundicijs omnibus seruientes, & iuxta locorum qualitatem bellualiter viuendo, bestijs etiam agrestiores. Subiecti tamen noscuntur Regi Græcorum, cuius Legatus Ducem præueniens, qui tunc cum ipso erat, præcepit, vt Ducem in castro honorificè susciperent, & vt deceret Regis magnificentiam, in omnibus ei honestissimè deseruirent. Qui eius monita siue pręcepta contemnentes, dimiserunt eum vacuum, ac sine honore abiecerunt. Qui reuersus ad Ducem, nunciauit ei quod audierat. Et venit Dux cum suis prope vrbem, & ibi castra metatus est. Et iterum misso nuncio, mandat se pacificè venire, rogans vt conductorem ab eis accipiat: & sic in pace discedat. Cumque hoc sæpius attentatum fuisset, & nihil profecissent, Dux ait ad suos: Iustum quidem est, vt in peregrinatione positi, cum omni pace & mansuetudine incedamus, & ideo cum signis bellicis ad vrbem Regis, ad quam tendimus, procedere non debuimus: Sed quia isti filij Belial quæ pacis sunt non sectantes, bellum nobis intentare videntur, leuate signa, & procedamus. Deus patrum nostrorum nobiscum sit, pro cuius nomine peregrinamur, & eius præcepta secuti domos & fratres, vxores & filios, & agros reliquimus.

*Cataracta Schere.*

*Henrici L. naufragiũ.*

*Guncelinus. Iordanes.*

*Fabula.*

*Sauus.*

*Bulgeruualdt.*

*Necessitas.*

*Rauenella.*

*Seruii, eorumq; barbaries.*

*Contumacia.*

*Necessitas Henricũ L. armat.*

His viribus vtendum eſt,pugnemus fortiter,quicquid ipſi placuerit,fiat, quia ſiue viuimus ſiue morimur,Domini ſumus.His dictis leuantes ſigna profecti,pręterierunt vrbem,nec longè caſtra metati ſunt,in valle longiſſima, ſuper riuum perlucidum, habentes à dextra, montana, à ſiniſtris verò rubum ſpinarum denſiſſimum. Hoc ergo muniti præſidio,accenderunt ignes maximos, & ordinatis excubijs per *Seruiorũ nocturna impreſſio.* caſtra, curam corporis habuerunt,& dormitum eſt. Cùm ecce media nocte Serui in vnũ ex omni nemore conglobati, fecerunt quatuor turmas, & per vices in quatuor partibus vlulantes, inualeſcebant maximis vociferationibus ſperantes ſe ſic terrere exercitum Ducis,vt fugientes bona ſua proijcerent,& ipſi prædã raperent. *Henricus Marſchalcus.* Dux autem conſurgens cum ſuis ad arma conuolabat,& circuibat Henricus Marſchalcus, cogens milites omnes ad vexillum Ducis conuenire. Serui etiam ex vna parte ſub cuſtodia equos ſeruabant, quibus mandatum erat, vt ſi priores inſultus hoſtium excepiſſent, ſine mora militibus nunciarent, vt præſidio eis fierent. Fuit *Seruiorum copia.* autem numerus virorum educentium gladium, ducenta millia. Cumq́;, vt dictum eſt, milites omnes ad Ducem venirent, aſcenderunt ad eum etiam, Conradus Epiſcopus,& Abbates,Henricus & Bertoldus, & ſedebant iuxta Ducem. Duce au- *Guncelinus.* tem ſedente in armis, accenſus eſt clibanus ingens, & ſtabat ante eum Guncelinus Comes,& quiq; robuſtiores,mutuis ſe cohortationibus cõfortantes, & ſubitò prodijt ſagitta, & cecidit prope eos. Vnde exterriti, celerius arma corripiunt. Subitò *Epiſc. Wormacienſis.* autem venit, qui diceret, caſtra Domini Wormacienſis ab hoſtibus occupata, & *Seruiorũ ſagittæ venenatæ.* militem vnum mortuum, ſagitta percuſſum, & ſeruos duos, quorum alter vſque ad medium diem ſuperuixit, & mortuus eſt. Tela enim habent toxicata, & quicquid vulnerauerint, mortem euadere non poteſt. Audito ergo tam triſti nuncio, ſubitò miſſi ſunt ad caſtra Epiſcopi, viginti milites loricati, qui venientes, hoſtes fortiter cædendo premebant, & vnus baliſta feriens, nutu Dei è regione percuſſit *Fuga à Ducis cæde.* Ducem illorum,& transfodit eum. Illo cadente, alij fugam inierunt, & non adiecerunt vlterius impetere caſtra Ducis. Facto autem mane, orta eſt nebula denſiſſima,& præcepit Dux, ne caſtra mouerent, donec deficeret nebula. Cùm verò ſol incaluiſſet, profecti ſunt,& viderunt eminus hoſtes tota die inſidiantes, ſi aliquem *Nicea Raſcia.* ex eis rapere potuiſſent,& ſic illæſi tranſito nemore, tenuerunt ciuitatem Niceam. *Adrianopolis.* Vbi Dux honorificè ſuſceptus eſt,& lautiſſimè miniſtratum eſt ei, & omnibus ſuis, de impenſa regia. Inde ductus eſt Andernopolim, deinde Vinopolim,& ita pro- *Phinopolis, fortè Philippopolis.* fecti in paraſceue venerunt prope Conſtantinopolim. Ibiq́; celebrantes Dominicam paſſionem, & ſabbatum ſanctum, mane in die ſanctæ reſurrectionis, peractis *Conſtantinopolis.* ſolenniter myſterijs, & prandio facto, aſcenderunt curiam regis. Præmiſerat autẽ *Munera Germanica.* Dux munera multa & optima, iuxta morem terrę noſtrę, equos pulcherrimos ſellatos & veſtitos, loricas, gladios, veſtes de Scharlatto,& veſtes lineas tenuiſſimas.

## CAPVT V.

*Henricus L. ſplendidiſſimè Conſtantinopoli exceptus.* Rex ergo indutus ornatu regio, cum ſummis Pontificibus & Principibus & optimatibus, præſtolabatur aduentum Ducis. Erat autem in eodem loco curia venationis latiſſima & planiſſima, murata, & ad oſtendendam gloriam diuitiarum ſuarum, pręceperat Rex Principibus & optimatibus ſuis, vt omnes ſolenniter huic intereſſent lætitiæ. Videres ergo illic tentoria innumera erecta, byſſina, purpurea, cum capitibus aureis, & pro vniuſcuiuſq; magnificentia, vario decore ornata. Veniens ergo Dux, glorioſè ſuſceptus eſt,& quia proceſſionis ſolennitas inſtabat, procedebat Rex cum Duce. Erat autem ſtrata ſemita quædam tota purpurea, deſuper tecta aurifrigijs,& ornata aureis lampadibus & coronis. Hãc incedebat ſtatio Clericorum & pontificum, proſequente rege cum Duce, & militibus tantùm peregrinis. Et ita procedebant ad tentorium aureum, quod totum incanduit gemmis & lapidibus precioſis. Inde per eandem viam reuerſi ſunt ad Eccleſiam, & collocatus *A Wormacienſi mota diſputatio de proceſſione S. S.* eſt Rex in excelſo throno ſuo, & Dux in alio, iuxta eum, & miſſarum ſolennia celebrabantur. Igitur poſt meridiem cùm Rex cum Duce lętior eſſet, mouit quęſtionem Dominus Wormacienſis vnà cum Lubicenſe, cum literatioribus Græcorũ, de pro-

de processione Spiritus sancti. Dicunt enim Graeci, Spiritum sanctum procedere tantùm à patre & non à filio, verbis Domini nimis adhaerentes, qui de processione Spiritus sancti loquens, ait: Cùm venerit Paracletus, qui à patre procedit, &c. Opponentibus autem nostris, Quia Spiritus sanctus procedit à filio sicut à patre, quia Spiritus sanctus est patris & filij, & cùm Spiritus sancti gratia datur hominibus, profectò mittitur & à filio, procedit à patre, procedit & à filio: Quia eius missio, ipsa processio est. Graecis verò adhuc contradicentibus, quasi plenis autoritatibus nōdum essent conclusi, Abbas Henricus, vir literatissimus & facundissimus, modestè inchoans: Nunc erratis, inquit, ô catholici & religiosi viri, dicentes Spiritum sanctum tantùm à patre procedere, & non à filio, quia planè procedit à filio sicut à patre, Quod negare haereticorum est. Quòd enim de vtroq; procedat, diuinorū eloquiorum testimonijs comprobatur. Dicit enim Apostolus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra. Ecce hîc dicitur Spiritus filij. Et ibi. Qui aūt Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipse etiam filius de Spiritu sancto in Euangelio ait: Quem ego mittam vobis à patre. Patris autem Spiritus dictus est, vbi legitur, Spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis. Et ipse Christus dicit: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et alio loco: Quem mittet pater in nomine meo. His & alijs autoritatibus ostēditur, quod Spiritus sanctus procedit à patre & filio. Ad illud autem, quod de Euangelio opponitis, qui à patre procedit, ita respondemus, quia cùm dicat in eo Veritas, Spiritum sanctum à patre procedere, non addidit Solo, & ideo etiam à se procedere non negat, sed ideo patrem tantùm nominat, quod ad eum etiam solet referre, quod ipsius est, quia ex illo habet. Vestri etiam Doctores, vnam eandemq; sententiam esse intelligentes, qua Spiritus sanctus dicitur procedere à patre & filio, & esse Spiritū filij sicut patris, professi sunt Spiritum sanctum procedere à filio sicut à patre. Vnde Athanasius in symbolo fidei: Spiritus sanctus a patre & filio, nō factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Ecce Spiritum sanctum à patre dicit procedere & à filio. Item Ioannes Chrysostomus in Homilia quadam sic ait: Iste est procedens à patre & filio, qui diuidit dona propria prout vult. Item Cyrillus Episcopus, Spiritus, inquit, sanctus, intelligitur per se, secundum quod Spiritus est, & non filius, sed tamen non est alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur, & profluit ab eo, sicut à Deo patre. Ecce etiam à vestris doctoribus aperta habetis testimonia, quibus Spiritus sanctus à patre & filio procedere ostenditur. Omnis ergo lingua confiteatur Spiritum sanctum procedere à patre & filio. His alijsq; autoritatibus, maximè suis, non valebant contradicere Magistri Graecorum, concedentes Spiritum sanctum procedere à patre & filio. Et magnificatus est Abbas Henricus in conspectu Regis, & Pontificum, collaudantes doctrinam eius, & fidem nō modicam adhibentes verbis illius. Regina autem donauit Duci Samittos plurimos, ita vt omnes milites suos vestiret Samittis, quibus addidit Regina cuilibet militi pelles varias, & pelliculam Zobilinam.

*Graecorum dogma.*

*Latinorum sententia vera.*

*Argumenta.*

*Graeci erroris conuicti.*

*Hēricus Abbas in honore habitus.*

*Munera Augusta.*

## CAPVT VI.

POrrò rex dedit ei nauem firmissimam, necessarijs omnibus copiosè ditatam, & ingrediens Dux cum suis, nauigare coepit. Et factus est motus magnus in mari, ita vt prae nimia tempestate omnes mortem sibi proximam formidarent. Erat autem ibi quidam bonae conuersationis, qui ob imminens periculum grauiter anxiebatur, & inter ipsas mentis & pelagi fluctuationes, repentè somno depressus, vidit astantem sibi virginem pulcherrimam, quae dixit ad eum: Times maris periculum? Et ille, Domina, inquit, clarissima tenent nos angustiae, & nisi Deus coeli respexerit nos, quantocyus peribimus. Et illa, Confide, inquit, non peribitis, sed propter orationes cuiusdam, qui in hac naui me inuocare non cessat, ab instanti periculo liberi eritis. Quod de quo dictum fuerit, quamuis expressum non sit, tamen qui viderat, de Henrico Abbate dictum sibi affirmabat, quia qui in Spiritu Dei videt, pauca quidem audit, sed plura intelligit. Nec fefellit visio. Deniq; facto die inualesce-

*Tempestas.*

*Somniū superstitiosum.*

*Periculum cataractarum.* † *P. maximum.*

bant procellæ, & nauis in medio mari iactabatur fluctibus. Et inciderunt periculum † marinum, vt superius in Danubio, quod dicitur Skere, & timuerunt nautæ vehementer. Erant autem ibi petræ acutissimæ à dextris & à sinistris, & nauis in medio. Cumq; nimis turbarentur, aspexerunt nautæ lapides patentes quasi ostiū, & direxerunt velum contra ipsum, & ecce cecidit spiritus procellæ, & siluerunt fluctus eius: & subitò nauis illæsa pertransijt, & laudauerunt Dominum, qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.

## CAPVT VII.

† *P. vel Accon.* ¶ *Ace est, quæ alio nomine Ptolemaïs.* *Templarii. Hospitalarii.* *Henricus L. Hierosolymam ingressus.* *Eius munificentia in templum et equites sacros.* *Henricus Abbas.*

DVx igitur applicans ad Accaron † magnificè susceptus est ab Accaronitis, & ascensis equis, rabitis, mulis, quidam etiam asinis, processerunt ad vrbem Hierosolymitanam, & occurrerunt eis Templarij & Hospitalarij, cum grandi comitatu, & honestissimè excipientes Ducem, duxerunt in sanctam ciuitatem, & susceptus est à Clero cum hymnis & laudibus Dei. Obtulit autem Dux ad sanctum sepulcrum pecuniam multam, & Basilicam, in qua lignum Domini repositum est, ornauit musiuo opere, & ostia eiusdem Basilicæ vestiuit argento purissimo. Deputauit etiam reditus annuos ad cereos comparandos, iugiter ad sanctum sepulcrum arsuros. Templarijs quoque & Hospitalarijs dedit dona & arma plurima, & mille Marcas argenti, ad comparanda prædia, quibus tirones teneantur tempore belli. Rex autem in domo propria fecit ei cum suis conuiuium per triduum. Visitatis ergo omnibus locis sanctis, in Iosaphat, in monte Olieti, in Bethlehem, in Nazareth, abijt ad Iordanem, deducentibus eum Templarijs, & inde ascendit Quaretenam. Illic etiam Henricus Abbas cum difficultate magna ascendit, quia corpore exhaustus erat, celebrans ibi diuina, quæ etiam ad omnia illa sancta loca deuotissimè celebrauit ob memoriam Domini nostri Iesu Christi, quam corporaliter ibi exhibuerat, & gloriosæ genitricis eius, cui etiam in omni peregrinatione illa, cilicio indutus, deuotissimus extitit, in abstinentijs, in orationibus, primo semper diluculo antequàm castra mouerentur, completis matutinorum vigilijs, cum pleno officio missarum ei solennia celebrans, & hostiam salutarem tam pro se quàm pro omni exercitu illo peregrino incessanter offerens.

## CAPVT VIII.

*Patriarcha Hierosolymitanus.* * *P. vel Accon.* *Henricus L. Antiochiā petit.* *Conradi Lubecēsis morbus & mors.* *Tyrus hodie Surs.* *Guncelinus.* *Bertoldi mors.* *Henricus Abbas.*

DVx autem regressus est Hierosolymam, & detinuit eum illic Dominus Patriarcha duobus diebus. Inde reuersus in Accaron *, & ita valedicens omnibus, etiam suis, Conrado videlicet Episcopo, & Bertoldo Abbati, profectus est Antiochiam, prosequentibus eum Templarijs, cum turba multa. Conradus autem Episcopus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Cùm autem Dux abijsset, Dominus Episcopus molestè ferens eius discessum, habens etiam quædam negotia ei insinuanda, cum Abbate Bertoldo Barcham ingrediens nauigio eum insequitur. Crescente autem corporis molestia, cùm iam applicarent ad ciuitatem quæ Surs dicitur, vel Tyrus, spiritum reddidit. Cuius corpus in ciuitatem perlatum honestissimè terræ reconditum est, agente id Guncelino Comite, & alijs amicorum Ducis, qui præsentes fuerunt. Bertoldus autem Abbas rediens Accaron, post triduum & ipse vitam finijt. Dux autem hoc audito, grauiter contristatus est, Henricus verò Abbas cum duce perrexit via qua cœperat.

## CAPVT IX.

*Milo Sarracenus.*

IGitur Dux missis Legatis ad Milonem Sarracenum, rogauit vt per terram suam ducatum ei præberet. Qui missis ad eum viginti viris de nobilioribus suis, mandat se paratissimum esse, cum honore & summa pace per terram suam illum deducere. Quod comperiens Dux in dolo factum, noluit per terrā suam transire. Princeps verò Antiochiæ, qui eum honestè tractauerat, naues ei prouidit, quas ingressus cum

ſus cum equis,& omnibus quæ habebat,ad ciuitatem,quæ dicitur portus Symeonis,expanſis velis nocte & die eundo partem quandam terræ illius prçterijt.Cúmque ad ciuitatem quandã applicuiſſet, quæ dicitur Torſult, Sarracenicè verò Tortum (quam poſtea idem Milo expugnans ſibi ſubiugauit in vltionem quòd peregrini ibi prætetlapſi fuiſſent) Soldanus, Princeps Turcorum,miſit ei quingentos milites, qui eum per terram Milonis deducerent cum omnibus quæ ipſius erant. Profecti autem per triduum, tranſierunt per terram deſertam & inuiam, & inaquoſam, terram horroris & vaſtæ ſolitudinis, quæ Rumenia deſerta dicitur, vbi multum laborauerunt, portantes in equis omnia neceſſaria, etiam aquam quam biberent tam ipſi quàm iumenta ipſorum. Et ita peruenerunt ad ciuitatem quæ iuxta linguam Turcorum dicitur Rakilei, in noſtra lingua Eraclia, quam princeps Hieroſolymitanus Eraclius olim tenebat, qui occidit Coſdroe, qui Hieroſolymam ceperat, & lignum Domini in captiuitatem aſportauerat. Dux illuc perueniens, magnificè ſuſceptus eſt à Turcis, & inde deductus eſt Axarat, vbi occurrit ei Soldanus lætiſſimus, amplexatus & deoſculatus eum, dicens eum conſanguineum ſuum eſſe. Cumq; Dux perquireret affinitatem conſanguinitatis, ille reſpondit: Quædam nobilis matrona de terra Teutonicorum, nupſit Regi Ruthenorum, qui genuit ex ea filiam, cuius filia deuenit in terram noſtram: de qua ego deſcendi. Benedicebat autem Soldanus Deum cœli, quia Dux Milonem euaſerat, dicens eum infidelem, & traditorem, & ſi in terram eius deueniſſet, profectò eum rebus vel etiam vita ſpoliaſſet. Dedit autem ei dona plurima, mantellum & tunicam de optimo ſerico, qui propter operis excellentiam fecit inde Caſulam & Dalmaticã. Poſt hæc adducti ſunt ei equi mille octingenti, vt eligeret quos vellet. Dixit ergo Dux militibus ſuis, vt quiſq; acciperet ſibi equum quem voluiſſet. Inde adducti ſunt caballi fortiſſimi triginta cum frenis argenteis & ſellis optimis, de pallio & ebore cõpoſitis, quos Duci tradidit. Dedit etiam ei ſex domos filtrinas, ſecundum morem terræ illius, & ſex camelos, qui eas ferrent, cum ſeruis, qui eos ducerent. Addidit his duos leopardos & equos & ſeruos: docti enim erant ſedere in equis. Cumq; omnibus modis benigniſſimè eum tractaret, arguit eum Dux de ſuperſtitione gentilitatis, multa dicens ei de incarnatione Chriſti & fide Catholica. Qui reſpondẽs: Non eſt, ait, difficile ad credendum, quòd Deus, cùm voluit, de immaculata virgine carnem aſſumſit, qui homines primùm de limo terræ plaſmauit*. Fortè, quia de hæreſi Nicolaitarum erat, libros Moyſi audierat: in quibus de plaſmatione primorum hominum legitur. Sunt enim multi gentiles, qui Moyſen recipiunt, nec tamẽ ab idololatria ceſſant, vt olim Samaritani. Vnde mulier Samaritana in Euangelio dicit: Domine, vt video, Propheta es tu, &c.

*Portus Symeonis.* *Torſult.* *Soldanus Turcorum.* *Romania deſerta.* *Heraclia.* *Axarat.* *Soldani in Henricũ L. benignitas.* *Inuitati ad Chriſtianiſmum cauillum.*

* ſed omniũ communis Dominus, non vno voluit ab omnibus honorari cultu. vt addidit Crãcius Saxon. lib. 6. ca. 33.

## CAPVT XV.

DImiſſus itaq; Dux à Soldano, deductus eſt Inſciam. Inde Cunin, quæ eſt ciuitas Turcorum capitalis. Et inde progreſſus venit in terram deſertam & aridam nimis, vbi dicitur Conradus Rex ſtetiſſe cum exercitu ſuo: quia propter nimiam terræ ſolitudinem, multis in fame & ſiti deficientibus, procedere non poterat. Traditus enim à ductore viæ fuerat, quod conſilio regis Græcorum quidam factum dicunt, eo quòd idem Conradus in terra ſua cum nimia multitudine diu fuerit, & eum videre noluit. Eſt enim quædam deteſtabilis conſuetudo regi Græcorum, qui etiam propter nimium faſtum diuitiarum ſuarum Imperatorem ſe nominat, quam tamen dignitatem à Conſtantino, eiuſdem ciuitatis fundatore, traxerat, vt oſculum ſalutationis nulli offerat, ſed quicũq; faciem eius videre meretur, incuruatus genua eius oſculatur. Quod Conradus Rex ob honorem Romani Imperij omnino deteſtabatur. Cumq; Rex Græcorum in hoc conſenſiſſet, vt oſculum ei porrigeret, ipſo tamen ſedente, nec hoc Conrado regi placuit. Tandem ſapientiores ex vtraq; parte hoc conſilium dederunt, vt in equis ſe viderent, & ita ex parilitate conuenientes ſedendo ſe & oſculando ſalutarent. Quod & factum eſt. Propter hanc igitur cauſam videlicet, quia vires Teutonicorum timebant omnes, ex-

*Cunin fortè Iconium.* *Cõradi III. Cæſ. expeditio Aſiatica.* *Imperatoris Byzant. faſtus.*

*Veneficia et proditio Græcorum.*

ercitum illum peregrinum Græci tradiderunt, miſcentes eis venenum in fontibus, & traducẽtes eos in horridiſſimam illam ſolitudinem. Et miſero fine immanis illa expeditio ſoluta eſt. Dux autem procedens venit ad nemus maximum, quod diuidit terram Turcorum & Græcorum: quod triduo cum difficultate tranſiens,

*Caſtellũ Alemanorum.*

venit ad vrbem regum Græciæ, quæ dicitur caſtellum Alemannorum: quia eam

*Godefridus Bilioneus.*

Dux Godefridus olim tenuerat, & inde omnem Turcomaniam ſibi ſubiugauerat. Inde profectus peruenit ad vrbem fortiſſimam, muro & turribus multis in circui-

*Amke Vrbs.*

tu venuſtiſſimè ornatam, & fortiſſimè firmatam, quæ dicitur Amkke, quam idem Godefridus labore nimio expugnauerat. Et quia propter ſuam fidelitatem omni eſt memorabilis æuo, dicamus, quomodo eandem vrbem, quæ inexpugnabilis erat, Deus in manus eius tradiderit.

## CAPVT XVI.

CVm diu Godefridus in obſidione vrbis laboraſſet, & exercitus nimia fame attenuaretur, ita vt omnes ferè equi, & quicquid habebant vſq; ad corrigiam calceamentorum conſumtum eſſet, princeps caſtelli tædio diutini laboris fatigatus,

*De eadem duellũ à captiuo Germano denũciatum.*

Teutonicum quendam, quem diu carceris incluſione tormentauerat, fecit muros aſcendere. Qui locutus eſt ad Ducem, & ad populum Dei, dicens: Hæc dicit Princeps. Quid eſt, quod tanto tempore in obſidione laboraſtis: & fines meos exire nõ vultis? Ecce caſtrum expugnare non poteſtis, ſed ſi placet, huius mali finem faciatis. Procedant duo, vnus ex noſtris, & vnus ex veſtris, duellum inter ſe miſcentes, & ſi vicerit veſter, nos dabimus vobis caſtellum, & diſcedemus. Si verò noſter victoriam adeptus fuerit, vos ſine mora terram noſtram exeatis. Placuit Duci & omnibus quod dixerat, & firmatum eſt ex vtraq; parte, vt quocunq; ſe ſors obtuliſſet, quod dictum erat, certiſſimè teneretur. Habuit autem Dux Godefridus ſeruũ

*Helias è miniſtro Godefridi, apoſtata.*

quendam corpore validum, & ſtatura procerum, vultu elegantem nimis, Heliam dictum, quem pace condicta miſit in vrbem ad Principem, certius finem rei facere cupiens, & diem determinare explendi duelli. Videns autem Princeps viri venuſtatem, corporis immanitatem, membrorum fortitudinem, reputans nullum ſuorum ei viribus æquiparari, complacuit ſibi in illo, & cognita legatione, dixit ad eũ: O ſi placeret tibi manere mecum, & condicti duelli pro me certamen inire. At ille:

*Apoſtaſias merces.*

quid, inquit, dabis mihi, vt faciam, quod dicis. Qui dixit: dabo tibi dimidium terræ meæ, & filiam meam tibi copulabo, & omni honore te ſublimabo. Et ille: Fac, vt locutus es, & pugnabo pro te. Inito igitur fœdere, Helias abrenunciat Chriſto, & affinitate iunctus eſt gentili, & facti ſunt cor vnum & anima vna. Dux autem mirabatur, quid de eo factum fuiſſet, neſciens an captiuatus fuiſſet, vel cuius rei gra-

*Captiui Germani iterata duelli denunciatio.*

tia non redijſſet. Cùm ecce vna dierum prædictus ille Teutonicus ſtans in muro proclamat ad Ducem & ad principes dicens: Hæc mandat Dominus meus. Illa die & hora eſtote parati, quia tunc Dominus meus exibit ad vos cum tirone ſuo, completurus quod dixit. His auditis, gauiſi ſunt omnes, & vnuſquiſq; vltrò ſe offerebat ad hoc ſingulare certamen pro Dei honore ſubeundum. Dux autem ante omnes

*Godefridus Bilion. gibboſus.*

ad bellum ſe præparabat, ſed non permittebatur: quia iam grauis ætate & exhauſtus erat, & gibbum in dorſo habebat. Ingerebant etiã ſe Pontifices, & quotquot erant: diues & pauper pro honore Dei aut vincere aut mori paratus erat. Procedẽs

*Drogo eiuſdem propinquus & aſſecla.*

autem qui Drogo dicebatur, conſanguineus Ducis, filius ſororis ſuæ, dixit ei: Ecce tot annis ſeruiui tibi, & nihil emolumenti à te requiſiui. Iuſtum eſt, vt laboris mei tandem fructum recipiam. Hoc ergo duellum pro omni ſeruitio, quo ſeruiui tibi, deuotiſſimus excipiam. Quid plura? Placuit Duci deuotio viri, omnibuſq; accla-

*Fauſta pro victoria precatio.*

mantibus, armis præcingitur. Cùm procederet, dixit Dux: Deus, qui benedixit patri noſtro Abrahæ, Iſaac, Iacob; Deus, qui per manum Moyſi traduxit populum ſuum per deſertum, operiens hoſtes eorum mari rubro, qui etiam per Ioſue introduxit eum in terram Chanaan, contritis hoſtibus ſub pedibus eorum; Deus, qui dedit Gedeoni contra inimicos fiduciam, Samſoni fortitudinem, Iudith de Tyranno victoriam; Deus, qui liberauit Danielem de lacu leonum, Dauid de gladio maligno,

maligno, Heliā de persecutione Iesabel; Deus inquam, qui filium suū Iesum Christum misit in hunc mundum humani generis redemtorem, qui per victoriam sanctæ crucis Diabolū deuicit, & vasa captiuitatis eius diripuit, qui Apostolis suis benedixit, & per eorum doctrinam sanctam Ecclesiam illuminat, qui etiam per eos nobis dixit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: pro cuius nomine & amore peregrinamur, ipse dextera sua excelsa te benedicat, & hostem nostrum ad laudem & honorem & gloriam nominis sui hodie sub pedibus tuis conterat. Respondentibus autem omnibus amen, & Episcopis benedictionem confirmantibus, processit tyro Christi Drogo obuiam aduersario suo, omnibus lachrymantibus, & genua in orationem ad Dominū flectentibus. Et ecce occurrit ei Goliath superbus, Helias videlicet apostata, ab humili Dauid in nomine Domini deijciendus, sedens in equo phalerato, cuius operimento filia Principis inseruerat tintinnabula plurima tum pro ostentatione, tum equi alterius fugatione. Prouiderat autem hoc Dux Godefridus obturatis auribus equi cognati sui lana & pice. Concurrentibus igitur equis primò lanceas fregerunt, pòst in pedes deuoluti sunt, atq; diu valido rimantes corpora ferro, ictibus alternis se comminus afficiebant. Tandem recordatus Dominus misericordiæ suæ & veritatis, dedit victoriā seruo suo Drogo, & Helias in terram corruit. Qui cùm prostratus esset, ita vt nō adijciat, vt resurgat, dicit ei Drogo: Quisnam es tu, qui mecum pugnas? Ignorabant enim alterutrū qui essent. Cui ille respondit: Ego sum Helias. Et ille: quid hîc, inquit, facere voluisti? abnegasti Christum, quomodo stare posses? Nunc itaq; pœnitentiam age, & reconciliare Deo tuo, quia misericors est, & reuertere mecū in castra. Habeo enim, vt nosti, quatuor vrbes, & dabo tibi duas, quas eligere volueris, & sororem meam, consanguineam Ducis, iungam tibi matrimonio, & eris de familiarissimis Ducis. Qui respondit, nequaquam: nunquam enim fidem priorem violabo, nec recedam à genero meo. At ille decollat eum. Et magnificatus est Dominus in suis, & recesserunt gentiles de castro, & intrauit illud Dux Godefridus cum suis, collaudātes Dominum, qui omnia quæcunq; voluit fecit in cœlo & in terra.

*Drogonis & Heliæ singulare certamen.*

*Ars delusa arte.*

*Victoris clementia.*

*O improbū caput.*

## CAPVT XVII.

DVx aūt progrediens, transito brachio S. Georgij, venit ad vrbem Willecume, & inde procedens, venit Constantinopolin: Vbi homines sui receptis equis, quos ibi reliquerant, abierunt Magnopolin, vbi tunc rex erat. Qui multum lætatus est de reditu eius, & cùm honestissimè detinuisset eū per aliquot dies, dedit ei quatuordecim mulos, oneratos auro & argēto & sericis vestibus. Dux verò immensas gratias agens, noluit accipere, dicens ad eum: Habeo plurima, domine mi, inueniā tantùm gratiā in oculis tuis. Cumq; nimis cogeret eum, & ille nulla ratione assentiret accipere, dedit ei reliquias sanctorum multas & preciosas, quas postulauerat. Addidit etiam multā lapidum preciosorum gloriam, & ita valedicto, Dux in omni pace discessit, & venit Niceam. Et transito nemore magno, venit ad regem Vngarorum, qui tunc nouiter creatus erat, & regnum fratris obtinuerat. Qui honestissimè suscepit eum, dans ei conductum per terram suam, & ita Dux reuersus est in fines suos. Post hæc abijt ad Imperatorem, qui tunc erat in ciuitate Augusta, & lætatus est multum de aduentu ipsius, & quia saluum illum recepit. Reuoluto autē anno, reuersus est Brunschwig, & lætati sunt omnes amici eius de aduentu ipsius. Et ditauit domum Dei reliquijs sanctorum, quas secum attulerat, vestiens eas auro & argento & lapidibus preciosis, inter quas etiam erant brachia Apostolorum plurima. De optimis etiam pallijs ad ornatum diuini seruitij fecit casulas plurimas, Dalmaticas, & ornauit Ecclesiam. Erat autem idem princeps deuotissimus in ornatu domus Dei: vt in ecclesia beati Blasij, quæ est in Brunschwig ciuitate, quam tamē, aduersitatibus succedentibus, ad quas quidē inuiti veniemus, non consummauit.

*Redit ad Hērici Leonis historiam.*

*Magnopolis.*

*Nicea.*

*Henricus L. in German. redux.*

*Peregrinationis eius diuturnitas.*

*Studium in rem Ecclesiasticam.*

## CAPVT XVIII.

POst hæc cùm in castro Luneburg positus esset, adierunt eum Canonici Lubecenses, rogantes, vt eius prouidentia idoneum in domo Dei dispensatorem ha-

*Henricus Abb. deſignatur Epiſc. Lubec.*

berent, dicentes, ſe omnes vnanimi conſenſu in perſonam Domini Henrici, Abbatis de Brunſchwig, conueniſſe, vt eum Eccleſiæ ſuæ præſentandum omnimodis exorarent, ſi tamen hæc eorum petitio vel deſignatio conſenſui eius non repugnaret. Quibus ille reſpondit: Fateor idoneam valde eſſe perſonã, & virum prudentem & religioſum, & tertiò verbi Dei optimum erogatorem. Sed quia fidelitatem viri & conuerſationis gratiam expertam habemus, ideo præſentia ipſius in domo noſtra Brunſchwig non ſine graui iactura carere poſſumus. Ne tamen tantæ vtilitati contraire videamur, & petitionem veſtram iuſtam & rationabilem vel leuiter aſpernari, fiat Domini voluntas & veſtra, virumq; venerabilem cum honore ad ſedem Lubecanæ Eccleſiæ deducite, & ei omnem reuerentiam & ſubiectionem exhibete.

*Suffragatio Henrici L.*

Veneruntq; Brunſchwig Odo Decanus, Arnoldus Cuſtos, vnà cum Præpoſito Henrico, notario Ducis, & ingreſſi Capitulum præſente Abbate Sigebodone de Riddageshuſen, & Godefrido Præpoſito, Anſehelmo Præpoſito, detulerunt litteras Eccleſiæ memoratæ in hunc modum:

*Littera collegii Lubec. electionis nuncia.*

Fratres Eccleſiæ Dei, quæ eſt in Lubeke, ſacro conuentui monaſterij S. Ægidij in Brunſchwig S. & dilectionem in Chriſto. Cumq; ad ſalutationis verba fratres humiliter inclinarent, adiecerunt: Nouit dilectio veſtra, quia mater noſtra, ſancta videlicet Lubekana Eccleſia, patre ſuo viduata eſt: & quia diu ſine paſtore eſſe non poſſumus, ideo omni ſolicitudine nobis inuigilandum eſt, vt in domo Dei prudentem & fidelem diſpenſatorem habeamus. Vnde gratias immenſas Deo referimus, quòd eum, in quo nobis complacuit, inuenimus, Dominum videlicet Henricum Abbatem veſtrum, virum prudentem & religioſum, quem non ſolùm electione canonica nobis præficiendum decreuimus, ſed etiam principis noſtri, Domini Ducis, qui eum nobis in Dominũ & patrem ſpiritualem deſignauit, auctoritate vſurpamus. Quapropter rogamus, vt in hoc vnum ſentiatis, & ordinationi Dei conſentientes, eum nobiſcũ ad apicem ſancti monaſterij deuotiſſimè promoueatis. Fratribus autem de tam honeſta patris ſui promotione congaudentibus, ſed de abſentatione tam pij paſtoris condolentibus, ita reſpondit electus:

*Decorum.*

Opus quidẽ difficile, & nimis arduum eſt, ad quod me vocatis, fratres & Domini mei, & vltra vires meas eſſe, certiſſimè recognoſco. Sed quia nemo ad hoc venit idoneus, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ideo diuina diſpenſatione ad hoc miniſterium me vocari non ambigo: quia omnis poteſtas à Deo eſt: quæ autem à Deo ſiũt, ordinata ſunt. Et quia qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, ideo ecce ad obœdientiam venio, neceſſitate tamen magis quàm voluntate. Et ita profectus cum eis de monaſterio B. Ægidij, cui decem annos prȩfuit, quod etiàm multis rebus ampliauerat, & in ipſo tempore de peregrinatione rediens duodecim pallijs ornauerat, venit ad Ducem Luneburg, & accipiens ab eo inueſtituram Pontificalem, cum honore deductus Lubeke, & deuotiſſimè ſuſceptus à clero & ab omni populo, in natiuitate B. Ioannis Baptiſtæ prȩſente Duce conſecratus eſt à Dn. Walone Hauelbergenſi, & Dn. Euermodo Raceburgenſi, & à Dn. Bernone Suerinenſi, & inuentũ eſt in textu Euangelij, quod ſuper ſcapulas ipſius tenebatur, in fronte vnius paginæ: Ecce euãgelizo vobis gaudiũ magnũ, quod erit omni populo: & in fronte alterius: Vir iuſtus & timoratus, expectans conſolationẽ Iſrael: quod quàm de futura ipſius cõuerſatione diuinitus oſtẽſum ſit, ſatis animaduerti poteſt.

*Ritus inaugurationis.*

*Omen.*

*Hẽrici Epiſc. encomium.*

Deniq; cùm multis à Domino inſignitus fuerit donis ſpecialibus, tamen in eo refulſit ſcientia liberalis cũ facundia ſermonis. Et cùm his pleriq; euaneſcentes in cogitationibus ſuis magis ad arrogantiã vtantur, quàm ad ædificationẽ, ipſe tamen in eadẽ humilitate permanſit, ſemper deuotus Deo & glorioſiſſimȩ genitrici ei⁹ in ieiunijs, in vigilijs, in abſtinẽtijs, in oratione, in eleemoſynarũ largitione, ita vt verè de ipſo dicere poſſimus, Vir iuſtus & timoratus, &c. In prædicatione aũt verbi Dei ita ſingulari quadã prærogatiua fulgebat, vt nemo tam ſaxeũ pectus haberet, qui nõ ad eius dulciſſima verba ad compunctionẽ, vel etiam ad lachrymas traheretur. Nam profundiſſima ſcripturarũ ita planiſſimis verbis exponendo dilucidabat, vt occultã earũ ſimilaginem de internis viſceribus eliciens, omnes dulciſſimo pane verbi Dei reficeret, ita vt gaudiũ cum populo non modicũ mellita eius doctrina faceret. Nec tædioſum ſit cantatricẽ audire, quid de beatitudine

dine ipsius & fideli doctrina quibusdã Deus reuelauerit. Quodã tempore, negotijs exigentibus, transiuit Turingiã, & hospitandi gratia diuertit ad locũ quendam, qui Ohterekishusen dicitur. Illic religiosissimæ fœminæ sub regula B. Benedicti conuersantur, celibem vitã actitantes. Quæ cùm tempore meridiano in lectis decumberent, ita quædã probatissimæ conuersationis, quæ postea in Waltingerod Abbatissa destinata est, & prima ibidem fœminarũ congregationem rexit, vbi etiã beato fine quieuit, somno compressa in visione Dei vidit omnẽ congregationem sororũ suarũ in choro deuotissimè assistere, & in susceptione cuiusdã Episcopi cum nimia vocis alacritate decantare: Verè felicẽ Præsulem, verę fidei Doctorem. Quod cùm iucundissimè percantatũ fuisset, vir quidã ætate venerandus, persona religiosus, accessit ad fenestrã chori, vbi communio diebus dominicis eis porrigitur, & dixit ad eas: Non pigeat vos Episcopũ istũ peregrinũ omni reuerentia suscipere, omniq; affectu in omnibus ei officiosissimè subseruire, scientes, quia quod in susceptione ipsius decantastis, vobis quidẽ diuinitus ostensum sit, de ipso veraciter est dictum. Opere etenim est verè felix Præsul, & veræ fidei doctor. Cũq; euigilasset dicta Nona, narrauit sororibus quid videatur, & statim venit, qui diceret, Episcopũ quendã ad hospitandũ illuc diuertisse. Certificatæ igitur de oraculo, Deo gratias referentes, rogabant, vt eas videre dignaretur, vt exhortationis verbum ex ore eius audire mererentur. Qui veniens ad eas, vt desiderauerãt, hoc in exordio sermonis habuit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. In quo cùm multa de castitate & innocentia vitæ, quæ ad ædificationẽ earum pertinebant, insereret, ita de verborũ eius melliflua dulcedine dulcoratę sunt, vt, sicut ostensum eis fuerat, dicerent eum verè felicem Præsulem, & veræ fidei doctorẽ. Dux autem eodem tempore ędificare cœpit Ecclesiam Lubekanã in honorem B. Ioannis Baptistæ, & S. Nicolai, Confessoris Christi. Et primum cum Henrico Episcopo lapidẽ in fundamento posuit. Ad cuius consummationem dedit quouis anno centum marcas denariorum, similiter in Raceburg, & omni studio nouellæ plantationi in regione aquilonari insistebat. Sed hæc desiderato fine non compleuit: quia post tempora dierum illorum factus est motus magnus, qui totam Saxoniam vehementer concutiebat, & intermissis constructionibus Ecclesiarum, cœpit firmare præsidia ciuitatum & vrbium, quia bella plurima aduersus ipsum consurgebant.

*Somniũ monasticum.*

*Fana Lubecæ ab Henrico cõstructa.*

## CAPVT XIX.

CIrca tempus illud passus est in Anglia B. Thomas * Cantelbergensis Archiepiscopus, vir sanctitate & miraculis insignis. Qui cùm pro lege dei sui certaret vsque ad mortẽ, instante persecutionis tempestate, declinans iras malignantiũ, secessit ad Papã Alexandrum, qui tunc in Francia exulabat, & apud eum mansit diebus multis, in sanctitate & iustitia seruiens Domino omnibus diebus vitæ suæ. Accidit aũt vna dierũ, cùm Apostolicus sederet cum Episcopo, vt forte sitiret, & dixit puero assistenti sibi: Affer mihi aquam de fonte, vt bibam. Quę cùm allata fuisset, dixit amplius Episcopo: Benedic & bibe. Qui benedixit aquam, & mutata est in vinum, & bibens dedit Apostolico. Cumq; Apostolicus intellexisset vinum (nam vocato puero, dixit ad eum: quid detulisti mihi? qui dixit, aquam) Apostolicus, affer mihi adhuc de eadem. Cumq; hoc secundò factum fuisset, iterum dixit Apostolicus ad Episcopum: Frater benedic, & bibe. At ille virtutem de se exisse nesciens, credens ex industria vinum allatum, simpliciter benedixit, & iterum mutata est in vinum, bibensq; dedit Apostolico. At ille adhuc non credens, putans errore factum fuisse, tertiò clàm præcepit afferri aquam, & tertiò mutata est in vinum. Tunc expauit Apostolicus, intelligens eum virum sanctum esse, & virtutem Dei in eo celebratam fuisse. Post hæc dixit ad Apostolicum: Domine reuertar in parochiam meam, & visitabo oues meas. Scio quidem iram regis imminere, sed obœdiendum est Deo magis quàm hominibus, ipsius in me perficiatur voluntas, pro cuius nomine etiam mori paratus sum: quia sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animam ponere. Cui dixit Apostolicus: Vade, ecce ego mittam te. Et ita reuersus in parochiam suam, passus est IIII. Calend.

*Thomæ Cantuar. legenda.*

* Cantuariensis.

*Alexander III. Papa.*

*¶ At Petrus Apost. sua vi aut potẽtia mirabiliter aliquid fieri negat, Act. 3.*

Ianuarij, & ex ipsa hora vsq; in hodiernum diem per ipsum Deus operatus est virtutes multas, sicut etiam testantur hi, qui ad ipsius monumentum fuerunt, vbi per virtutem orationum suarum omnibus infirmantibus vel afflictis præstantur beneficia multa, & magnificatur Deus à populo omnium nationum, qui nostris etiam temporibus in suis sanctis dignatus est glorificari.

## CAPVT XX.

*Rebellio Lōgobard. è schismate Pontificio.*

CIrca tempora dierum illorum in Italia positus erat Imperator nimijs prælijs occupatus. Siquidem Longobardi vnanimes rebellabant contra eum, & respub. in partibus illis nimis turbata erat, fortè propter peccatum schismatis, quod multis annis durauerat: & multi in ouile ouium non per ostium intrauerunt, sed aliunde ascenderunt. Cęsar igitur fortunatus, bellorum frustratus euentibus, grauiterq; anxiatus, exiens de finibus illis, transmissis Alpibus venit in partes Teutonicas, & conuocatis Principibus, perturbationem Imperij exposuit, & ad comprimendos rebelles in Italicam expeditionem eos secum euocauit. Ducem etiam Henricum ad hunc laborem omni instantia adducere conatus est. Et quia eum formidabilē Longobardis expertus erat, dicebat se omnimodis sine ipsius præsentia contra eos præualere non posse. E contra ille prætendebat, se multis laboribus & expeditionibus tam Italicis quàm etiam alijs innumeris, vtpote iam senem, defecisse, & omni deuotione Imperatoriæ maiestati se obsecuturū affirmabat in auro & argento, cæterisq; impensis ad exercitum contrahendum, sed tamen omnino salua gratia ipsius in persona propria venire posse negabat. Ad hęc Imperator: Deus, inquit, cœli te inter Principes sublimauit, & diuitijs & honoribus super omnes ampliauit, omne robur Imperij in te consistit, & iustum est, vt ad confortandas manus omniū huic negotio præcipuū te exhibeas, vt respub. quæ labi cœpit, per te conualescat, per quem præcipuè hactenus se stetisse non dubitat. Memorem te esse volumus, quòd nihil vnquam tuæ voluntati negauimus, & quia in omni honore tuo ampliando semper parati fuimus. Inimicis tuis semper inimici fuimus, & nullum aduersum te præualere permisimus. Et vt sacramentorum fidem omittamus, quam Imperio firmasti, meminisse te volumus consanguinitatis, qua nobis super omnia teneris, vt in præsenti necessitate omni fidelitate, vtpote nepoti & Domino & amico, nobis concurras, & de cætero ad omnia, quæ volueris, beneuolentiā nostram habeas. Cumq; Dux adhuc renueret, & ad omne obsequium se paratū offerret, se tamen in propria persona venire negaret, Imperator assurgens de solio suo, vtpote quem angustiæ tenebant, ad pedes eius corruit. Dux autem vehementer conturbatus de re tam inaudita, quòd humiliatus in terra iaceret, sub quo curuatur orbis, quantocyus eum à terra leuat, nec tamen eius consensui animum inclinat.

*Hēricus Leo solicitatur à Cæs. ad expeditionē Italicam.*

*Excusatio eiusdem honestiss.*

*Cæsar replicat.*

*Hēricus Leo propositi tenax.*

## CAPVT XXI.

*Christianus Archiepis. Mogunt. Imperii studiosus.*

IMperator verò pro tempore dissimulata ira, quam ex nimia animi verecundia traxerat, reuersus est in Italiam cum exercitu, quem tunc contrahere poterat, adiuuante partes eius omni instantia Christiano Moguntino, qui etiam vsq; ad finem vitæ suæ Longobardiam vastabat, subijciens eam Imperio, plus placere cupiens Imperatori terreno quàm cœlesti, & neglectis ouibus sibi commissis, magis tributa Cæsarum quàm lucra Christi colligebat. Imperator itaq; prosperatus, victoriam adeptus est, & ad voluntatem abusus est terra illa incendijs & deprædationibus, deuastans omnem ciuitatem munitā. Et contritum est cornu aduersariorū, & siluerūt in conspectu eius. Videns itaq; quòd data esset requies, opportunitatem nactus, conuocatis Principibus, multa contra Henricum Ducem allegare cœpit, quòd propter nimium fastū superbiæ suæ tantum Imperio contemtū exhibuerit, vt eo ante pedes eius humiliato, nullo eū miserationis intuitu in tanta necessitate constitutū attēdere dignatus fuerit, & despecta repub. & audoritate Imperatoriæ maiestatis neglecta, omne auxiliū obstinato animo ei negauerit. His auditis Principes, qui

*Cæsaris in Italia successus.*

*Actio cōtra Henricū L.*

cipes,qui eum prius oderant,accepta occasione, contra eum multa conqueri cœperunt,& cooperantes verbis Imperatoris,omni honore eum priuandum iudicabant, & reum imperatoriæ maiestatis proclamabant,non solùm quia pręcepta vel merita ipsius despexisset,sed quòd ad ignominiam omnium principum in propria eum persona humiliatum confudisset. Et alij atq; alij se ingerentes, illas vel illas ab eo illatas sibi iniurias conquesti fuerunt, & iustitiam sibi fieri iudicio Imperatoris expostulauerunt. Pontifices ante omnes Ecclesiarum oppressiones clamabant, nullam ferè Ecclesiam esse dicentes,quæ eius direptioni non subiaceret. Facta est igitur coniuratio valida aduersus eum. Cæsar itaque videns Principes ei intentare malū, multa vsus prudentia, totum ad deiectionem ipsius ingenium pendere cœpit. Animaduertensq; quòd facilè eum destruere non possit, admouet omnes varia calliditate dolos,& quem viribus expugnare diffidebat,sapientię admota paulatim manu euincere cogitabat. Reconciliatus est etiam Papæ Alexandro, mediante Philippo Coloniensi, & eum, cui diu aduersatus fuerat, tunc in pace recepit, vt vndiq; firmata parte sua,facilius,quod volebat,perficeret.

*Stomachus Principum.*

*Institutum callidum.*

*Philippus Colon. Cæsarem cum Papa in gratiā reducit.*

## CAPVT XXII.

ANno igitur incarnationis Domini nostri Iesu Christi M. C. LXXVII. respexit Dominus de solio suo excelso super filios hominum, & orta est in Ecclesia Dei dies exultationis & lætitiæ, cessante schismate, quod viginti annos Ecclesiam dissipauerat, & facta est pax inter regnum & sacerdotium, & vnitas in sede Apostolica,& coadunata est Ecclesia sub Alexandro, & factum est vnum ouile & vnus pastor. Mercenarijs itaq; eiectis, pastores reuersi sunt ad caulas ouium suarum. Inter quos Vdalricus Halberstadensis auctoritate Apostolica reuersus est in sedem suam. Sed & manus Imperatoris cum ipso erat, in omnibus confortans eum. Statim igitur ad introitum ipsius commota est terra: quia fauentibus Principibus orientalibus contra Ducem Henricum multa moliri cœpit. Gerone etiam fugato, omnia quæ multis annis in Ecclesia illa per eum ordinata fuerant, cassata sunt. Omnes igitur ordinati Geronis ab officio suspensi sunt: Ecclesiæ, quas ille non consecrauerat, sed magis execrauerat, clausæ sunt, & corpus B. Burchardi Episcopi, quod ille transtulerat, per Vlricum terræ reconditum est.

*Schismatis Pōtificis diuturnitas.*

*Vdalricus Halberstadensis Henrici L. hostis.*

*Deturbat Geronem solio.*

*Burcard. Episc.*

## CAPVT XXIII.

IN diebus illis autem Henricus Dux cum graui expeditione Slauiam intrauerat, & expugnabat castrum Dymin. Audito ergo ingressu Vdalrici, intelligens se iam circumuentum esse: Bella mihi video, bella parantur, ait. Vocatisq; admodū paucis de familiaribus suis, dicebat se sine omni dilatione oportere in Saxoniam reuerti: inter quos sic Fridericum, machinarum constructorem, alloquitur: Quibus artibus vel viribus expugnabimus vrbem? Qui respondit: Si placet, post triduum eam totam incendijs consumam. Cui Dux: Non laudo, ait, vt incendatur: quia si exusta fuerit, non minus hostes resumtis viribus nos inquietabunt, maximè cùm trans Albiam maxima bella aduersum nos insurgant, & durum sit, ex vtraq; parte hostiles incursiones sustinere. Cui ille: Si magis placet hoc, elaborabo, vt post triduum obsides, quotquot volueris, offerantur, & deinceps tributa cum pace persoluant. Quod cùm Duci placuisset,& sic factum fuisset, quasi infecto negotio reuersus est Brunschwig.

*Henrici Leonis bellum in Slauia.*

*Prudentia aduersus imminentia pericula.*

## CAPVT XXIIII.

IPso autem anno Henricus Episcopus cœpit fundare opus nouellæ plantationis in Lubeke, congregationem videlicet Monachorum, quam construxit in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctiq; Ioannis Euangelistæ, & Ægidij Confessoris Christi: facta solenniter consecratione in die B. Ægidij, assistente ei Ethe-

*Henricus Episc. fundat monasterium Monachorum Lubecæ.*

lone, Præpoſito maioris Eccleſiæ, cum Decano Odone & Arnoldo Cuſtode & alijs Canonicis. Sed quia propter paucos reditus Epiſcopales largè eam ditare non potuit, contulit tamen in dotem eiuſdem eccleſiolæ dimidiam villam Tangenelch & aliam villā Clene, & tres dimidias decimationes, in Gladeburg maiore, in Gladeburg minori, & in Stubbekiſdorff. Curtes etiam in ciuitate denarijs ſuis comparauit, perſoluentes annuatim octo marcas denariorum, & agros quoſdam in campo eiuſdem ciuitatis. Et ita omni deuotione eidem tenellæ plantationi inſiſtebat, non ſine magna ęmulatione quorundam, qui eius ſtudijs inuidebant. Ipſam tamen quaſi imperfectam reliquit, quia pauco ſuperuixit tempore.

## CAPVT XXV.

*Hopelberg, indeq; Henrici Leonis & Vdalrici Halberſtad. nata contentio.*

VDalricus autem Halberſtadenſis occupauit montem quendam, qui Hopelberg dicitur, firmans illic præſidium, & adiuuabant eum manus Orientalium. Quod audiens Dux, venit illuc cum multitudine armatorum, & abiectis hoſtibus, fregit munitionem. At illi reſumtis viribus cœpto operi inſtiterunt. Cumq; ſecundò occurreret eis exercitus Ducis, illi inualeſcentes hos in fugam verterunt, & plurimis captiuatis, ſpolia multa acceperuunt. Multi etiam ibi perierunt, ſuffocati in locis paluſtribus.

*Henrici Comitis mors.*

Mortuus eſt autem tunc temporis Henricus Comes, vitricus Adolfi Comitis, qui adhuc adoleſcens erat.

*Mechthildis encomium. Adolfus C. Holſat.*

Sed mater eius Mechthildis prudens & religioſa fœmina, ſoluta à lege mariti, domum illius ſapiēter diſponebat. Qui cùm miles factus eſſet, non degenerauit à virtute paterna.

## CAPVT XXVI.

*Euermodus, Epiſc. Raceburg. θαυματεργος.*

TVnc etiam temporis beatæ memoriæ Euermodus, Epiſcopus Raceburgenſis, mortuus eſt: ſed ſicut fidelium deuotioni placet, viuit in Chriſto: quia religioſam vitam ducens, in ſanctitate & iuſtitia vſque in finem perſeuerabat, ita vt, ſicut quidam aſſerunt, eo adhuc viuente, Deus per eum virtutes quaſdam ſignorum operatus fuerit. Et quia opportunitas ſe obtulit, non prætereunda ſunt ſilentio, quæ fidelium relatione didicimus.

*Henricus C. Raceburg.*

Accidit, vt quodam tempore Henricus, Comes de Raceburg, cuius temporibus idem Præſul à Duce Henrico ad Epiſcopatum vocatus fuerat, duos captiuos haberet inſignes de Friſia. Quos cùm multum tyrannico more tormentaret, Epiſcopus eis compatiens, ſæpius Comitem, vt eos abſolueret, exorabat. Sed ille nulla motus miſeratione non minus eis parcebat. Inter hæc Paſchalis dies ſuperuenit. Et captiui pro reuerentia feſti diuinis intererant, ſub cuſtodia tamen duriſſimè compediti. Cumq; Epiſcopus facta aſperſione ad eos deueniſſet,* boiam aqua benedicta miſeratione ductus aſperſit, his vſus verbis: Dominus erigit eliſos, Dominus ſoluit compeditos. Et ſtatim cum magno ſtrepitu boia diſcrepuit, & illi ſoluti Deum glorificabant. Hæc in monte S. Georgij acta ſunt, vbi tunc Epiſcopalis ſedes erat, quæ necdum vt nunc per Deum incrementum acceperat. Boia verò ad indicium rei geſtę in Eccleſia multis diebus pependit.

*compedes vel vmbellam.

*Hartuicus Magnus, Archiepiſc. Brem.*

Alio quoq; tempore Præſul memoratus cum Dn. Hartuico, Bremenſi Archiepiſcopo, qui pro ſua generoſitate dicebatur Magnus, in Thetmarchia erat in quodā celebri colloquio. Cumq; vir Dei miſſam publicam, præſente Archiepiſcopo, celebraret, accidit vt effuſione ſanguinis facta, quidam Thetmarcus quendam de melioribus terrę occidiſſet. Quod cùm innotuiſſet Epiſcopo, ad reconciliationem laborare ſtudebat, vt moris eſt inter miſſarum ſolennia, illumq;, cuius cognatum occiderat, obnixè deprecabatur, vt proximo indulgeret, replicans de oratione Dominica, dimitte nobis debita noſtra, &c. Cumq; ille tumida mente induratus hæc non reputaret, Epiſcopus de* ambone deſcendens, ad ipſum acceſſit, & cum Sāctorū reliquijs ad pedes eius ſe obtulit. Cūq; ille iuramētis terribilibus per Deū & matrem & aliorū ſanctorū nomina ſeipſum conſtringeret, nunquā ſe dimiſſurū, Epiſcopus pro benedictione cōtradicenti alapam maximā dedit, & ille promptiſſimè extēſis manibus quod petebatur, annuit, & proximū in pace recepit. Quod diuinitus

* fortè ſuggeſtum aut exedrā intelligit.

uinitus factum credimus, perq; alapam Dæmonem ab homine fugatum. Similia in libro Dialogorum B. Gregorij inueniuntur, vt quædam sanctimonialis rusticum quendam à Dæmone liberauit, beatum etiam Benedictum Monachum, qui Dæmonem sequebatur, plaga virgæ sanauit, non quòd dæmones alapis vel virgis cædantur, cùm sint incorporei, sed pietas Dei & virtus orationis ibi intelligitur. His alijsque virtutum indicijs credimus Episcopum iam dictum viuere in Christo. Cui successit Dominus Isfridus, prius quidem Præpositus in Jerechowe, vir magnæ religionis, quia in eadem Præpositura non vt Canonicus, sed vt Monachus vixerat. Quod tamen in pace Canonicorum regularium dixerim: quia quamuis plerique Canonicorum sanctè & iustè viuant, Monachus tamen nomen est summæ sanctitatis, & huic nomini nihil perfectionis deesse debet: sed hoc paucorum est. Inde est, quòd seculares ignorantes discretionem ordinis Monachorum & Canonicorum regularium, ipsos Canonicos Monachos appellare consueuerunt. Factus autem Episcopus viam humilitatis non deseruit, mitem se in omnibus exhibuit, patiens autem ante omnes fuit. Et quamuis ordinem historiæ aliquantulum præuenire videamur, tamen quia de ipso loqui cœpimus, dicamus quantis aduersitatibus attritus fuerit, & quanta virtute patientiæ illas sustinuerit. Cùm verò Dominus duo ponat in aduersitatibus, ita dicens: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri, quod B. Gregorius exponens, prælia, ait, ad hostes, seditiones pertinent ad ciues, dicamus quæ intus à ciuibus, id est à fratribus, & quæ foris passus fuerit ab hostibus. Ex eo igitur tempore, ex quo mutatio Ducum facta est, quia destitutus solatio Ducis Henrici, qui eum propter suam fidelitatem & propter deuotionem Ecclesiæ suæ manu tenebat, pacem cum Othone Præposito nunquam habere potuit. Qui ad Episcopatum aspirans, in multis eum infestabat, & fratres aduersus eum commouebat. Ipsum etiam Ducem exosum habebat, & quem lædere viribus non poterat, verbis impetebat. Comes etiam Bernhardus in multis eum grauabat, quia à Ducis Henrici familiaritate se elongare volebat. Supra omnia autem Ducis Bernhardi intolerabilem iram sustinebat: quia idem Dux * hominium ab eo exigebat. Quod ei Episcopus negabat, dicens non esse necesse duobus ab Episcopo fieri hominium, se tamen principatui eius libenter seruire dicebat, si per eum Ecclesia sua pacem vel profectum habuisset. Duci autem Henrico dicebat se hominium fecisse non tantùm propter eius principatum, sed quia per eum Ecclesia multum accepisset & pacis & religionis incrementum. Huic ergo Dux Bernhardus offensus omnes decimationes suas in omni terra, quæ Sadelbet dicitur, auferebat, homines suos captiuatos pecuniam sibi persoluere cogebat. Ille tamen immotus persistens magis elegit ista pro tempore patienter sustinere, quàm nouitatem aliquam sibi vel Ecclesiæ inducere.

*Dialogi Gregorii.* — *Benedictus Monachus.* — *Isfridus, Euermodi successor.* — *Monachus auctoris sanctimoniæ nomen.* — *Isfridi digna Episc. moderatio.* — *Bernhardus Raceburg.* — *Bernhardus Dux.* — ** iuramentum.*

## CAPVT XXVII.

Circa idem tempus, quo mortuus Euermodus, mortuus est & Baldeuinus, Archiepisc. Bremensis, qui multum neglexit Ecclesiam suam, de cuius conuersatione melius est silere quàm loqui. Cui successit Dominus Bertoldus, vir prudens & litteratus valde, & zelotes iustitiæ, in quo quidem Duci Henrico primò complacuit, sed postea mutata voluntate displicere cœpit. Et quia in eo infra quatuor sacros ordines celebrata est electio, visum fuit ipsi electo minus canonicè in eo factum fuisse. Et missa legatione ad Dominum Apostolicum, ipsi omnem seriem electionis intimat, submittens se iudicio summi Pontificis, vt si eam approbasset, rata maneret, sin autem, irrita haberetur. Apostolicus autem cognita viri prudentia, & quia multum in Ecclesia fructum facere potest, electionem ipsius approbat, & per scripta sua in omnibus eam confirmat. Bertoldus igitur promotus ad ordinem Subdiaconatus, denuò in Pontificem electus est, vt si quid in priori electione minus canonicè factum fuisset, eo ad sacros ordines promoto, apostolica auctoritate canonicè & legitimè suppleretur.

*Balduini Archiepisc. Brem. mors.* — *Bertholdus successor.*

## CAPVT XXVIII.

*Conciliũ Lateranenſe.*
**Ilſenburg.*
*Gratia Papalis Halberſtadenſibus tributa.*
*Gero Exantiſtes.*
*Infelix Bertoldi ambitio.*
*Hubaldus Cardin. pòſt Lucius Papa.*
*Sigeffidus Anhald. Bertholdi ſucceſſor.*
**Anhald.*

IN ipſo autem tempore indictum eſt ab Alexandro generale Conciliũ, quod celebratũ eſt Lateranis in palatio Conſtantini. Factus eſt ergo conuentus magnus Prælatorum, & pergebant illuc multi ordinati à Schiſmaticis, ſperantes ſe gratiam Apoſtolici inuenire, & mitras exequendi officij ab eo conſequi. Præcipuè autem de Eccleſia Halberſtadenſi, quæ per Geronem nimis demembrata erat, tam Monachi quàm Clerici clementiam Apoſtolicæ ſedis adierunt. In qua profectione præcipuè erat Abbas Theodoricus de* Hilſeneburg: quia ferè omnis congregatio Monachorum ſuorum in ſalicibus organa ſua ſuſpenderant, exceptis paucis ſenioribus, qui ante ſchiſma ordinati fuerant. Cumq; omni inſtantia inſtarent pulſantes Apoſtolicam pietatem tandem de ordinatis Geronis diſpenſatũ eſt, vt quia idem Gero non à ſchiſmatico, ſed à catholico, Hartuico videlicet, Bremenſi Archiepiſcopo, ordinatus fuerat, ordinati eius per gratiam Apoſtolicam in ordinibus ſuis perſiſterent, & ad maiores per benedictionem aſcenderent. Ipſe etiam Gero hanc obtinuit gratiam, vt officium Pontificale in omni loco liberè exequeretur, vt in Epiſcopatu Halberſtadenſi. Venit etiam illuc Dn. Bertoldus Bremenſis electus in promotione officij ſui ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem. Quem Dominus Papa benignè ſuſcipiens, de promotione ipſius inſtantiſſimè tractare cœpit, ipſi etiam omnem honorem deferebat, ita vt in conſilio Prælatorum cathedram ſuam inter ſummos Pontifices collocaret, & eum infulatum coram ſe reſidere faceret. Cumq; in proximo ſabbato promouendus eſſet in ſacerdotem, & ſequenti Dominica in Epiſcopum, feria ſexta ad veſperã venit nuncius Ducis Henrici, Henricus Præpoſitus, qui erat acerrimus perorator: & quia idem notus erat ſummo ſacerdoti, ſtatim intrauit ad ipſum. Manè autem facto cùm ſe Bremenſis Electus ad ſuſcipiendos ordines præpararet, & ei Hubaldus Cardinalis, qui poſt Alexandrum factus eſt Lucius, in quo ſumma conſilij Romanæ Eccleſiæ pendebat, præparaturam ſuam, eo quòd inhoneſtior non eſſet, deputaſſet, dictum eſt à cubicularijs Domini Papæ, Veniant Bremenſes. Venit igitur Dominus Electus cum ſuis, & Dominus Apoſtolicus egreſſus de cubiculo ſuo dixit ad eum: Frater, quia infra ſacros ordines ad honorem pontificatus electus es, caſſamus electionem tuam. Cumq; quidam aſtantium dicerent: Domine, meminerit pietas veſtra, quod electionem ipſius approbauerit: Apoſtolicus in cubiculum, vnde egreſſus fuerat, reuerſus eſt. Bertoldus autem non ſine rubore diſceſſit. Cui poſtea ſucceſſit Sifridus, filius Marchionis Adalberti, cui Dux in omnibus deuotiſſimè tam propter eũ quàm propter fratrem ſuum Bernardum Comitem de* Hauchalt, aſſiſtebat. Erant enim tunc amiciſſimi. Sed poſtea alienati ab inuicem facti ſunt inimiciſſimi.

## CAPVT XXIX.

*Philipp. Colon. in fines Henrici L. expeditio.*
*Quernhamela.*
*Henricus L. iubetur in Imperii conuentu cauſam dicere.*
*Prouocatur ad duellum à Theodorico, March. Myſn.*
**Luſatia.*
*Fruſtra cũ Imperatore de compoſitione agit.*

IN illo tempore Philippus Colonienſis cum multitudine graui exiens de finibus ſuis, peruagatus eſt terram Ducis, deuaſtans eam incendijs multis, & ita procedens vſq; Quernhamele, non adiecit vlterius progredi, ſicq; reuerſus eſt in locum ſuum. Circa dies illos reuerſus eſt Imperator de Italia, cui occurrit Dux apud Spiram, & illatas ſibi iniurias à Domino Colonienſi conqueſtus eſt in præſentia ipſius. Quod Imperator tunc quidem diſſimulans, eis curiam indixit apud Wormaciam, Ducem tamen præcipuè ad audientiam illuc citauit, reſponſurum querimonijs Principum. Quod intelligens Dux, eo venire diſſimulauit. Imperator autem aliam ei curiam indixit in Magdeburg, vbi Theodoricus Marchio de Landsberg, duellum contra eum expetijt, imponens ei quaſdam traditiones contra Imperium factas. Verius tamen propter indignationem id factum fuiſſe creditur: quia Slaui exciti à Duce omnem terram illius, quæ* Luſice dicitur, irrecuperabiliter vaſtauerant. Dux autem hoc animaduertens, venire noluit. In Haldeſleben tamen cõſtitutus, per internuncios colloquium Domini Imperatoris expetijt. Imperator itaq; exiuit ad eum ad locum placiti, quem Dux verbis compoſitis lenire ſtuduit.

Imperator autem quinq; millia marcarum ab eo expetijt, hoc ei dans consilium, vt hunc honorem Imperatoriæ maiestati deferret, & ipso mediante, gratiam Principum, quos offenderat, inueniret. Illi autem durum visum est, tantam persoluere pecuniam, & non acquiescens verbis Imperatoris, discessit. Exinde Imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit, nec minus illam supersedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionem, sententiam aduersus eum proposuit, quęrens quid super hoc iustitia decernat, quòd tertiò legitimè vocatus, iudicium declinauerit, & per contemtum ad audientiam suam venire noluerit. Cui ex sententia Principum responsum est, quòd, iustitia dictante, omni sit honore destituendus, ita vt proscriptione publica dijudicatus & Ducatu & omnibus beneficijs careat, & alter in locum eius consurgat. Confirmata itaq; sententia Imperator id adiudicauit fieri. Quartam tamen curiam adhuc rogatu Principũ ei indixit, ad quam cùm non venisset, fecit vt superius ex sententia Principum instructus erat, & Bernardum Comitem de Anhald, pro eo Ducem constituit, & Episcopis vt sua reciperent, quæ in beneficio habuerant, mandat, & bona eius publicari præcepit. Vnde accepta occasione quidam de suis alienati sunt ab eo. Dux autem iniustè de se iudicatum esse affirmabat, dicens se de Sueuia oriundum, & nullum proscriptione damnari posse, non conuictum in terra natiuitatis suæ.

*Damnatur & proscribitur publicatis bonis.*

*Excipit contra sententiam in se latam.*

## CAPVT XXX.

*Motus ex Henrici L. proscriptione.*

*Philippi Colon. iterata expeditio. Rote factio.*

*Impietas militaru.*

EX eo igitur tempore multiplicata sunt mala multa in terra: quia omnes consurgebant aduersus Ducem, & manus omnium contra eum, & manus eius cōtra omnes. Philippus autem Coloniensis contracto exercitu, secundam expeditionem instaurauit, habens in comitatu suo illos, quorum secta Rote dicitur. Rursumq; in manu valida pertransiuit omnem terram Ducis, & timuerunt omnes à facie eius. Facta sunt autem abominabilia multa & grauia in profectione illa, eo quòd viri iniqui, filij Belial, qui comitabantur cum eo, sceleratissimi essent, & sceleribus perficiēdis inexplebiliter insisterent. Factæ sunt autem cœmeteriorum deprædationes, Ecclesiarum exustiones, & multa loca religionis destructa sunt, ita vt, quod dictu grauius est, sponsas Dei quasi captiuas abigerent, & eas prostituendo templa Dei non manu facta libidinosè polluerent. Quis non gemat, quòd sacerdoti sacrosanctis mysterijs assistenti non pepercerunt, sed impingentes in eum, necdum benè completis sacramentis, calicem de manu eius rapuerunt? Multa etiam alia sceleratissimi illi perpetrarunt, quæ pro enormitate nefas fuit scribere, & nimis venenata auribus fidelium infundere. Episcopus autem procedens Haldeslében, quod Wichmannus, Archiepiscopus Magdeburgensis, obsederat cum Principibus Orientalibus, confortans manus eorum, reuersus est in locum suum non sine graui compunctione, quòd propter eum occasio tantorum malorum data fuerit: nec adiecit vltrà viros illos apostatas secum educere. Creuit autem obsidio in dies & menses, eo quòd Bernardus, Comes de Lippe, præfectus ciuitatis, vir strenuus valde & militaris esset, & locus palustris ab hyemis mollicie expugnari non posset. Cumq; tædio diutini laboris deficerent, tandem nouum quoddam genus expugnationis excogitauerunt, vt eam aquis suffocarent. Cumq; vallo facto excogitatum instantissimè peragerent, aquæ vsq; ad trabes domorum excreuerũt: sed adhuc viri bellatores ciuitatem tenuerunt. Tandem conditione facta Bernardus cum suis liber egreditur, & ciuitas funditus destruitur.

*Wichmannus Archiepisc. Magdeburg. obsidet Haldeslebē.*

*Bernhardus, Comes Lippiensis.*

*Haldeslebē captum diruitur.*

## CAPVT XXXI.

*Vdalricus Halberstad. anathemate contra Hēricum L. pugnat.*

*Cum eodem deprecante in gratiam redit.*

INter hæc autem Vdalricus Halberstadensis omnibus modis importunè ei insistebat, adeò vt excommunicationis maledicta in eum sæpius proferret, facta suspensatione diuinorum in omni Episcopatu illo, & tamen in monasterijs sub silentio diuina celebrabantur, clausis tamen ianuis propter excommunicatos. Dux autem timens sententiam excommunicationis, venit Halberstad cum suis, & in con-

tritione cordis humiliatus est ad pedes Domini Episcopi. Et solutus est à vinculis anathematis, tam ipse quàm sui, facta solenniter absolutione. Et sensit cum Episcopo & cum Ecclesia illa, ea quæ pacis sunt. Sed hoc paruo durauit tempore. Nam idem Episcopus impatiens otij & quietis erat, & iterum occasione accepta, alienatus est ab eo, & additus inimicis suis, multa contra eum moliri cœpit, & factus est nouissimus error peior priore.

## CAPVT XXXII.

*Hērici Leonis expeditio Westualica.*
*Comites auxiliares.*
*Aduersarii.*
*Victoria.*
*Simō, Com. Teckēburg. ex hoste amicus.*
*Simultas cū Adolfo C. de captiuis.*
*Conradus de Rothe.*

DVx autem egregio exercitu congregato, direxit eum in Westfaliam, per manus Adolfi, Comitis de Schawenburg, Bernardi, Comitis de Raceburg, Bernhardi, Comitis de Welpe (qui etiam, vt in sequentibus clarebit, alijs à Duce deficientibus ipse fidelis solus permansit) Guncelini, Comitis de Suerin, Ludolfi Comitis & Wilbrandi, fratris eius, de Halremund, vt pugnarent contra inimicos suos in medio terræ eorum, qui fines suos in partibus illis occupauerant, videlicet contra Simonem, Comitem de Teckenburg, Hermannum, Comitem de Rauensberg, Henricum, Comitem de Arnsberg, Widekindum, Comitem de Schwalenberg, & alios plures, & consederunt contra Osenbrugge. Cumq; appropinquasset exercitus hostilis, attriti sunt Westfali plaga magna, eo quòd Saxones, qui Holsati dicuntur, viri sint absq; misericordia, & humani sanguinis auidissimi. Et non pepercit vlli eorum maiori vel minori, sed omnes, quos oppositos habebat, insatiabiliter neci tradiderunt. Plures tamen à militibus in captiuitatem ducti sunt, inter quos præcipuus erat Simon, Comes de Teckenburg: qui à Duce coniectus est in vincula, constrictus manicis ferreis, donec ea, quæ subiecta sunt, sentiret. Postea tamen solutus à vinculis, sub iureiurando fidem faciens, factus est Duci fidelissimus, & in omni illa controuersia, secum fideliter perseuerabat. Facta autem est disceptatio inter Ducem & Comitem Adolfum & cæteros nobiles de captiuis. Dicebat enim Dux, sui iuris esse, vt omnes captiui sibi redderentur. Cui consentiebat Guncelinus Comes, Conradus de Rothe, redditis captis suis, & alij de domo Ducis familiariores. Econtra illi dicebant, se de proprijs stipendijs militare, & ideo iustum esse, vt de captis sua reciperent: nec omnino stipem militiæ se habere posse dicebant, si eorum captiui in vsus alienos tollerentur. His contradictionibus Comes Adolfus animum Ducis grauiter irritauit. Et ex illo tempore seminarium discordiæ inter eos pullulat. Ipse autem cum alijs reuersus est in terram suā cum numerosa multitudine captiuorum & præda multa.

## CAPVT XXXIII.

*Vdalrici Halberstad. hostiles molitiones.*
*Henricus L. ἀμυνόμενος.*
*Halberstadium captū in cineres redigitur.*

VDalricus autem Halberstadensis ea tempestate impatiens quietis, vt suprà dictum est, zelo ductus antiquæ æmulationis, multis perturbationibus Ducem infestabat. Vnde Ecclesiam illam grauis iactura omni æuo geminanda subsecuta est. Nam cùm sæpissimè eruptiones fierent de Halberstad & de castro Horneburg, & succenderentur villæ Ducis, & homines sui aut mutilarentur, aut in captiuitatem traherentur, tanta commotus inquietatione, coadunatis amicorum suorum turmis, eas in partes illas misit, vt, si possent, debitam rependerent inimicis suis talionem. Abeuntes ergo, exustiones & deprædationes villarum multarum fecerunt: & venientes Halberstad, sine periculo inuitis hostibus ciuitatem obtinuerunt. Facta igitur discursione, ciuibus captiuatis, spolia multa acceperunt, vrbe adhuc illæsa, quæ vndique clausa & munita fuerat, in qua Dominus Episcopus cum multitudine armatorum consistebat. Prouidentia verò ciuium, qui periculum incendij timuerant, prouisum erat, vt in ciuitate ignis non inueniretur. Nec multum ab hostibus quærebatur ignis, eo quòd propter sanctimoniam loci parcerent ciuitati. Cumque vnus in loco quodam occultatum ignem inuenisset, ex eo casulam quandam incendit, & statim crescente incendio tota ciuitas conflagrauit, ita vt tota in fauillam redigeretur. Capitalis etiam Ecclesia B. Stephani & beatæ

Dei ge-

Dei genitricis Mariæ cum omni ornatu suo exusta est, &, quod sine gemitu dici non potest, multitudo clericorum, quæ quasi in asylo se illic receperat, cum ipsis locis sanctis excinerata est. Dominus verò Episcopus in domo propria ignibus circumdatus, cum agnato suo, Romano Præposito, & alijs multis captiuatus est, & reliquiæ B. Stephani, quas fortè ad præsidium Episcopus secum habuerat, de ignibus raptæ quasi semiustæ abductæ sunt. O iudicia Dei abyssus multa. Necesse est, vt veniant scandala, veruntamen væ homini illi, per quem scandala fiunt. Sed quis est, qui propter peccata sua concedat venire scandala? Omnes in tali casu innocentias suas prætendunt, errorem que suum quo tueantur, habent. Sed propter præcedentia delicta sæpe grauissima peccatorum nascuntur scandala. Vnde B. Gregorius dicit: Contemnenti, qui non vult pœnitere, ponit Deus offendiculum, sed vt grauius impingat, qui leuius pœnituit. Quædam enim peccata sunt peccata & peccati pœna: quædam autem sunt & peccata & peccati causa. Alia verò peccata & causa sunt peccati & pœna. Peccatum ergo, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Propter ergo præcedentia delicta, vt suprà dictum est, veniunt scandala, id est, grauiora peccata. Vnde dicitur in Psalmo: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Et alius Propheta: Sanguis sanguinem tetigit, id est, peccatum peccato est cumulatum. Sed nunquid per pastores Ecclesiæ & summos Pontifices possunt venire scandala? Ipsi enim populum Dei ad terram promissionis, vt olim Moyses, per huius seculi vastam solitudinem ducere videntur: Si modò eum via regia ducant, ita vt non cæcutiendo ambo in foueam cadant. Quid ergo, reprehendemus eos? Absit, sed geminis eos gladijs cinctos videmus, vno spirituali, altero materiali. Sed spirituali plus vtendum fuerat, materiali verò minus, contra eos tamen, qui excommunicationis sententiam minus formidant. Nunc autem ad ostendendam mundanæ gloriæ potentiam plus vtuntur materiali quàm spirituali, & in hoc arbitrantes se obsequium præstare Deo, sæpe minus proficiunt. Fortior enim spiritualis est materiali: quia viuus sermo Dei est, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Ecce enim Leo ille sæuissimus, ad cuius rugitum contremuit terra, constrictus gladio spirituali, ad terram humiliatus est. Materiali verò exagitatus, ad iram stimulatus est, & inde maius creuit scandalum. Vnde plus materialiter & in hoc certamine & in superiori est conflictum. Sed ista relinquentes ad propositum redeamus, ne temere sacerdotes reprehendere videamur. Ipsi enim in specula Domini peruigiles stare videntur, tanquam rationem reddituri de animabus subditorum.

*Vdalrici periculum & captiuitas.*

*Exclamatio cum digressione de scandalis.*

*Peccatorũ discrimen.*

*Auctoris πρόβλημα.*

*Pontificum & Episcoporum duo gladii.*

*παῤῥησία.*

*Anathematis Pontificis vis.*

*Ministrorũ Ecclesiæ officium.*

## CAPVT XXXIIII.

IGitur depopulata vel potius exusta ciuitate, sacrilegi illi tripudiantes reuersi sunt Brunschwig. Dux verò cùm audisset ciuitatis deprædationem, & vidisset captiuorum multitudinem, lætatus est. Sed cognita exustione tantarum Ecclesiarum cum multitudine clericorum, videns etiam Dominum Episcopum cygneo capite grandæuum, & iam vltima ætate fathiscentem, captiuum adductum, præterea reliquias beati protomartyris Stephani semiustas, & squalore incendij fuscatas, quasi ad triumphi decorem vnà cum Episcopo adductas, deiecta facie vbertim lachrymas profudit, præter voluntatem hæc facta fuisse testans, & amarissimè deplorans. Nec tamen ad præsens captiuitatem illam relaxauit, sed Dominum Episcopum Herteneburg deduci fecit, & eum honestè, sub custodia tamen, præcepit tractari. Quem religiosissima Ducissa Mechthildis pietatis affectu complexa, quasi pro reuerentia sacerdotalibus vestibus bonis largè induebat, vt in tali statu nihil ei deesse videretur. Romanus verò, consanguineus eius & concaptiuus, in castro Sigeberg in custodia tenebatur. Interea homines Episcopi de Horneberg zelantes iniurias Domini sui, frequentem insultum hominibus Ducis fecerunt, & discurrentes per regionem illam, circumiacentes villas incendijs vastauerunt. Vnde Dux offensus exercitum illuc misit, & castro exusto, in solitudinem illud redegit. Post hæc in natiuitate Domini egit diem solennem in Luneburg, & vocãs Domi-

*Henrici L. in victoria moderatio.*

*Mechthildis vxor.*

*Vindicta de hoste.*

*Clementia.* num Episcopum, statuit cum eo conditiones pacis. Et relaxata captiuitate, eum honore eum ad sua remisit. Veniens autem Episcopus in Husenburg, infirmitate *Vdalrici è custodia dimissi mors.* tactus, ibidem per aliquod tempus ægrotare cœpit. Crescente autem dolore corporali, temporalibus incommodis exemtus beato fine diem clausit extremum.

## CAPVT XXXV.

*Henrici L. expeditio Thuring. Northusiũ.* ADueniente autem Maio, Dux cum expeditione intrauit Turingiam, & exussit ciuitatem, quæ dicitur Koniges Northausen. Cui occurrit Ludouicus Co- *Ludouicus Landgr.* mes prouincialis cum multitudine magna, commissumq; est prælium inter eos, & *Hermannus Palatinus.* fugati sunt Turingi, & Ludouicus captiuatus est cum fratre suo Hermanno Palatino & cum militum multitudine. Exaltatus est autem Dux in die illa, & factum est gaudium, & exultatio in omni domo eius. Et reuersus est Brunschwig cum in- *Adolfi & Guncelini Comitũ contentio.* finita turba captiuorum & spolijs multis. Cumq; vna dierum intraret ad eum Comes Adolfus, congratulans de victoria, & expetens ab eo licentiam reuertendi in terram suam, Guncelinus verbis calumniatorijs cum in conspectu Ducis alloqui cœpit. Et cùm prius amicissimus eius fuerit, quasi tergiuersando occasiones quærens aduersus eum, conqueri Duci cœpit, multas sibi iniurias ab eo illatas fuisse, & non solùm ab eo se in multis inquietatum, verùm omnes, qui Duci deuoti fuissent, ipsi semper exosos fuisse. Insuper ipsum Dominum Ducem hanc ab eo iniuriam suscepisse, vt captiuos suos ei, sicut cęteri nobiles, quasi vi ablatos repræsentare noluerit. Cui Comes Adolfus: Vestræ quidem, inquit, potestatis est, hoc mihi in conspectu Domini mei, Ducis, impingere, cùm vobis paratissimus & deuotissimus in omnibus semper fuerim. Nunc autem in quibus à me læsi fueritis, coram Domino meo proponite, vt de his me, si potero, aut iustè expurgem; sin autem, iustè vobis coram Domino meo satisfaciam. Si quid tum Domino meo in me displicuit, sicut iustum est eum de me quæ voluerit iudicare, ita promptum erit, me omnem ei satisfactionem exhibere. Quia autem dicitis, illos me exosos habere, qui Domino meo fuerint deuoti, voluntatem quidem vestram dicitis, cùm hoc probare non possitis. Hoc etenim certissimè de me omnibus constat, quod semper Domino meo fidelis perseuerauerim, egrediens & regrediens & pergens ad imperium eius. Si quis autem aliud de me indicauit, in præsentiarum eum coram Domino meo mendacem conuincam. Veruntamen si placeret Domino meo, vt in pręsentia ipsius honestius tractarer, tanto fiducialius in conspectu eius apparerem. Dux autem quasi dissimulans altercationes eorum, sic respondit: Adolfus satis quidem innocentias suas prætendit. Fateor autem, quòd deuotus valde in omnibus nobis *Henricus L. ius suum vrget.* astitit. Sed in hoc non iustè prætendere potest, quòd in proximo conflictu captiuos nobis non reddidit. Nunc autem captiuos, quos habet, reddat, ne alij eius exemplo suos etiam detineant. Habebat autem tunc Comes Adolfus cum Comite de Dasle & cum alijs socijs captiuos insignes septuaginta duos. Quare Adolfus *Adolfi excusatio.* Comes: Domine nouistis, ait, me in hac expeditione omnia mea insumsisse, equos militum * riuisinosq; seruorum innumeros perdidisse, & nunc si captiuos vobis reddidero, nihil superest, nisi vt pedes domum meam reuertar. Et his dictis, exiuit à conspectu Ducis, & obortis lachrymis conquestus est omnibus amicis suis, quantas à Guncelino Comite verborum calumnias passus fuerit, & quòd suis cauillationibus eum Duci suspectum reddiderit. Post hæc cùm impetrata licentia abisset cum alijs nobilibus, alienatus est ab eo, & infirmata est pars Ducis propter defe- *Defectio, in deq; bellũ.* ctionem eorum. Dux autem vt agnouit, quia defecisset ab eo, occupauit omnem terram eius trans Albiam, & expugnauit castrum Plune, & eiectis hominibus suis, *Marcradus.* collocauit illic Marcradum præfectum Holsatorum. Castrum autem Sigeberge *Bernhardus, C. Raceburg.* quia inexpugnabile erat, diutina illud obsidione expugnabat per Bernhardum, Comitem de Raceburg, quod mater Comitis, Domina Machtildis, constanter te- *Mechthildis virago.* nebat. Exiccata autem cisterna, sitierunt hi, qui in castello erant, & arebant fauces *Leopoldus Bauarus.* eorum propter siccitatem sitis, & necessitate compulsi, sub conditione pacis castrum dederunt. Et præfecit ei Dux Lupoldum quendam, natione Bauarum, virum pru-

rum prudentem & strenuum. Domina verò Mechtildis cum suis abijt Schawenburg. Porrò Comes Adolfus cum suis amicis & cognatis castrum Honroth destruxit, quod è regione castri sui vltra Wiseram Conradus de Rothe ædificauerat.

*Adolfus C. Côradus de Rothe.*

## CAPVT XXXVI.

IMperator autem audiens, quod defecissent hi à Duce, conuertit faciem suam venire in Saxoniam, & timuerunt valde omnes viri bellatores, qui erant in castris Ducis à facie eius. Et eo approximante, sine necessitate, sed ex voluntate omnia castra eius firmissima & seipsos in potestatem Imperatoris tradiderunt. Multi enim ministerialium Ducis, qui ab incunabulis ab eo educati fuerant, & quorum patres sine omni cõtradictione ipsi seruierant, vt Henricus de Witha, Lupoldus de Hertesburg, Ludolfus de Peina, & plures alij recesserũt ab eo, & ad Imperium se transtulerunt. Inualuit ergo Imperator, cùm obtinuisset castra firmissima, Hertesburg, Lawenburg, Blanckenburg, Regenstein, & conuertit exercitum ad expugnationem Lichtenberg. Et post paucos dies tradita est in manus illius. Circa dies illos mortuus est Cazamarus, princeps Pomeranorum, Duci amicissimus, & defecerunt ab eo Slaui: quia frater eius Bugislaus Imperatori coniunctus, hominium & tributa ei persoluit.

*Cæsaris expeditio Saxon.*

*Defectiones ab Henrico L.*

*Blanckenburg. Regenstein.*

*Cazimirus & Bugislaus Pomeraniæ Principes.*

## CAPVT XXXVII.

IN diebus illis Imperator occupauit montem excelsum propè Goslariam, qui Hartesburg dicitur, firmans illic castrum & cingens muro valido. Hunc montem olim firmissimè ædificauerat Henricus Imperator senior, contra quem Henricus filius eius consurrexit, qui etiam expulit patrem, illatis crudeliter armis, qui etiam à Saxonibus in Welfesholtz bello fugatus est. Cumq; ipsum castrum quasi iugum totius Saxoniæ fuisset, & Imperator propter nimiam superbiam suam non solùm Saxonibus, sed etiam sedi Apostolicæ & omni ferè Imperio exosus fuisset, Saxonum Principes cum Episcopis apud Goslariam colloquium celebrare statuerunt. Et in conspiratione facta contra Henricum Cæsarem alium contra eum regem suscitare conati sunt. Sed cùm de electione regis schisma esset inter eos, & quiuis pro libitu suo illam vel aliam personam designaret, quæ idonea non esset, surrexit quidam inter eos, Conradus nomine, vir eloquens, & dixit ad eos: Vt quid discordatis, ô viri? nónne pro bono pacis conuenistis? Si placet consilium meum, ego vobis virum bonum demonstrabo, dignum honore regio, virum felicem in victorijs, per quem Dominus operetur salutem in nobis. At illi omnes assensum ei præbuerunt, vt quemcunq; ille designasset, hunc regem omnes salutarent. Qui assumtis secum socijs, abijt ad hospitium cuiusdam honesti viri, cui nomen Henricus. Sed intrantibus illis hospitium, ipsum non inuenerunt. Erat enim in horreo, aucupandi studio occupatus. Vxor autem eius illos intrantes honestè suscepit, dicens: maritum pręsentem non esse, non longè tamen positum. Cumq; illi destituerent equos, & conuiuium hospitibus instrueretur, illa clàm misit equos marito, vt equitando domum intraret, quasi de via venisset. Illi autem intranti occurrerunt, quos ille cum salutatione honestè suscepit, pręcipiens poni mensam, inuitans ad epulas. Cui Conradus respondit, Non comedam, donec loquar sermones meos. Qui ait, loquere. At ille: Salutant te omnes Saxoniæ Principes, rogantes vt quantocyus ad eos Goslariam venias. At ille respondit: Quid tantilli viri indigent Principes Saxoniæ? Surrexit tamen, & venit ad eos. Quibus Conradus, qui eum adduxerat, dixit: Ecce rex vester. Confestim autem omnes vnanimiter creauerunt eum regem. Et ex eo quod acciderat, quia in aucupando detentus fuerat, quod tamen illi quasi de futuro augurium erat, dictus est rex auium, Teutonicè autem *Vogel Konig*. Ille verò sublimatus in regem, dixit ad Principes: Quia dignati estis, me vobis suscitare regem, iustum est, vt sacramẽtis fidem regi vestro faciatis. Cumq; omnes sacramenta ei fecissent, misit legatos ad eos, qui in Hartesburg erant, præcipiens

*Hartesburgum instauratum.*

*Henricus IIII. & V. Impp.*

*¶Huius narrationis fides penes autorem esto.*

*Der Vogel Konig.*

eis, vt quantocyus in præsentiam eius venirent. Qui abeuntes dixerunt eis, quæ ex ore regis audierant. At illi indignati, virgis excoriauerunt eos, & decaluatos ad Dominum suum remiserunt. Tunc qui maior inter eos fuerat, dixit ad socios: Nos quidem dehonestati sumus, sed estote viri constantes, & ignominiam nostram in gloriam conuertamus. Vidi hodie nisos volantes: isti excipient confusionem nostram. Descenderant enim ad balneum adolescentes nobiles plus quàm viginti, quorum reditum præstolantes omnes eos trucidarunt, & sic vlti confusionem suam ad regem reuersi sunt. Qui audiens quod factum fuerat, indignatus est valde, & cum multitudine magna obsedit castrum, & expugnauit illud, & ad terram vsq; deiecit. Dicunt autem quidam, quòd propter multam enormitatem de eodem perpetratam castro, & propter memoratum Henricum Imperatorem, qui vsque ad finem vitæ suæ à sede Apostolica excommunicatus fuerat, sub anathemate à Domino Papa damnatus sit locus ille, vt nunquam inhabitetur, sed cum Babylone in perpetua solitudine deputetur. Fridericus autem Imperator ipsum montem ædificare cœpit: quia etsi ille excommunicationis sententiam meruit, ipse tamen nihilominus vllam regni sui diminutionem pati noluit. Rebellabãt autem hi, qui in castro Waldenburg positi erant, & non valuerunt, sed potius castro eorum destructo ipsi ad castrum Imperatoris migrauerunt.

*Diræ in Hartesburgi instauratorẽ.*

*Earundem contemptus ex imperii commodo.*

*Waldenburg.*

## CAPVT XXXVIII.

*Bernhardus Raceburg. Henrico L. proditionis suspectus.*

*Eiusdẽ cum filio captiuitas.*

*Mulcta.*

*Godebusch.*

*Bernhardus Dux Saxon.*

POst hæc in natiuitate Domini, cùm Dux diem solennem egisset Luneburg, cœpit incusare Comitem Bernhardum de Raceburg, qui tunc cum ipso erat, de conspiratione aduersum eum facta, imponens ei notam perfidiæ & traditionis, dicens se indubitanter à fidelibus suis compertum habere, imò si necessitas exegisset, manifestis eum indicijs & testimonijs posse conuincere, quod cum inimicis suis hanc cõtra eum conspirationẽ fecerit, vt eum vnà cum vxore sua in Raceburg quasi ad epulas inuitaret, & sic insidijs dispositis conuiuantes occideret. Cumq; ad obiecta nihil dignè prætenderetur, captiuauit eum Dux vnà cum filio suo Volrado, & veniens cum exercitu Raceburg, obsedit eam, ipsum trahens secũ. Cui occurrerunt viri Lubecenses cum nauibus multis & armis & machinis, & creuit obsidio. Bernhardus autem necessitate compulsus, tradidit castrum, & ipse cum vxore & filijs & omnibus, quæ habebat, abijt Godebusch. Postea tamen cùm adhuc Dux eum suspectum haberet, quòd fidem integram ei non seruaret, quia adhuc cum inimicis suis familiaritatem habebat, secundam in terram suam profectionem fecit, & destructo castro Godebusch, spolia multa ibidem accepit. Ille autem fugiens, ad Bernhardum Ducem se transtulit. Dux igitur eiectis omnibus, solus potitus est omni terra, & cœpit munire castrum Raceburg, Sigeberg, Plune, plurimum confidens prælijs suis.

## CAPVT XXXIX.

*Principes in partibus Cæsaris.*

*Otho, Marchio Brandeburg.*

*Otho Diues, Marchio Mysn.*

*Ludouicus Landgr. Turing.*

*Henricus L. Lubecam munit.*

PRoxima autem æstate Imperator totus infusus finibus Ducis, in manu valida intrauit terram illius, & eiecturus eum de terra, in propria persona Albiam transire disposuit. Timens autem, ne post eum insurgerent insidiæ, Philippum Coloniensem cum alijs Principibus præcepit seruare Brunschwig, Bernhardum verò Ducem & fratrem eius Othonem, Marggrafium de Brandeburg, cum alijs Principibus Orientalibus propter Luneburgenses deposuit Bardewich. Ipse autem in comitatu habens Wichmannum Magdeburgensem & Dominum Bambergensem, Abbatem Fuldensem, Corbeiensem, Hersueldensem, cum Othone Marchione de Mysna, & multo robore militum Sueuorum & Bauarorum, conuertit exercitum versus Albiam. Quo appropinquante, Ludouicus Comes prouincialis, qui prius in Luneburg custodiebatur, deductus est Sigeberg, & in arctiorem custodiam est traditus. Dux autem eo tempore Lubeke constitutus erat, muniens ciuitatem, & erigens machinas multas. Quibus dispositis, in die Apostolorum Pe-

rum Petri & Pauli abijt Raceburg. Cumque manè inde proficiſceretur, tendens ad Albiam, ſecuti eum ſunt omnes, qui in caſtro erant, quaſi deducentes eum cum gaudio. Videntes autem hi, qui de parte Bernhardi Comitis ibi remanſerant, quòd vacuum eſſet caſtrum, repentè occupauerunt illud, & capta arce, concluſerunt valuas eius, & quotquot remanſerant de ſeruis Ducis, eiecerunt foras. Dux autem audiens, quod factum fuerat, frendens animo reuerſus eſt ad caſtrum, & inuenit contra ſe obſtinatos animos illorum. Repentè autem miſit Sigeberge ad Lupoldum, & Plune ad Marcradum, vt quantocyus venirent cum Holſatis, ſi fortè poſſet eijcere illos, quia pauci erant. Interea venit, qui diceret, iam appropinquare Cæſarem, & ſic imperfecto negotio abijt, amarus in indignatione animi ſui, & venit Erteneburg. Et videns appropinquare caſtra Cæſaris, ſuccendit ipſum caſtrum, & ingreſſus nauiculam, per deuexa Albiæ proficiſcens, abijt Stadium.

*Raceburgū defectione amittit.*

*Stadium opp.*

## CAPVT XL.

IMperator ergo tranſito flumine venit Lubeke, & acceſſit ei exercitus Slauorum & Holſatorum. Waldemarus quoque rex Danorum cum multa claſſe venit ad oſtium Trabenæ, & obſeſſa eſt ciuitas terra marique. In ciuitate verò erant Simon, Comes de Teckenburg, & Bernhardus, Comes de Aldenburg, & æquiuocus eius Comes de Welpe, cum Marcrado præfecto Holſatorum, & Emecone de Nemore, cum quibuſdā Holſatis ſtrenuiſſimis & multitudine infinita ciuium. Rex verò Waldemarus cum multo comitatu veniens in præſentiam Imperatoris, cum magna iactantia gloriæ ſuæ ei ſe exhibuit, & filiam ſuam filio ipſius, Duci Sueuiæ videlicet, deſponſauit, & Epiſcoporum iuramentis firmata ſunt ſacramenta coniugalia. In ipſo autem tempore obſidionis Dominus Henricus Epiſcopus in ciuitate conſtitutus erat, quem adierunt* burgenſes dicentes: Rogamus ſanctitatem veſtram, reuerendiſſime patrum, vt ad Dominum Imperatorem exeatis, & ei verbis noſtris dicatis: Domine, ſerui veſtri ſumus, Imperatoriæ maieſtati veſtræ ſeruire parati ſumus: ſed quid commiſimus, quòd tanta obſidione à vobis concluſi ſumus? Ciuitatem iſtam hactenus ex munificentia Domini noſtri Henrici Ducis poſſidemus, quam etiam ad honorem Dei & robur Chriſtianitatis in loco hoc horroris & vaſtæ ſolitudinis ædificauimus, in quo, vt ſperamus, nunc habitatio Dei, ſed prius per errorem gentilitatis ſedes Sathanæ fuit. Hanc igitur in manus veſtras non trademus, ſed eius libertatem viribus & armis, quantum poſſumus, conſtantiſſimè tuebimur. Hoc tamen rogamus apud Magnificentiam veſtram, vt data conditione pacis, eamus ad Dominum noſtrum, Ducem, percontatum ab eo, quid ſit faciendum, qualiter vel nobis vel ciuitati noſtræ in præſenti neceſſitate ſit conſulendum. Qui ſi liberationem nobis promiſerit, iuſtum eſt, vt ciuitatem ei ſeruemus; ſin autem, quod placitum eſt in oculis veſtris, faciemus. Quod ſi facere nolueritis, ſciatis, omnes nos pro defenſione ciuitatis noſtræ magis optare honeſtè mori, quàm fidei violatores inhoneſtè viuere. Epiſcopus ergo veniens ad Imperatorem, hæc diligentiſſimè perorauit. Monuit autem Imperatorem, vt memor conſanguinitatis & ſeruitij, quod ſæpius ei magnificè Dux exhibuerat, patientiam haberet in nepotem ſuum, Ducem. Imperator verò gaudens de aduentu Domini Epiſcopi, quòd pro fama bonæ opinionis eum diligebat, & libenter audiebat, ſic ait ad ipſum: Multum quidem gaudemus de aduentu veſtro, Epiſcoporum amantiſſime, & admodum gratum habemus veſtro frui conſpectu & colloquio. Sed quòd ciues veſtri arrogantiam verborum nobis offerunt, & quòd ciuitatem noſtram vltrò nobis non aperiunt, credimus, quòd nec vobis, nec alij, qui ſanæ mentis eſſe dinoſcitur, iuſtum videatur. Fatemur quidem, hanc largitate noſtræ munificentiæ quandoque nepotis noſtri fuiſſe: ſed ex quo ille propter ſuam contumaciam decreto omnium Principum publicam proſcriptionem meruit, iuſtiſſimè hæc noſtro poſſidetur titulo, cùm etiam quis Pon-

*Lubeca à Caſ. obſeſſa.*

*Waldemarus R. Dan.*

*Simon Teckenburg.*

*Bernhardus Oldenburg.*

*Bernhardus Welp.*

*Dani cum Caſ. affinitas.*

*Hēricus, Epiſc. Lubec. pacis internuncius.*

* oppidani.

*Caſaris reſponſum.*

tificum ſua receperit, quæ idem ſtabili tenuerat beneficio. Et nunc quidem valet manus noſtra eis reddere, quod meruerint. Sed quia nos cenſura iuſtitiæ omnibus magis patientiam exhibere oportet, quàm vindictam, ecce in hoc etiam eis conſentimus, vt ſicut poſtulant, eant ad Dominum ſuum, & cum eo de ſtatu ſuo conferant, vnum ſcientes, ſi in reddendo ciuitatem nobis non apparuerint, grauiorem de hac mora ſentient vltionem. Quod autem dicitis, vt patientiam habeamus nepotis noſtri, Ducis, ſciatis, quòd nimia patientia & multa clementia erga eum ſemper vſi fuimus. Vnde in ſuperbiam elatus, gratiam, quam inuenerat, in vacuum recepit, imò nec ipſam Dei gratiam, contra ſe exuberantem, vt debuit, recognouit. Quapropter ſciatis eum à Deo humiliatum, quia tam præpotentis viri deiectio non noſtræ virtutis eſt operatio, ſed magis Dei omnipotentis diſpenſatio. Epiſcopus ergo reuerſus in ciuitatem, ciuibus, quæ audierat, nunciauit. Qui ſine mora accepto conductu, abierunt Stadium, vbi erat Dux. Imperator verò conſiderans inualetudinem Epiſcopi, quia crebris incendebatur febribus, quibus etiam vſque in finem laborabat, miſit ad eum Phyſicum ſuum, vt potionibus ſuis debilitati eius corporis ſubueniret. Poſt aliquot autem dies burgenſes reuerſi cum Guncelino Comite, ex præcepto Ducis ciuitatem in manu eius tradiderunt. Verùm priuſquam ei ciuitatem aperuiſſent, exierunt ad eum, rogantes vt libertatem ciuitatis, quam à Duce prius traditam habuerant, obtinerent, & iuſtitias, quas in priuilegijs ſcriptis habebant, ſecundum iura * Soſatiæ, & titulos, quos in paſcuis, ſyluis, fluuijs poſſederant, ipſius auctoritate & munificentia poſſiderent. Imperator verò annuit petitioni eorum, & non ſolùm iſta confirmauit, verùm etiam quicquid à Duce de telonio ad ſtipendia Canonicorum in Lubeka vel in Raceburg donatum fuerat, ratum iudicauit. Comiti autem Adolfo medietatem tributorum totius ciuitatis de telonijs, de molendinis, de trapezitis in beneficio dedit, tum quia multum Imperio ſeruierat, tum quia propter ipſum ad tempus exulauerat. Et ita ingrediens ciuitatem, magnificè ſuſceptus eſt cum hymnis & canticis Dei, tripudiante clero & omni populo. Abbas autem monaſterij ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctiq; Ioannis Euangeliſtæ, veniens in præſentiam ipſius, ſuſcepit de manibus eius curtes, quas in ciuitate habebat, & agros quoſdam in campo eiuſdem ciuitatis, mediante Domino Henrico Epiſcopo, qui eaſdẽ curtes & agros denarijs ſuis emerat, & beatæ Dei genitrici & virgini Mariæ, ſanctoq; Ioanni Euangeliſtæ in eodem monaſterio obtulerat.

*Humanitas.*

*Guncelinus C.*

*Henricus L. fieri deditionem permittit.*

* fortè Suſatum opp. intelligit.

*Cæſar ſeruãtiſsimus æqui.*

*Eiuſdem in Adolfum C. munificentia.*

*Reſpectus ad monaſt. Lubec.*

## CAPVT XLI.

IMperator verò inde regrediens, tranſiuit Albiam, & caſtrametatus eſt iuxta Luneburg ad plagam occidentalem. Dux autem, vt ſuprà dictum eſt, apud Stadium poſitus erat, & illuc ſe quaſi propter loci firmitatem receperat. Quia etſi ab hoſtibus locus ipſe caperetur, ipſe tamen per aquas ſe euadere poſſe ſperabat. Maximo enim vallo ciuitatem ipſam circumdederat, & munitiones fortiſſimas cum machinis ibidem conſtruxerat. Et Guncelinus Comes, qui ipſum opus vrgebat, turres monaſterij beatæ virginis Mariæ, quia minus contiguæ videbantur, nimis tum temerario auſu deſtruxit. Quod ſine reatu perpetrari non potuit. Sed pro abundantiore cautela, dum talia fiunt, maiorem ſæpe ruinam per Dei vindictam operantur. Dux autem videns ſe in arcto poſitum, rogauit Dominum Imperatorem, vt ipſius conductu veniret Luneburg, ſperans ſe apud ipſum aliquo pacto miſericordiam inuenire. Qui cùm inter Herteneburg & Bardewich conduceretur, occurrit ei multitudo militum de caſtris imperatorijs, pacificè eum ſalutantes. Quibus reſalutatis: Non conſueueram, ait, in his partibus alterius conductum accipere, ſed magis dare. Et ita veniens Luneburg, omnibus modis per internuncios animum Imperatoris lenire ſtuduit. Captiuos etiam ſuos, Ludouicum Landgrafium & Hermannum, fratrem eius, Palatinum, de captiuitate laxauit, ſperans ſe his beneficijs gratiam aliquam mereri: ſed nihil inde conſecutus eſt. Imperator tamen inde proficiſcens, curiam apud Quidelingeburg

*Stadium ab Henrico L. præſidio & opere munitum.*

*Guncelinus C.*

*Henricus L. ſtudet recõciliationi Cæſaris.*

*Dimittit captiuos.*

ei præ-

ei præfixit, vt ibi inter Principes, quid de ipso fieret, iustitia mediante decerneretur. Vnde gauisi sunt omnes amici Ducis, sperantes aliquid boni ibi de eo ordinãdum. Vbi cùm nihil de causa ipsius tractatum fuisset, propter seditionem, quæ inter ipsum & æmulum eius, Ducem Bernhardum, coorta est, aliam ei curiam apud Erpisfordiam indixit. Tunc temporis Sifridus, Archiepiscopus Bremensis, in plenaria restitutione recepit Stadiũ cum omnibus alijs, quæ antea Dux quasi de Bremensi Ecclesia inbeneficiatus possidere videbatur. Sexcentas tamen marcas argenti Philippo, Coloniensi Archiepiscopo, persoluit, quem rogauerat, vt cum exercitu veniens, Stadium expugnaret. Qui cùm iuxta petitionem ipsius venisset, ille per dispensationem Imperatoris, vt dictum est, castrum obtinuerat, nec minus ille pecuniam sibi promissam exigebat. Comes etiã Bernhardus & Comes Adolfus castra & prouincias suas per imperatorem adepti sunt. Dux autem veniens ad curiam sibi præfixam, totum se submittens gratię Imperatoris, venit ad pedes eius. Qui de terra leuans, osculatus est eum, non sine lachrymis, quòd tanta inter eos controuersia diu durauerit, & quòd ipse sibi tantæ deiectionis causa fuerit. Quæ tamen an veræ fuerint, ambigitur: nam videtur eum verè non fuisse miseratũ: quia ad statum pristini honoris eum restituere non est conatus. Quod tamen propter iusiurandum ad præsens facere non potuit. Deniq; cùm omnes Principes ad deiectionem ipsius aspirarent, iurauit eis Imperator per thronum regni sui, nunquam se eum in gradum pristinum restauraturum, nisi id fieret in beneplacito omnium. Hoc tamen contra ipsum dispensatum est, vt patrimonium suum, vbicunq; terrarum fuisset, sine omni contradictione liberrimè possideret. Dux verò per trienniũ terram abiurauit, vt infra tempus id terram suam nõ intraret, nisi per Imperatorem reuocatus. Profectusq; est ad generum suum, regem Angliæ, cum vxore & liberis, & apud eum moratus est omni tempore illo. Quem rex Angliæ honestissimè suscipiens, ipsum quasi principem super omnem terram constituit, & omnes, qui secum exulabant, donis multis ampliauit.

*Bernhardus D. eius æmulus.*
*Sigefridus Brem.*
*Philippus Colon.*
*Bernhardus Raceburg. & Adolfus restituti in integrum.*
*Henricus L. Cæsari supplex.*
*Retinet patrimonium saluum.*
*Abit in voluntarium exilium.*



# ARNOLDI, ABBATIS LVBECENSIS,

## CHRONIC. SLAVORVM LIBER III.

### CAPVT I.

*ἀναρχία ex Henrici L. exilio.*



IN diebus illis nō erat rex in Israel, sed vnusquisq; quod rectum in oculis suis videbatur, faciebat. Siquidem post exilium Ducis Henrici, qui solus in terra præualuerat, &, sicut ab initio diximus, pacem maximam fecerat: quia non solùm finitimas, sed etiam barbaras & extraneas regiones ita freno sui moderaminis cōstrinxerat, vt & omnes sine terrore quiescerent, & terra propter quietis securitatem bonis omnibus exuberaret: tyrannico more vnusquisq; regnabat in loco suo, & alterutrū vim faciebant & vim patiebantur.

*Bernhardus Dux.*

Deniq; Bernhardus Dux, qui principatū obtinere videbatur, segniter agebat: & cùm prius in Cometia penitus strenuissimus fratrum suorum fuisset, ad Ducatū promotus, non vt verus princeps proficiebat, sed vt superpositus degenerabat, & quasi pacificum se exhibens, in omnibus tardus & distinctus erat. Vnde nec ab imperio iuxta statum prioris est honoratus, nec à Principibus, vel terræ nobilioribus, est reputatus.

*Adolfi C. nuptiæ.*

Circa dies illos Comes Adolfus duxit vxorem, filiā Comitis Othonis de Dasle, agente Philippo, Coloniensi Archiepiscopo, cuius propinqua erat, per quem etiam multum præualebat.

*Animaduersio in aduersarios.*

Cumq; obtinuisset omnem terram patris sui, eiecit omnes inimicos suos de terra, qui in diebus Henrici Ducis contra eum senserant, Marcradum videlicet præfectum Holsatorū, pro quo alium Cyriacum nomine substituit, qui tamen virtute & honestate longè inferior fuit, & Hemeconem, virum strenuum valde, & alios plures, quorum quidam transeuntes ad regē Daciæ, peregrinati sunt apud ipsum. Alij verò apud Comitem de Raceburg tempus exilij sui peregerunt.

*Bernhardus D. clientes sacramēto obstringit.*

Dux autē Bernhardus cum fratre suo Othone Marchione veniens Erteneburg, magnificū se illic exhibuit, & nobiliores terræ adesse præcepit, vt receptis ab eo beneficijs suis hominium ei facerent, & fidelitatem ei per sacramenta confirmarent. Cumq; ei se exhibuisset Comes de Racesburg & Comes de Danneberg & Comes de Luchowe & Comes de Suerin, expectabatur etiā

*Adolfus.*

Comes Adolfus, & non venit. Vnde eum Dux suspectum habere cœpit, & exinde occasiones discordiæ inter eos exortæ sunt.

*Lavvenburgum conditum.*

Dux autem Bernhardus in ipso tempore cœpit ædificare Lawenburg super littus Albiæ ad Orientalem plagam Erteneburg. Et desolato hoc castro, murum quo cingebatur destruxit, & ex lapidibus eius castrum suum nouum firmauit. Transitū etiam nauium, qui ibi erat, apud Lawenburg esse præcepit. Sed viri Lubecenses coram Imperatore conquesti sunt de mutatione illa, quòd propter longiorem & difficiliorem viam, maximā haberent in transeundo difficultatē. Vnde præcepit Imperator, vt apud Erteneburg transirent sicut prius.

*Infelix Bernhardi principatus.*

Dux igitur Bernhardus nominis sui extendere volens potentiam, nouis quibusdam inductionibus & inauditis ac intolerabilibus prouinciales suos grauare cœpit, & derelicto consilio senum, & acquiescens consilio iuuenum, minimum digitum suum grossiorem dorso patris faciens, aggrauauit iugum eorum. Vnde principatus eius versus eis in odium, & gloria in nihilum.

*Sigefridus Brem. Adolfi bellica virtus.*

Frater quoq; eius Sifridus, Bremensis Archiepiscopus, Cometiā Thetmarchiæ Adolfo Comiti adimere conatus est, & ad fratrem Ducē transferre. Quam Adolfus viribus & armis, inuito Episcopo, obtinuit, & eam sui iuris esse affirmauit.

## CAPVT II.

IN tempore illo mortuus est rex Danorum Waldemarus, & regnauit Canutus filius eius pro eo. Ad quem misit Imperator legatos honoratos, Sifridum videlicet, Archiepiscopum Bremensem, cum alijs nobilibus pro sorore ipsius, quam pater eius iam pridem filio eius desponsauerat, & vt partem pecuniæ persolueret, sicut determinatum fuerat. Hæc enim pactio desponsationis fuerat inter Imperatorem & regem Daciæ, vt quatuor millia marcarum cum filia persolueret librata pondere publico, quod Carolus Magnus instituerat, & vt in ipso tempore, quo filiam repræsentaret, partem pecuniæ, prout sibi visum fuisset, persolueret, & post sex annos desponsationis, dum nubilis ætas aduenisset (quia tunc puella septennis erat) sex hebdomadibus prius pecunia tota ex integro solueretur. Hæc priuilegijs vtrobiq; firmata erant, vt si quid horum negligeretur, hæc pactio seu desponsatio irrita haberetur. Venerunt igitur ad Egdoram fluuium legati Imperatoris cum quadringentis equis, quibus Comes Adolfus per triduum abundantissimè ministrauit. Canutus autem rex sororem quasi cum dedignatione eis tradebat, dicens, sororem suam nequaquam filio Imperatoris sociandam, si iuramenta patris temerare voluisset. Tradidit tamen eam illis cum equitatu & vestitura mediocri, sed non iuxta regalem magnificentiam, & partem quandam pecuniæ, vt dictum est, persoluit. Iam enim inter Imperatorem & ipsum discordia erat, quia Imperator ab ipso hominium exigebat, quod ei rex negabat: quia propter generum suum, Ducem Henricum, quem de terra eiecerat, occasionem rebellionis aduersus eum, vt quidam arbitrati sunt, suscipere attentabat.

*Waldemari regis mors. Canutus F. successor. — Sigefridus Brem. legationis Danicæ princeps. — Pondus Caroli M. — Adolfus C. — Canuti stomachus. — Dissidij causa.*

## CAPVT III.

CIrca illos dies ægrotabat Henricus Episcopus infirmitate, qua & mortuus est. Cumq; nimia corporis inualetudine laboraret, psalmodijs tamen & orationibus non minus intentus erat, & Missæ officium, quod in veneratione beatæ Dei genitricis Mariæ sine intermissione frequentabat, non nisi tribus diebus ante depositionem suam omittebat. Abstinentias etiam quasdam speciales vsq; in finem seruare laborabat. Cumq; vir Dei iam bonum certamen certasset, cursum cõsummasset, fidem seruasset, & iam de cætero coronam iustitiæ sibi repositam non dubitaret, cœpit tamen de vinea Domini, quam nouiter plantauerat in monasterio beatæ Dei genitricis, & S. Ioannis Euangelistæ, anxiari. Et quamuis iam dissolui cuperet, & esse cum Christo, vt pius tamen pastor paucis & adhuc tenellis ouibus luporum insidias curabat præuidere. Et dum à fratribus sæpe visitaretur, dicentibus: Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? dicebat, Gratias ago Deo meo, Iesu Christo, & pijssimæ genitrici suæ: quia per spem diuinæ clementiæ de morte quidem mea non contristor, sed de desolatione huius nouellæ plantationis non modicum conturbor. Ad cuius profectum in beneplacito Domini vellem adhuc superesse, & ipsam ad eius honorem, quantum possem, confortare. Sed inter hæc cum Psalmista cogitatum meum in Domino iactabo, qui in omnibus semper exaudiuit me, & factus est mihi in salutem. Cumq; sæpius ista replicaret, & ea attentius Domino commendaret, quadam nocte post matutinale officium, ac si diuinitus instructus, confidenter ait Abbati sibi assidenti: Confide, fili, in Domino, & constans esto, & de morte mea noli contristari: quia quod Domino placet, necesse est impleri. Hoc tamen certissimè scias, quod ad laudem nominis sui seruitium suum isto in loco confortabit, tantùm ne dubites, sed viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Sic confortatus in Domino, conuocatis fratribus, dicebat, se iam resolui: & accipiens olei sancti vnctionem, manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat, sumtoque viatico Dominici corporis dixit: O rex gloriæ veni cum pace. De cuius aduentu quasi iam securus adiunxit: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Cumq; magis magisq; morti propiaret, & iam lingua palpitante

*Hẽrici Episc. Lubec. ægrotatio. — Affectio erga sodalitatem monastic. à se institutam.*

in verbis deficeret, repente oculos, quos iam in morte clauserat, aperuit, & quasi exiliens, extensis manibus dixit: Ecce virgo. Quod qui aderant ad beatam Dei genitricem Mariam dictum credebant, cui idem antistes omni deuotione seruierat. Nec dubitari potest, quin eum mater misericordiæ in ipso mortis articulo consolata fuerit, quem tam deuotum ministrum semper habuit. *Mors.* Pòst de strato leuatus super cilicium depositus est, & sic extremum trahens halitum, 3. Cal. Decembr. in pace reddidit spiritum. *Inhumatio.* Cuius corpus in eodem monasterio, quod idem fundauerat, terræ reconditum est, inuitis tamen quibusdam & contradicentibus, qui eum deferre conabantur in maiori Ecclesia tumulandum. Sed Deus eum voto suo frustrari noluit. Quia cùm in eodem monasterio ęgrotaret, ibidem etiam sepulturam desiderans, ait: Hæc requies mea in seculum seculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam. Cuius animam in sorte beatorum reputatam credimus: quia ab ipsis puerilibus annis Christum secutus est. *Adolescentia studia. Patria.* Cùm esset circa ætatem viginti annorum iam adolescens factus, relicto studio Parisiensi, terram natiuitatis suæ egreditur, Brabantiā scilicet: quia de Brusle ciuitate oriundus erat. Et veniens Hildesheim, quia in artibus bene profecerat, scholas ibidem regēdas acceperat. Cumq; per tempus ibi stetisset, Dei nutu venit Brunschwig, & nihilominus scholarum curam suscepit regendam. Procedente autem tempore, febre tactus decubuit. In infirmitate autem positus tale vidit somnium: Videbat virum procerum valde & horrendū sese agitantem, ipse verò fugiens, venit ad fluuium latissimum: quem cùm propter timorē prædonis infesti anhelans transiret, venit ad monasteriū B. Ægidij: quod cùm intrasset, manus insequentis inimici euasit. *Monachatus e somnio.* Euigilans igitur, & diuinæ clementiæ circa se dispositionem sentiens, mox ad monasterium B. Ægidij deducitur, & tonsuratus habitu monachali induitur, & febrium importunitate cessante, & fluctibus secularium tempestatum eripitur, & sic Monachus factus Monachi vigilauit in actus. Nec, sicut quibusdam moris est, ad terram natiuitatis suæ vlterius, vel ad cognatos aut notos suos repedauit, sed cum Abraham terram suam veraciter egressus, omnia pro Christo reliquit, & summam præmij à Deo expectauit. *Beatitas æternæ vitæ itidem e somnijs asserta.* Vnde post decessum ipsius quibusdā spiritualibus personis Deus reuelare dignatus est, quòd post huius vitæ exilia ad gaudia transierit sempiterna. Nam infra octauam depositionis eius visum fuit Abbati per somniū, quòd sepulcrū eius aperiret, quasi in eodem monumēto aliquid negligenter factum fuisset, quod mutari debuisset: Cùm ecce Episcopus leuans se cœpit sedere, & cum magna gratulatione dicere: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, non delectasti inimicos meos super me, & ita ex ordine Psalmum ipsum prosecutus, Domino gratias agebat. Et veniens ad locum illum: Conuertisti planctum meum in gaudiū, &c. cœpit à se diuoluere panniculos, quos in exequijs acceperat, & dicere: Conscidisti saccum meū, & circumdedisti me lætitia. Et cùm consummasset psalmum: Domine, Deus meus, in æternū confitebor tibi, &c. dixit: Iam vlterius vobis non loquar: & ita terminata est visio. Quędam etiam monialis in Kenena vidit in visione columbam niue candidiorem volare in sinum suum. Quæ cùm nimis exhilarata fuisset, cœpit ei pastum offerre. Quæ ait: Non comedam: neq; enim columba sum, sed mercede conducta sum: dicam tibi quis sim. Illa verò timore perterrita dixit: Dic, quid mercedis accipies, vt dicas mihi, quis sis. Et illa: si, inquit, per circuitum anni ob memoriam mei dixeris Psalmum, In exitu Israel de Ægypto, &c. dicam tibi quiduis. Cumq; hoc deuotissimè promisisset, dixit: Ego dicor Henricus, & fui antistes in Lubeca. Cui illa inquit: Vbi nunc est conuersatio vestra? Qui ait, Inter choros angelorum. Talibus indicijs sperandum est, eum consortium beatorum meruisse. *Occupatio e simili dissimili.* Sed ne aliquibus absurdum videatur, quòd somniorum argumentis ista probamus, ad auctoritatē sancti Euangelij eos mittimus, vbi frequenter legitur, angelos in somnis apparuisse Ioseph, & illa vel illa de puero Iesu & matre eius ei dixisse. Præterea in sacra scriptura multa somnia recitantur, vt sancti Danielis & sancti Ioseph, quæ fidelia inueniuntur tam pro veritate scriptorum, quàm pro auctoritate eorum, de quibus scripta leguntur, qui sua testimonia sanctitate & meritis confirmarunt. Quod si auctori huius operis minus credi potest, quàm illis, aio quià verè potest. Ipse enim cum Apostolo testi-

monium

monium fidelitatis in hac parte sibi perhibet: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

## CAPVT IIII.

*Bernhardus D. notatus. Adolfus. Bernhardus Raceburg. Gunzelinus. Lauenburgum dirutum.*

DVx autem Bernhardus vt minus sapienter agebat, ideo minus prosperè procedebat. Nam, vt suprà dictum est, cùm quibusdam nouitatibus prouinciales grauaret, contra Comitem Adolfum & Bernhardũ de Raceburg & Guncelinum de Suerin quædam ineptè molitus est. Adolfo siquidem Comiti omnem terram, quæ Racecowe attinere dicitur, quam Dux Henricus prius habuerat, & Todeslo ciuitatem adimere conatus est. Ciuitatem quoq; Lubeke sibi vsurpare volebat. Imperator verò ciuitatem propter vtilitatem tributorum, vel quià in fine Imperij sita est, sibi retinuit: pro qua tamen Duci Bernhardo Hidesacker & viginti mansos valde bonos consignauit. Quia verò Adolfus medietatem tributorum de ciuitate Lubeke ex beneficio Imperatoris habebat, propterea eum magis Dux Bernhardus impetebat. Comiti verò de Raceburg & Comiti Guncelino de Suerin partẽ quandam beneficiorum suorum minuere tentabat. Vnde commoti, conglobati in vnum, vrbem ipsius Lawenburg expugnare aggressi sunt. Cumq; aduersus eam ordinassent obsidionem, & machinas fecissent, post paucos dies eam ad solum diruerunt. Dux verò vt vir mansuetus eis talionem reddere nõ valens, Imperatorem adijt, & hoc in præsentia eius conquestus est. Illi autem cupientes excutere iugum eius de ceruicibus suis, quos ei amicos esse sciebant, de terra fugare conati sunt. Vnde congregato exercitu clàm terram Slauorum intrantes, occulto quodã aditu noctu occupauerunt castrum Ilowe, & clanculum illud intrantes, matrem Nicloti, qui Wertislai filius fuerat, inde eiecerunt, cæterisq; captiuatis, succenderunt ipsum castrum, & depopulata terra omni reuersi sunt ad loca sua cum spolijs multis. Boruinus verò filius Pribislai, qui filiam Henrici Ducis habebat, Mechthildam dictam, obtinuit castra Rostock & Mekelenburg. Niclotus autem fugiens, ad Ducem Bernhardum se contulit, quem frater eius Otho Marggrauius in castro Hauelberg collocauit. Vnde frequenter eruptiones faciens, terram Slauorum instanter vastabat. Quem adiuuabat Germarus, princeps Rugianorum, Bugislaus verò Pomeranorum princeps firmabat partem Boruini. Et ita consanguinei illi intestina inter se prælia miscebant. Præualebat tamen pars Nicloti, eo quòd Germarus, vir strenuus, terram Circipanorum plurimum vastaret. Cumq; quodam tempore Boruinus, qui & Henricus, terram illius piratis vastaret, captiuatus est à Germaro, qui coniecit eum in vincula, mittens eum Canuto, regi Danorum, apud quem diu in custodia seruabatur. E conuerso Niclotus, qui & Nicolaus, cùm in terra Bugislai prædas exerceret, captiuatus est ab eo, & coniectus in vincula. Sed cùm diu in custodia seruarentur, tandem soluti sunt ea conditione, vt à rege Danorum terram suam susciperent, & obsides, quos habere voluisset, darent. Dederunt ergo obsides 24. inter quos Boruinus filium suum dedit, & recessit à castro Rostock, tradens illud nepoti. Ipse verò Ilowe & Mekelenburg in possessionem sortitus est, rege sic disponente, qui iam terram Slauorum sibi subijcere cogitabat, & adijcere regno suo.

*Niclotus, Wertislai F. Boruinus Pribislai F. Otho, Marchio Brandeburg. Germarus, Princ. Rug. Bugislaus, Princ. Pom. Canutus R. Dan.*

## CAPVT V.

*Danorũ cultus & armatura. Opulentia.*

SIquidem Dani vsum Teutonicorum imitantes, quem ex longa cohabitatione eorũ didicerunt, & vestitura & armatura se cæteris nationibus coaptant: & cùm olim formam nautarum in vestitu habuissent propter nauium consuetudinẽ, quia maritima inhabitant, nunc non solùm scarlatico vario grisio, sed etiam purpura & bysso induuntur. Omnibus enim diuitijs abundant, propter piscationem, quæ quotannis in Sconia exercetur: ad quam omnium circumquaq; nationum negotiatores properantes, aurum & argentum & cætera quæq; preciosa illuc deferunt, & comparatis halecibus eorum, quæ illi gratis ex diuina habent largitate, quasi pro vili quodam commercio sua optima, nonnunquam etiam seipsos, naufragan-

do relinquunt. Repleta eſt etiam terra eorum equis optimis propter paſcua terræ vberrima. Vnde propter equorum copiam in militari palæſtra ſe exercitantes, equeſtri pugna ſibi & nauali gloriantur. Scientia quoq; liberali non parum profecerunt: quia nobiliores terræ filios ſuos non ſolùm ad clerum promouendum, verùm etiam ſecularibus rebus inſtituendos Pariſios mittunt. Vbi litteratura & idiomate linguæ terræ illius imbuti, non ſolùm in artibus, ſed etiam in Theologia multum inualuerunt. Siquidem propter naturalem linguæ celeritatem non ſolùm in argumentis Dialecticis ſubtiles inueniuntur, ſed etiam in negotijs Eccleſiaſticis tractandis boni decretiſtæ ſiue legiſtæ comprobantur. Præterea religionis vigor apud eos multum florere dinoſcitur, eo quòd Æſchylus Lundenſis Archiepiſcopus, vir ſummæ pietatis, quiq; etiam relicto Epiſcopatu, quietam cupiens ducere vitam, ad Clareuallenſe monaſterium ſe cōtulit, vbi ſanctè & iuſtè viuendo vitam in pace finiuit, loca multa ex omni ordine ſpiritualium, tam virorum quàm mulierum, in partibus illis conſtruxerit. Quæ quaſi cedrus Libani multiplicata, non ſolùm Daniam, ſed vt vineā Domini Zebaoth extenſis palmitibus vſq; ad mare, imo vltra mare etiam Slauiam repleuerunt. Dominus quoq; Abſolon, qui loco regiminis ei ſucceſſit, zelo iuſtitiæ accenſus, & armatura Dei procinctus, in promouenda religione nequaquam ſegnior fuit. Qui cùm à Domino multis virtutum polleret dónis, ſpecialiter tamē theſauro bonæ conſcientiæ, decore videlicet caſtitatis, vernabat. Vnde velut lucerna ardens & lucens æmulatione ſua prouocauit plurimos, iuxta illud: Videte quemadmodum non ſolùm mihi laboraui, ſed omnibus quærentibus veritatem. Hic quoq; cum Apoſtolo ſubditos ſuos æmulans Dei æmulatione, dum eos ad cuſtodiam caſtitatis arguendo, obſecrando, increpando informaret, multas & graues contradictiones à quibuſdam pertulit. Nec mirum. Carnalis enim mens dum conſuetudine peccandi ligata fuerit, aut vix aut nunquā iugum diaboli à ſe remouere poteſt, ſed cum aſina foris ſtat in biuio ligata ad opera communia, vt quoties ei onus imponere voluerit, ſine contradictione ferat illud. Quia quaſcunq; ſordidas cogitationes immundi ſpiritus ei ſuggeſſerint, tanto delectabilius ſuſcipit, quanto nequius inferuntur. Et ideo cùm à rectore corripitur, intelligere non poteſt: quia ſpiritualiter exanimatur. Inde fit, quòd tales ſtimulo recalcitrantes contra Prælatos oua aſpidum congerunt, dum conſpiratione facta ſeditiones commouent, & iuſtam magiſtri admonitionem oppreſſionem nominãt, & inde calumniam in ſe queruntur. Vnde correptionis verba contra ſe iuſta proferunt. De ordine quoq; coniugali multi in ſua vocatione religioſi inuenti ſunt hoſpitalitatem ſectantes, eleemoſynis vacantes, fidem coniugij ſeruantes, orationi intenti & cætera iuſtitiæ opera implentes. Quid de rege dixerimus: qui adhuc in iuuenilibus annis in omni actu ſuo ita grandæuū ſe exhibuit, ac ſi de ipſius grauitate pariter illud ſapientiæ dictum ſit: Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neq; numero annorum computata. Siquidem vt aſſolet talis ætas, non ludis in ſpectaculis ſe ingerebat, non diſcurſibus aut vagationibus ſtudebat, nec lubricitati deditus, coniuge cum caſta viuebat caſtior ipſe. Inter miſſarum quoq; ſolennia non, vt quibuſdā moris eſt, ſuſurrationibus aut placitationibus intendebat, ſed codices pſalmorum aut aliarum orationum habens præ oculis, orationi deuotus incumbebat. Et quia ſapientiæ adhæſit, quæ dicit: Per me reges regnant: ideo Deus regnum illius firmat, vt cùm tempore auorum ſuorum in regno Danico triarchæ vel etiam tetrarchę fuerint, ipſe ſolus monarchiam regeret, quam tamen pater eius multo labore & prudentia obtinuerat. Canutus ergo multam pacem habens in regno ſuo, animaduertit quod Slaui in diebus patrum ſuorū multas calamitates terræ ſuæ intuliſſent. Videns etiam eos auxilio Henrici Ducis deſtitutos, qui freno dominij ſui maxillas eorum conſtrinxerat, ſuſcepta aduerſus eos occaſione, bello eos aggreſſus eſt. Contra quos tamen conſilio vſus Abſolonis Archiepiſcopi prudentia magis quàm viribus præualebat.

*Militia. Studiū bonarum artium. Linguæ celeritas. Religio. Æſchylus, Archiepiſ. Lund. Abſolō eius ſucceſſor. Canuti regis elogium. Bellum Slauicum.*

## CAPVT VI.

*Lubecenſes petunt Epiſcopum à Cæſ.*

INterea autem vacabat ſedes Lubecenſis: quia Imperator in longinquo poſitus erat. Quem adierunt Canonici Lubecenſes, ſubmittētes ſe diſpenſationi ipſius, rogan-

rogantes vt per eius ordinationem Episcopum habere possent. Qui designauit virum quendam religiosum, Alexium dictum, Præpositum in Hildeburgerach, qui de ordine Præmonstratensium erat. Sed illi vnanimiter contradixerunt, & de ordine suo aliquem sibi præferri flagitabant. Qui communicato consilio familiariū, dedit eis Conradum capellanum suum, virum litteratum valde & facundum, & in causis tractandis acerrimum Oratorem. Sanè Imperator audierat, vel etiam perspexerat, statum Ecclesiæ Lubecensis (quia quasi de nouo suscitatus fuerat) adhuc tenerum, & ideo in multis neglectum esse. Quare virum hunc sapientem mittere eo decreuit, vt non solùm per eum illa proficeret Ecclesia, verùm etiā sua per eum in partibus illis firmarentur negotia. Accepta igitur Pontificali vestitura apud Egere, castrum Imperatoris, Dominus electus veniens in parochiā suam, decenter statum Ecclesiæ suæ ordinare cœpit, informans clerum ad religionis honestatem, adhortans eos castos, sobrios & sine murmuratione hospitales esse, cæterisq; studere virtutibus, quibus & Deo & hominibus complacerent: laicos verò, qui magis austeritatē quàm doctrinam mirantur, tanta prudentia moderabatur, vt eum supra omnes, qui ante eum fuerant, reuererentur. Non permittebat aliquem clericorū de alieno Episcopatu in sua diœcesi parochiā tenere, dicens, neminem posse duobus Dominis seruire. Et quemlibet parochianum semper paratum ad visitationes & vnctiones infirmorum & ad cętera spiritualis curę officia, & in cœna Domini ad pœnitentes introducendos, & chrismatis consecrationē, Pontifici suo assistere affirmabat. Super hoc etiā auctoritate Apostolici vtebatur. Quia dū cum Imperatore Veronā venisset, detulit litteras Lucij Papæ super eodē negotio, admodū pręcipiens, vt si quis clericorū de alieno Episcopatu in sua diœcesi Ecclesiā tenere voluisset, aut stationē in ea faceret, aut à beneficio cessaret. Necdū tamē consecrationē pontificalē susceperat, quā tamē nō sine causa differebat. Fortè statū Ecclesiæ, quā regere cœperat, prius explorare volebat, & vires suas prætentare, si onus impositū ferre potuisset, & versare diu, quid retractent quid valeāt humeri: vt si Ecclesia per eū proficere potuisset, subire laborē nō recusaret; sin aūt, humiliter cessaret. Erat siquidem multis Ecclesiasticis beneficijs ditatus in parochijs & præbendarū stipendijs, quibus abrenunciare timebat, nisi melioris status commutatione. Orta est autem dissensio inter Episcopū & Comitem Adolfum. Dicebat enim Dominus electus, homines suos in multis ab eo iniustè grauari, quædā etiam prædia episcopalia violenter occupari, & iustitias suas, quas in ciuitate sua Vtine de aduocatia cōsequi debebat, sibi frequenter per suos impediri. Et quia his reniti propter Comitis magnanimitatē non poterat, patienter ista, nō tamen sine amaritudine, videbatur dissimulare. Cumq; hoc Imperatori insinuasset, & nec sic in sua causa profecisset, cœpit à cœpto proposito quasi lentescere, & animo paulatim ad sua remigare. Et ita dispositis rebus suis abijt ad Sifridum, Archiepiscopū Bremensem. Quicquid mobilium habere poterat in argento vel supellectile, aut equis optimis, quos etiā quibusdam vi extorserat (quia aliquantulum cupidus erat) secum deferebat. Et resignans ei curam, quam ab ipso acceperat, rescripsit clero suo, se vlterius non reuersurum, absoluens eos ab obœdientia sibi ab eis facta. Sicq; inconsultis omnibus discessit, seu propter causas suprà dictas, seu pro alijs latentibus, vel quia maiora aspirare videbatur.

*Alexius ob ordinem repudiatus.*

*Conradus è mysta Episcopus.*

*Eiusdem in muneris sui functione dexteritas.*

*Institutum in demerendis incolis.*

*Prudentia.*

*Simultas cū Adolfo C.*

*Profectio ad Sigefridum Brem. munerisq; abdicatio.*

## CAPVT VII.

CAnutus verò rex Danorum incessanter vastabat terram Slauorum. Illi autem rebellare parantes, occupauerunt vadum, quod Dani transire debuerant, firmantes ex vtraq; parte castella, de quibus piratas eorum iaculando obruerēt. Catenis etiam ferreis semitam claudere tentabant. Sed nihil tali molimine proficiebant. Deniq; venientes Dani in manu excelsa munitiones fregerunt, & infusi finibus eorum, sicut locustæ vniuersam faciem terræ repleuerunt. Slaui verò impetum eorum ferre non valentes, in castris suis se receperunt. Illi verò abusi prouincijs eorum, comedentes medullam terræ, reuersi sunt ad loca sua. Sicq; per aliquot annos ascendentes tempore sementis & messis, depasti terram eorum, famis im-

*Canuti Regis bellū in Slauis.*

*Excursiones.*

portunitate fine gladij occifione ad deditionem eos coegerunt. Quodā igitur tempore Bugiflaus princeps fiue Rex Pomeranorum propinquum fuum Germarum, principem Rugianorum impetebat, talionem ei rependere volens, eo quòd idem Germarus regi Danorum in fubactione Slauorum promtulè affifteret: quia ex quo Chriftianitatem fufceperat, fub ipfius ditione confiftebat. Afcendit ergo ad eum cum fexcentis piratis, fine dubio credens fe omnem terram illius confumturum, quemadmodum ignis confumit ligna fyluarum. Ille autem occurrens, licet non ex æquo, fubitò eum in fugam vertit. Siquidem Dani non longè infidias tetenderant, quos Slaui de fuis effe credentes, nil fufpicati remigabant ad eos. Illi autem infultū in eos facientes cum Rugianis eos infequuntur, & alios quidem ex eis occiderunt, alios comprehenderunt, quofdam in mare præcipitauerunt. Siquidem Slaui videntes fe circumuentos, in perturbatione confilium non habentes (quia perijt fuga) ab eis credentes fe natando euadere, in aquis fuffocati funt. Alij verò littus apprehendentes, relictis nauibus, per fyluas & nemora errantes, in locis paluftribus fame & fiti perierunt. Reddidit quoq; eis Dominus in die illa, vt quia multos Danorum per aquas in captiuitate traxerant, ipfi quoq; in captiuitatem & exterminiū raperentur, ficq; Danorum feruituti fierent obnoxij, qui eorū libertati femper fuerant infidiati. Germarus autem cæteris omiffis Bugiflaum infequitur. Ille verò fibi cōfulens celeri fuga elabitur. Et ille poft tergum clamauit dicens: Quid eft, ô princeps Bugiflae? nonne nigrum & horridū illum Germarum ligare te iactitabas? expecta vt feruum abducas, quem confortem habere nolebas. At ille fugiens faluatus eft. Sicq; humiliatæ funt vires Slauorum, & feruierunt Danis fub tributo, tradito caftro Wollgaft in manu Regis cum obfidibus duodecim. Hæc autem non fine indignatione Imperatoris facta funt, qui fe dicebat dupliciter à Canuto rege iniuriatū, & quòd ab eo coronari noluerit, & quòd Slauos Imperio fubditos fuo dominio per tributum & hominium fubdiderit. Difcordantes etiam à Duce Bernhardo, Adolfum Comitem, Bernhardum & Guncelinum, propter caufas fuprà dictas, ad concordiā reformauit, ea cōditione, vt Adolfus Comes feptingentas marcas denariorū ei perfolueret, & gratiam eius pro caftro deftructo inueniret, & terram, quæ Ratecowe attinet cum ciuitate Todeflo, quam Bernhardus Dux requirebat, liberè obtineret. Bernhardus verò Comes trecentas marcas perfolueret, & totidem Guncelinus. Omnes tamen caftrum deftructum reædificare ftuderent.

*Bugiflai Pom. in Germarū Rug. expeditio.*

*Clades.*

*Fuga.*

*Slaui Dano vectigales.*

*Cæfaris cum Canuto fimultas.*

*Ab eodē reconciliati Bernhardo Duci Adolfus, Bernhardus Raceburg. & Guncelinus.*

## CAPVT VIII.

TVnc temporis mortuus eft nobiliff. ille* Manoe, rex Græcorum, qui filium licet puerum pro fe regnaturum reliquerat, cui etiam adhuc viuens filiam regis Francorum defponfauerat. Facta eft autem perturbatio mirabilis in ciuitate Conftantinopoli, & in omni regno illo: quia percuffo paftore, turbantur oues, & lupi rapaces, qui earum quieti in abfcondito infidiantur, per furta & mactationes & rapinas iniuftas manifeftantur. Erat enim ibi quidā inueteratus dierum malorū, Andronicus dictus, filius fratris regis defuncti. Qui regnandi libidine illectus, tutorē fe pueri regis affirmans, cœpit regnare, quafi pro ipfo caufam acturus, & regnū nepoti fideliter conferuaturus. Cumq; tali occafione inualuiffet, cœpit feditiones cōcitare, & maximam perfecutionem & cædē in eos, qui in parte regis effe videbantur, facere. Et cùm omnes, qui in fua parte ftabant, exaltaffet, illos verò aut humiliaffet aut neci dediffet, fecit occultè reginam matrem regis deduci, & in mare demergi. Sic omnes, quos in regno fibi aduerfarios timebat, aut vita priuabat, aut mutilabat, aut exilio damnabat. Habebat enim quendam auriculariū, fpecie quidem Monachum, fed in veritate Diabolum, qui ad hominū perditionem fub fpecie religionis in angelū lucis fe transformauerat. Ex cuius pendens confilio, omnes, quos ille ei fufpectos fecerat, ipfe ftatim exterminio tradebat. Cumq; vna dierū puer de matre quereretur, ille refpondit: De matris abfentia ne fis folicitus, falua enim eft, & in tuto loco confiftit. Et cùm per dies fingulos puer moleftus effet ei matrem requirendo, ille refpondit: Mater quidem tua falua eft, fed ne diutius de eius abfentia trifteris, ad eam quantocyus ibis. Et iuffit occultè puerum deduci & ficuti matrem necari.

*Manuel.

*Manuelis Comneni, Cæfaris Byzant. mors.*

*Andronicus.*

¶ *De hac tota hiftoria plenius et rectius Nicetas Choniates.*

*Monachus lerna malorum.*

necari. Quo facto, sponsam eius duxit vxorem, repudiatis duabus, quas antea legitimè duxerat. Post hæc dixit ad auricularium suum: Quid tibi videtur? num remãsit aliquis, qui insidietur honori meo? Est adhuc, ait, vnus de cognatis tuis, quẽ suspectum habeo. Sed quia illum propter nimiam consanguinitatem vita priuare nõ potes, reclude eum in claustro Monachorũ, vt vel sic cessét tibi vel regno tuo malignari. Quod cùm factum fuisset, adiecit: Nunc bene sunt omnia. Et ille: Bene quidẽ sunt omnia, sed de sponsa tua non bene sentio: ipsa enim videtur contra te amaritudines habere propter prioris sponsi memoriam. Sed hæc in confessione audienda est, vt sic occulta cordis eius manifesta fiant. Tu verò ipse, simulato vultu, sacerdotis vicẽ arripies. His ergo auditis, dixit ad eam: Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ: video in te amaritudines esse, sed vade & confitere peccata tua, vt sic à prauitate cordis tui mundata æquanimiter possis videre faciem meam. Illa autem abeunte, præuenit senex, sumtoq; sacerdotis habitu, dixit ad eam: Filia confitere peccata tua, & ne abscondas à me sermonem. Vicem enim Christi teneo: & quia ipse nouit omnia, nihil abscondas in tua conscientia. Illa verò simpliciter de venialibus confitente, vtpote iuuencula, quæ criminalia non nouerat, ille subiunxit: Num sincerè regem maritũ tuum diligis? Et illa: Diligo quidem regem vt Dominum & maritum meum, tamen si filio regis, qui mortuus est, nupsissem, magis diligerem: quia ipsi desponsata fueram. Nunc autem quia sic oportet fieri, istum fideliter diligo, & fidem ei cõiugalem integram custodio. His auditis, ille indignans surrexit & abijt. Quid plura? Illa sic repudiata, similiter eã cum alijs in exterminiũ misit. Post hæc cùm completa fuisset iniquitas illius, & iusto iudicio Deus malitiæ eius finem imponere voluisset, senex rursus consuluit collateralem suum, dicens: Num adhuc sperandum est, quòd sublatis æmulis securus super thronũ regni mei nullo turbante sedere valeam? Cui ille respondit: Securus quidem viuere potes, sed de monacho illo cognato tuo solicitudinem quamuis paruam habeo: qui si extinctus fuerit, de cætero sine timore quiesces. Ad hæc ille misso nuncio, eum accersiri iussit. Ille audito nuncio expauit, & venire distulit. Statimq; mittens, cõuocat amicos & notos, & eis legationem regis exposuit: seq; indubitanter ad mortem vocari sciens, rogauit eos, vt latenter sumtis armis secum ad palatium pergerent. Qui cõstanter accincti armis & animis ibant cum eo. Veniens autem ad primam custodiã, statim ipsum ianitorem interfecit, & idem ad secundam & tertiam fecit. Sicq; cum strepitu ingressus aulam, dixit regi: Ecce assum: vocasti enim me. Erat aũt rex cum paucis in cubiculo: quia terrente eum conscientia de multis sceleribus, nusquã audebat tutò consistere. Cui ille: Vocaui quidem, sed vade, reuertare, quia inordinatè intrasti. Non reuertar, ait, sed scio, quia post necem multorũ etiam quæris animã meam. Et irruit in eum. Ille autem fugã inijt, & ita per quendam occultum meatũ euasit, & venit ad castellum cuiusdã principis, quem idem pro causa iniusta effossis oculis cęcauerat. Dixitq; ad eum: En inimici quærunt animam meã, rogo vt facias mecum misericordiã, & præsidio mihi fias. At ille respondit: Quamuis iniustam in me exercueritis potentiã, probabo tamen, si potero, saluare animam vestrã. Et recepit eum in castrũ. Ille verò cùm cognouisset, quòd illic esset, insecutus est eum omnis populus, senes cum iunioribus (quia odibilis erat omnibus) & vi tollentes eũ de castro, reduxerunt in ciuitatem, & tractum per plateas omnigenis contumelijs affecerunt, & sine omni miseratione animam eius excusserunt, feceruntq; ei, sicut malè egerat contra proximos suos. Et vindicatus est sanguis innoxius in die illa. Porrò regnum ad æmulum eius translatum est Emmanuel* nomine, & prosperatũ est in manibus eius: quia in benedictione iustorum ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio.

*Cõfeßio auricularis.*

*ἔκδικον ὄμμα θεοῦ.*

*Nugatur.*

*Fuit is Isaacius Angelus. Vide Nicetam.

## CAPVT IX.

IN tempore illo Fridericus Imperator edixit curiã famosissimam & celeberrimã apud Moguntiã, quæ celebrata est in Pentecoste, anno verbi incarnationis M. C. LXXXII. imperij aut regni sui anno XXXVI. vt filium suum Henricũ regem, militem declararet, & gladium militiæ super femur eius potentissimũ accingeret. Ve-

*Conuentus Imperii Moguntiæ.*

*König Heinrich würdt wehrhafftig gemacht.*

nit igitur illuc omnis dignitas poteſtatis & principatus, ſublimitas Archiepiſcoporũ & Epiſcoporum, gloria regum, iucunditas principũ & multitudo nobiliũ, Imperatori certatim placere volentium. *Commeatus copia.* Quid de abundãtia, imò de ſupereffluentia victualiũ dixerim, quæ illic de omnibus terris congeſta erat: quæ ſicut erat inæſtimabilis, ita cuilibet linguarũ manet inedicibilis. Illic copia vini, quæ per deſcenſum ſimiliter per aſcenſum Rheni aduecta fuerat, ſicut in conuiuio Aſſueri, cuius menſura pro vniuſcuiuſq; poſſibilitate vel voluntate hauriebatur. Vt aũt nimium, &, vt dictum, inedicibilem apparatũ attendas, vnũ de nundinis referam, vt exinde maiora perpendas. Fuerunt ibidem erectæ duæ magnæ domus & ſpacioſæ intrinſecus, vndiq; perticatæ, quæ à ſummo vſq; deorſum ita gallis ſiue gallinis repletę fuerant, vt nullus eas ſuſpectus penetrare potuerit, non ſine admiratione multorũ, qui tot gallinas in omnibus finibus illis vix eſſe credebant. Officiũ dapiferi ſeu pincernæ, Camerarij ſeu Marſchalci, nõ niſi reges vel Duces aut Marchiones adminiſtrabãt. *Fanũ & regia temporaria.* Erat aũt prope ciuitatem inter Rhenum & Mogum quędam magna planicies. Illic Imperator propter ciuitatis anguſtiã, & aeris gratiã, Eccleſiam maximã & palatium de lignis honeſtiſſimè fieri iuſſerat, & alia habitacula diuerſa & innumera, vt ibi tãtæ ſolennitatis iucunditas honeſtiſſimè celebraretur. Cumq; in ſancto die Pentecoſtes, iam inſtante proceſſionis hora, Imperator Eccleſiam intraſſet, & corã eo ſederent ſummi Pontifices & principũ cõuentus, ſurrexit Dominus Abbas Fuldenſis, *Abbatis Fuldenſis ambitio.* & ſic ei locutus eſt: Rogamus ſerenitatem veſtrã, Domine, vt hæc audiatis. Ad hæc Imperator, Audio. Et ille, Domine, diu eſt, quòd Dominus Colonienſis, qui aſſidet, Fuldenſem Eccleſiam ſiue cœnobiũ, quod gratia Dei & veſtra munificentia regimus, quodã iure ſuo priuat. Cui Imperator: Aſſignate, quod dicitis. Et ille: Fuldenſis, ait, Eccleſia hanc habet prærogatiuam ab antiquis Imperatoribus traditã, vt quotieſcũq; Moguntiæ generalis curia celebratur, Dominus Archiepiſcopus huius ſedis à dextris ſit Imperatoris, Abbas Fuldẽſis ſiniſtrã eius teneat. Et quia diu Dominus Colonienſis nos in hac parte ſupplantat, rogamus, vt veſtro interuẽtu hodie locũ nobis debitum ſibi non vſurpet. Et dixit Imperator Archiepiſcopo: Audiſtis, quid dixerit Abbas. Secundũ petitionem ipſius rogamus, vt hodie iucunditatem noſtrã non turbetis, & locũ, quem ſui iuris eſſe affirmat, ei non negetis. Ad hæc verba ſurgens Archiepiſcopus, dixit: Domine, vt ſerenitati veſtræ placet, fiat, Dominus Abbas locũ, quem deſiderat, teneat, ego aũt ſalua gratia veſtra ad hoſpitiũ meum vadã. Cumq; iam abire pararet, ſurrexit de latere Imperatoris frater eius Palatinus de Rheno, *Principes, Colonienſis clientes.* & dixit: Domine, homo ſum Colonienſis, iuſtũ eſt vt eum ſequar, quocunq; ierit. Deinde ſurgens Comes de* Aſſowe, dixit: Et ego in gratiam veſtrã ſequar Dominũ meum Archiepiſcopum. **Fortè Naſſavv.* Similiter & Dux Brabantiæ & alij multi viri potentes dixerũt. Reſpondens aũt Ludouicus, Comes prouincialis, qui fuit homo Abbatis, dixit Comiti de Aſſowe: Bene hodie beneficiũ veſtrũ meruiſtis. Cui ille: Et merui & merebor, ſi hodie neceſſitas exigeret. Abeunte igitur Archiepiſcopo, rex adoleſcens videns ſeditionẽ acerrimam fieri, exiliens de ſede ſua ſuſpenſus in collum eius dixit: Rogo te, patrũ amantiſſime, vt maneas, ne gaudium noſtrũ in luctum conuertas. Ipſe etiam Imperator rogat eum ſubſiſtere, dicens: *Candor in Cæſare.* In ſimplicitate cordis noſtri, quod dictum eſt, diximus, & vos in perturbatione animi abire vultis. Nolite malũ hoc facere, & ſeditionẽ acerrimã concitare. Cui ille: Non credebã, inquit, quòd tantam iniuriã in conſpectu principum mihi inferre velletis. *Iſthæc cõmemoratio exprobratio eſt immemoris beneficii.* Ecce in ſeruitio veſtro cõſenui, & certamen, quod vobis certaui, teſtantur canica pitis mei in periculo vitæ meæ. Et quod maius eſt, proh dolor, animæ meæ tribulationes & anguſtias multas trãſiui, nec aliquãdo pro honore Imperij mihi vel rebus meis peperci. In Longobardia deuotionẽ meã vidiſtis, apud Alexandriã nihilominus felicitatẽ animi mei ſenſiſtis, & quæ in Saxonia non ſemel fecerim, ſed ſæpius, animaduertiſtis. Et cùm in omnibus his ſecũdus nulli fuerim, miror cur hodie Abbatẽ iſtum mihi pręferre volueritis, de cuius pręſumptione vos ipſum ſuſpectũ habeo, quia niſi voluntatẽ veſtram in mea humiliatione ſenſiſſet, nunquã aduerſum me calcaneum ſuũ leuaſſet. Nũc ergo, ſi placet, ponantur ſedes ſolito, & ſi ſedẽ meã deiecerit, ſine contradictione ſimilis ſit altiſſimo. Siquidẽ Colonienſis arrogantiã

Abbatis præſenſerat, & cum quatuor millibus & ſexaginta quatuor viris armatis ad curiã venerat. Tunc ſurrexit Imperator, & dixit: Innocentiã quidem noſtrã ſuper hac impoſitione verbis prætendimus: ſed ſi adhuc diffiditis, iuramento nos in præſenti expurgare non dubitetis. Et extendit manũ quaſi iam ſuper reliquias poſiturus. Ad hæc verba requieuit ſpiritus Archiepiſcopi, & dixit: Sufficit, quia verba veſtra pro iuramento mihi ſunt. Sed tamen hi, qui cauſa huius perturbationis fuerunt, non facilè ab hac ſuſpicione purgabuntur. Imperator autẽ dixit Abbati: Oportet vos ab hac iuſtitia veſtra, quam exigitis, temperare, & locũ Archiepiſcopo ſuperiorem dare. Sedata itaq; controuerſia, coronatur Imperator, & cum Imperatrice & filio coronato proceſſit. Abbas verò non ſine rubore locũ inferiorẽ tenuit.

*Fides.* *Fructus ambitionis.*

*In ſuperbiã.*

Væ tibi ſuperbia, quæ in cœlis quidẽ nata, ſed cum genitore tuo Diabolo ad inferiora barathri es demerſa, & quanto fuit terra altior gradus, tanto factus eſt inferior caſus. Tu quidẽ de ſtirpe peſſima pullulaſti, & infectis parẽtibus primis per inuidiã Diaboli in orbem terrarũ introijſti. Tu aũt Diabole in lateribus Aquilonis ſedẽ tibi parabas: ſed credo, quia non ſedẽ materialem affectaſti, ſed per hoc à caritate Dei diſcedens, & in frigore malitię perdurans thronũ tuum ſuper filios ſuperbię erexiſti: qui ſublimes habent oculos, qui nõ cum Apoſtolo quę ſurſum ſunt, ſapiũt, ſed quæ ſuper terrã, quorum Deus venter eſt, & in prauitate cordis ſui machinantur malũ. Sed quid tibi cum ſpiritualibus? quid tibi cum his, qui religionẽ profeſſi in diuerſis gradibus Eccleſiaſticis conſiſtunt, & miniſtri Domini nuncupantur, vel etiã cum his, qui ſacerdotio fungũtur, qui omni ſanctitate & iuſtitia Domino ſeruire videntur? Væ væ pręſumptioni tuę, qui multos eorũ in perditionẽ miſiſti. Nec mirum: quia contra altiſſimum præualere non potuiſti, contra eius membra acrius exarſiſti, dum de cœlo velut fulgur cecidiſti. Propterea Deus deſtruet te, in finem euellet te, & eliminabit te de tabernaculo ſuorũ electorũ & radicẽ tuã de terra viuentiũ. Parũne tibi videtur, quòd hoc feceris? quin etiã gregem Monachorũ inuadere pręſumſeris? dum eos ambitiosè viuere cogis, qui iugũ Chriſti ſuaue, & onus eius leue ferre detrectantes, iugum tuũ gratanter ſuſcipiunt, comeſſationibus & ebrietatibus ſeruientes, in ſuperbia vitæ ambulantes, concupiſcentia carnis & oculorũ ſeipſos ante Deũ ſemper polluentes. Væ tibi Leuiathan, qui fluuiũ abſorbes, & non miraris, & adhuc fiduciã habes, quod influat Iordanes in os tuũ, Iordanes inquam non ſolùm baptizatorũ, ſed etiam religioſorũ, monachorũ videlicet, qui pro Chriſto reliquiſſe videntur omnia, ſed pro his vitã æternam poſſeſſuri, dũ tuis peſtiferis ſuaſionibus aſſentiuntur, retrò aſpicientes ſimul perdunt omnia. Habitus enim religionis, quem pręferunt, pro quo etiã ab hominibus honores recipiunt, eos ſancto plenariè conformare nõ permittit, ſed dũ ſecularia meditantes, carnalia ſapiẽtes vani in cogitationibus ſuis ante Deũ efficiuntur, & præſens ſeculũ, quod appetunt, perdunt, & futurũ, quod quærere videntur, nõ inueniũt. Quos Leuiathan iſte tanto auidius appetit, quanto eos videt per profeſſionẽ religionis à ſe elongatos, & Deo per ſpeciẽ vnitos. Ipſe enim ſicut oculos protoplaſtorũ per concupiſcẽtiã aperuit, ſic etiã magis deſiderabilia cõcupiſcit: quia eſca ei⁹ eſca electa ſpiritualiũ, proh dolor, vita, quæ nonnunquã ab innocentia inchoat, ſed plerunq; dũ perficere debuit, ad lubricitatẽ deſcendit, quæ illi tanto ſapit ſuauius, quantũ per condimẽtum bonę actionis redolet ſpiritualius. O quàm dura ſunt, viri, quę dico: quia dũ alienam vitã non dijudicando ſed condolẽdo diſcutio, meipſum reprehendẽs, pœnitentiã nõ ago, non metuẽs illud Apoſtoli: Ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quid ergo, taceã an loquar? Conſcientia quidẽ tacere ſuadet, ſed caritas, quę verbum Dei alligatũ tenere nõ poteſt, loqui ſuadet. Loquar ergo, vt dum reprehendo aliena, erubeſcã propria? Quid enim olim erat vita Monachorum, niſi puritas innocentiæ, ſemita iuſtitiæ, viuendi forma, via paradiſi. Hæc enim eſt angelorũ ſocia, Apoſtolorũ aſſecla, martyrũ lætitia, confeſſorũ gloria, virginũ corona. Hanc præcurſor Domini Ioannes, primus eremiticam vitã ducens, docuit, Chriſtus in deſerto ieiunans confirmauit, eremitarum ſignis & virtutibus extulit, & cœnobitarũ innumera multitudo toto orbe terrarũ dilatauit. Hanc vt cognouerunt principes, glorificauerunt, eamq; ſuper aurum & topazion diligentes,

*Eccleſiaſticorum.* *Monachorũ.* *Vita religioſorum.* *Commendatio vitæ monaſticæ.*

*¶ Religio peperit diuitias, & filia suffocauit matrem.*

patrimonia latissima conferendo, copiosissimè dilatauerunt. Creuit autē possessio, & euanuit religio. Siquidem ex temporalium abundantia dum cœperūt carnaliter viuere, cœperunt etiam carnaliter sapere. Refrixit caritas, subintrauit mundialitas. Nec fuit locus religioni, vbi patebat introitus elationi. Nec stare potuit humilitas, quam fugat dominalitas. Et cœperunt concupiscere aliena, quibus nec licebat tenere propria. Sicq; factū est, vt sola remanserit religionis forma, cùm ex toto ab eis perierit iustitiæ norma. O Monache, qui vanū seruas nomē religionis, & vias sectaris superstitionis? Regulam profiteris: sed quasi conscientia illam discutiendo legis, cùm omnia in contrariū facis. Illa ascendit per gradus humilitatis, sed tu descendis per gradus elationis. Illa te vtiliter vult occupari aut opere manuū, aut oratione, aut in lectione diuina; tu verò otiū sectaris, ad curiositatē conuerteris. Illa te per obœdientiā precipuè docet saluari; tu verò contradictionibus plenus es. Et de obœdientia quidē caritatis nihil tibi constat, cùm obœdientia volūtatis aut necessitatis te impellat. Illa in rebus duris & cōtrarijs sibimet ex caritate obœdit, iuxta illud: Non veni voluntatē facere meam, sed eius qui misit me: hæc autē si ad voluntatem aliqua præcepta fuerint, suscipit iubētis imperium: sin aūt, minimè obœdit, nisi per necessitatis stimulū. Es ergo auditor legis non factor. In quo ergo habes fiduciam? legem non seruas, sed quasi de solo habitu & tonsura iudaizas. Vnde vereor, ne, quod facis, magis ex hypocrisi quàm ex veritate facias. Vis enim Monachus videri, religiosus prædicari, nec times irritare Deum, qui solus iudicat iustum & impium. Non attendis ei in Euangelio dicenti: Qui voluerit animā suā saluā facere, perdet eam. Et iterum: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Et temetipsum quidē abnegaueras, sed contra Christū sequeris temetipsum. Hominem abnegaueras, & hominem sequeris, qui vinctum trahit captiuatū te lege peccati. Sed iam conuertere ad Christū, & dic ei: Exurge Domine, non præualeat homo. Vltimum locum elegisti, ipsum humiliter teneas, vt veniens, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, non in conuiuio Imperatoris terreni, sed cœlestis: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

*Monachatus in superstitionē versus.*

*Imò, iustus fide sua viuit.*

*Ominosa ædificii temporarii ruina.*

Cùm autē per aliquot dies maximo tripudio curia illa celebraretur, vno dierum venit turbo vehemens, & subitò deiecit structuram illam ligneā, & attriti sunt in ea quindecim homines, siue ex incuria artificū ruina illa fit, siue secundum coniecturationem quorundam maiorem casum portenderit: quia non longo tempore pòst Imperatrix mortua est. Sicq; soluta curia, Ludouicus Prouincialis timens indignationem Philippi Archiepiscopi, secutus est eum in Coloniam, nec prius ab eo discessit, donec sedata commotione illa gratiam ipsius inuenisset.

*Mors Augustæ.*

*Ludouicus Landgr. Turing.*

## CAPVT X.

*Cæsaris & Papæ congreßio.*

SEquenti anno Imperator abijt in Italiam pro dispονēdis negotijs reipub. Et occurrit ei Dominus Papa Lucius apud Veronam pro quibusdam causis determinandis inter ipsos. Cumq; honestissimè susceptus esset a Veronēsibus & à clericis, qui illuc conuenerant de diuersis partibus terrarum, qui tempore Alexandri Papę à Schismaticis ordines susceperant, cœpit Imperator omni instātia intercedere pro ipsis ad Dominum Apostolicum, vt clementer circa ipsos dispensaret. Qui primò huic petitioni se beneuolum exhibuit, & eo vsq; annuerat, vt omnes petitiones suas scriberent, vt secundum casum singulorum dispensaretur circa ipsos. Et ecce altera die Dominus Papa mutat animum & propositum, dicens: Quoniam generali concilio, quod Venetijs celebratū est, vbi ipso Imperatore pręsente dispensatū fuerat, circa Dominum Christianum Moguntinū, & Dominum Philippū Coloniensem, & Dominū Mantuanū & alios plures, qui cum ordinatis suis persisterent, hi ab ordinibus suis suspensi fuissent, nulla ratione mutandum id affirmabat, nisi denuò in Cardinalium & Episcoporum generali collegio. Promisitq; Apostolicus, apud Lugdunū super eodem negotio se concilium habiturū. De qua mutatione Dominus Conradus Moguntinus & Dominus Wormaciensis suspecti habiti sunt. Hi autem, quibus spes de officijs recuperandis data fuerat, contristati sunt valde. Et cùm prius in

*ἐξαπίνας βροτὸς ἄλλος.*

prius in susceptione Imperatoris iucundissimè decantassent: Aduenisti desiderabilis: in luctum conuersi cantabant: Sustinuimus pacem, & non venit, domine, quæsiuimus bona & ecce turbas, &c. Quod tamē Cardinalibus valde displicuit, dicentibus: Ecce quanta est præsumtio Alemannorum, qui gratiam minando quærunt. Hoc taliter infecto negotio, tractabant inter se Dominus Papa & Imperator de patrimonio Dominæ Mechthildis, matronæ nobilissimæ, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadē Imperio collatum. Et econuerso Dominus Papa sedi Apostolicæ ab ea datum affirmabat. Cumq; in argumentū probandi testamenti ex vtraq; parte priuilegia porrigerentur, nullo fine causa terminata est. Aliud etiā habebant negotiū, quod maximum & præcipuū erat de electione Treuirensi. Siquidē metropolis Treuirensis vacabat, in qua duo electi erant Volcmarus & Rhudolfus. Volcmarus quidē prior à saniore parte electus est. Rhudolfus verò posterior à parte inferiore. Cumq; schisma inter eos esset, Volcmarus quasi de canonica electione præsumens ad sedem Apostolicā appellauit, Rhudolfus verò ad Imperatorē se transtulit. Imperator ergo audiens quod factum fuerat propter dissensionē electionis, inuestiturā dedit Rhudolfo. Apostolicus itaq; affirmabat partē Volcmari propter canonicā electionem. Et Imperator pro Rhudolfo erat propter electionis dissensionē. Sicq; ab inuicem discesserunt, vt quiuis suam partē diceret esse iustiorem. Procedente ergo tempore, cùm Volcmarus sequeretur curiam Romanā, & pro suo negotio molestus esset Apostolico. Apostolicus missa epistola peremtoriè citauit Rhudolfum, qui tunc cum Imperatore erat. Quod Imperator audiens, non parū ægrè ferebat. Ipsum tamen ne contumax videretur, ad audientiā venire hortatus est, mittens secum duos decretistas & duos legistas: Decretistas quidē vt pro Rhudolfo essent iustitia canonum, legistas verò vt pro parte sua starent iure legū. Cumq; ad iudiciū ventū fuisset allegatū, nullo dato fine, Rhudolfus ad Imperatorē reuertitur, Volcmaro cum Apostolico remanente. Sic ex vtraq; parte perturbatio non modica erat: quia cùm pro eadē causa inter Apostolicū & Imperatorē cotidie grauiora emergerēt, fideles, qui schismatis vstionē experti fuerant, Ecclesiā denuò grauissimè scandalizandam timebant. Interea rex iuuenis & superbus zelatus pro Rhudolfo, Decanū & canonicos quosdā Confluentię, qui pro parte Volcmari stare videbātur, calumniatoriè aggressus est, & ablatis stipendijs, domos & possessiones eorū exterminari præcepit. Apostolicus verò exinde magis commotus, Volcmarum ad Pontificatus apicē promouere decreuit. Quod audiens Imperator, per suos ei mandat, dicens: Quod si Volcmarū contra suam voluntatē ad summum sacerdotium promouere voluerit, omnem familiaritatē inter eos perpetuò expirasse certissimè sciat. Minas etiam quasdā terribiles addidit, quæ tamen pro discretione eorum, qui internuncij erant, ad medium non deuenerunt. Taliter ab inuicem disturbati Apostolicus & Imperator, quicquid moliebantur, cassum fuit, nec consilium in perturbatione stare potuit. Siquidem inter plurima negotia agebat Imperator cum Apostolico de filio suo rege, vt coronam Imperij super caput eius poneret. Et quia eum placabilem non habebat, consecrationem illius occasionibus differebat, quam tamen non sine ratione refellebat. Dicebat enim Apostolicus, non posse simul duos Imperatores regnare, nec filium imperialibus insigniri, nisi ea ipse prius deposuisset.

*Vindicta in cantilenis.* — *Ager Mathildis Com. controuersus.* — *Cōtentio de Episcopatu Treuirensi.* — *Hēricus VI. Rex.* — *Cæsaris excandescentia.* — *Papæ tergiuersatio.*

## CAPVT XI.

Accidit inter ista, vt Philippus, Coloniensis Archiepiscopus, quosdam negotiatores de Ausburg per fines suos transeuntes præpediendo detineret, & res illorū pro quadā iniuria ab eis sibi irrogata quasi pro pignore apud se reseruaret. Qui abeuntes ad regem, Imperatoris filium, quia ciuitas eadem Imperio contingebat, hoc conquesti sunt apud ipsum. Qui mittens præcepit Archiepiscopo, vt eis sua restitueret. At ille noluit, nisi prius iustitias, quas exigebat, fecissent. Et ita vacui reuersi sunt ad Dominum suum. Ille verò secūdò misit, nec perfecit. Tertiò misit sub obtentu gratiæ suæ, vt, quæ ablata fuerant, redderentur. Durè hoc accepit Archiepiscopus, dicens, neminem posse duobus Dominis seruire, & ideo nō posse duos principes regnare. Cūq; hæc verba ad regē perlata fuissent, irat⁹ est valde, & indicta

*Philippus, Archiepisc. Colon.* — *Eiusdē contumacia.* — *Vox seditiosa.*

curia,eum ad audientiam venire præcepit. Qui cùm non veniſſet,aliam ei curiam præfixit: ſed cùm nec tunc veniſſet, tertiam ei apud Moguntiam indixit. Qui acquieſcens cõſilio amicorum ſuorum, venit illuc cum multis nobilibus. Actum autem fuit clanculum cum illis, vt ſinguli per noctem venirent,& regi ſacramentum fidelitatis facerent. Epiſcopus autem videns ſe circumuentum,fecit quod neceſſitas imperabat, & regi ad voluntatem ad omnia reſpondebat. Expurgabat autem ſe ſacramentaliter de verbo ſuprà dicto. Vnde arguebatur hoc modo iurans,quòd pro nullo contemtu regis hoc verbum locutus fuerit. Aliud etiam ſacramentũ fecit: quia rex eum ſuſpectum habuit,quòd ad regem Angliæ ierat: quæ tamen ſuſpicio propter Henricum Ducem fuerat,qui tunc temporis in Anglia exulabat. Prçterea trecentas marcas ei compoſuit, ſicq; diſceſſit. Ex illo autem tempore à familiaritate ſe Imperatoris & filij eius elongabat, plurimum dolens, quòd tanta deuotione Imperio ſeruierat. Et cœpit Coloniã vallo maximo & turribus munire. Vnde Imperator eum ſuſpectum habebat,quaſi aliquid noui molientem.

*Purgatio.*

*Alienatio à Cæſare & rege.*

## CAPVT XII.

*Sigefridi Brem. mors. Hartuicus ſucceſſor.*

POſt dies illos mortuus eſt Sifridus, Archiepiſcopus Bremẽſis. Cui ſucceſſit Dominus Hartuicus, Canonicus eiuſdẽ Eccleſiæ. Qui primò quidẽ ſtrenuè agens, multa prædia,quæ à quibuſdam prædeceſſoribus negligenter inbeneficiata fuerãt, non ſine labore recepit. Cometiam etiam Thetmarchiæ,quam Adolfus Comes vi obtinuerat,inſtanter requiſiuit. Qui animaduertens in hac poſſeſſione cauſam ſuam non ſatis iuſtam,eandem quidem Cometiã reſignauit,ſed ab Epiſcopo ducentos modios auenæ Stadenſis menſuræ in beneficio ſtabili accepit. Hac ſerie temporum Dux Henricus,tranſactis diebus peregrinationis ſuę,reuerſus eſt in terram patrum ſuorum,& ſedit in Brunſchwig,contentus patrimonio ſuo,quod tamen ex magna parte à multis violenter occupatum fuerat. Imperator verò verbis bonis & conſolatorijs per litteras ſuas frequenter ei bonam ſpem faciebat: quam tamẽ varijs impeditus caſibus ad effectum non perducebat. Nam quicquid aduerſitatis ei illis in temporibus accidiſſet,ſiue ab Apoſtolico,ſiue ab Archiepiſcopo Colonienſi Philippo, vel à rege Danorum Canuto,qui filiam Ducis habebat,Ducẽ Henricum, quaſi per eum vel propter eum factum fuiſſet,ſuſpectũ tenebat,ideoq; ſegnius cauſæ ipſius intendebat. In ipſo autem reditu ſuo Dux audiens Dominum Hartuicum ad apicem Bremenſis eccleſiæ ſublimatum,lætatus eſt valde. Et quia quandoq; familiarem eum habuerat,dum ſuccedentibus proſperis notarius in curia ipſius fuerat,per quem etiam canonicatum Bremenſem obtinuerat, rogauit eum, vt ad colloquium ſingulare ſibi occurreret in loco, qui ſibi complacuiſſet. Qui minimè acquieſcens,nec videre nec ſalutare eum dignatus eſt, non aduerſitatis ſed proſperitatis amicus,nec de ſingulari amicitia,ſed de vulgari: quia vulgus amicitias vtilitate probat.

*Adolfus cedit Ditmarſia.*

*Henricus L. ab exilio redux.*

*Vocatur in ſuſpicionem à Cæſare.*

*In eundem Hartuici Brem. ingratitudo.*

## CAPVT XIII.

*πολυπραγμοσύνη Brem.*

INter hæc autem vacabat ſedes Lubecanæ eccleſię: quia Imperator in Italia poſitus erat, vt ſuprà dictum eſt. Sed Archiepiſcopus videns Canonicos eiuſdẽ eccleſię circa electionem Epiſcopi ſegnius agere, ipſe ſe huic ordinationi inſeruit, & canonicos omnes per litteras in Hammenburg in epiphania Domini citauit, cum eis ſuper eodem negotio colloquium habiturus. Qui cùm in Stadio poſitus eſſet, propter glacies hyemales fluuium tranſire nõ poterat: ſicq; caſſato itinere canonici ad loca ſua reuerſi ſunt. Poſtea ante purificationem B. Mariæ venit Archiepiſcopus Lubecam,& inuenit eos diſcordantes in electione. Siquidem maior pars conuenerat in Abbatem Herſefeldenſem, fratrem ipſius Archiepiſcopi, pars verò altera in Præpoſitum eiuſdem Eccleſiæ, Dauid nomine. Cumque neutra pars præualere potuiſſet, pari voto & vnanimi conſenſu conuenerunt in perſonam Domini Theodorici, qui Præpoſitus erat in Sigeberge & Keneua, virum iuſtum, manſuetum & pium. Qui cùm abſens eſſet, & à canonicis de electione ipſi intimatum fuiſ-

*Diſſidiũ Lubecenſiũ de electione Epiſcopi.*

*Theodoricus eiusque encomium.*

tum fuiſſet, occepit admodum refragari, indigniſſimum iudicans, apicem tantæ dignitatis ſuſcipere, plus oneris quàm honoris ſibi impoſitum fuiſſe proclamans. Nec ſine lachrymis hæc affirmabat, in veritate ſe humilians, iuxta illud: Non ſum Propheta, nec filius Prophetæ. Cùm autem ad hortationem ipſius Archiepiſcopi & Comitis Adolfi aſſenſum dediſſet, ne temerè aliquid aggredi videretur, manſit in Præpoſitura ſua Keneua toto anno illo, donec circa hyemem reuertente Imperatore de Italia occurreret ei cum Archiepiſcopo in Gillenhuſen. Vbi accepta pontificali inueſtitura de manu ipſius, reuerſus eſt cum Archiepiſcopo Bremam, ſicq; in Dominica Gaudete in Domino vnctus oleo ſanctificationis, conſecratus eſt per manus ipſius, & pontificatus infula decoratus. Inde ab Adolfo Comite honorificè deductus, priori die ante vigiliam natiuitatis Domini venit Lubecam. Vbi cùm iucundiſſimè ſuſciperetur à clero & omni populo cum hymnis & laudibus Dei, ipſe cum Domino ſe humilians, qui ſeipſum exinaniuit, non equo phalerato, ſed in aſello ſibi obuiam venientibus occurrit. Sic iſte diſcalceatus nudis pedibus tam ſolenniter ſibi occurſantibus obuius iuit. Confirmatus igitur in ſede Epiſcopali, humilitatis viam non deſeruit, omnibus verò ſe mitem & affabilem exhibuit. Per viſcera quoq; miſericordiæ pietatis erat operibus deditus, caſtus, ſobrius, pudicus, ita verus religionis cultor, vt tã Deo quàm hominibus cõplaceret.

*Inauguratio Cæſarea.* *Deductor Adolfus C.* *Solennis in Vrbem Lubec. ingreſſio.* *Muneris functio.*

## CAPVT XIIII.

CVm hæc agerentur, Rex, Imperatoris filius, in Italia duxit vxorem, amitã Wilhelmi Siculi, celebrauitq; nuptias in confinio Papienſium & Mantuanorum. Quas cùm iuxta regalem magnificentiam magnificè exhibere voluiſſet, omnes nobiliores non ſolùm de Italia, verùm etiam de Teutonicis partibus adeſſe rogauit. Inter quos Philippum, Colonienſem Archiepiſc. omni ſtudio, multis ſupplicationibus, omni controuerſia remota, præcipuè venire flagitauit. Cumq; Archiepiſcopus cum multo comitatu iter arripuiſſet, inſecutus eſt eum cum ſumma celeritate nuncius Archiepiſcopi Domini Conradi Moguntini, omnino diſſuadens hoc iter, dicens, eum de eodem conuiuio Coloniam nunquam reuerſurum. Qui timens ſibi iuxta commonitionem eius, ſimulata infirmitate excuſatum ſe haberi rogauit à nuptijs ſuis. Vnde magis ſuſpectus habitus eſt à rege & ſeruis eius.

*Henrici regis nuptiæ.* *Philippus Archiepiſ. Colon.* *Cõradus Moguntinus ſuſurro.*

## CAPVT XV.

CIrca dies illos Ludouicus, Landgrafius de Turingia, filius ſororis Imperatoris, repudiata vxore, quam prius habebat, opponens ei titulum conſanguinitatis, vxorem duxit matrem Canuti, regis Danorum. Quæ cùm multo theſauro & ſupellectile egreſſa fuiſſet de terra ſua, occurrit ei Landgrafius ad Egdoram fluuium, & ſuſcipiens eam de manu regis & Epiſcoporum eius, ibat per viam ſuam gaudens. Comes autem Adolfus honeſtiſſimè eam per terram ſuam ducens, abundantiſſimè ei hoſpitalitatis neceſſaria miniſtrauit, tum pro regis honore, tum pro ipſius Landgrafij familiaritate.

*Ludouici Lãdgr. Tur. cũ vxore diuortium.* *Altera nuptiæ.* *Adolfus C. eiusq; hoſpitalitas.*

## CAPVT XVI.

INter hæc autem defuncto Papa Lucio, Dominus Vrbanus in ſedem Apoſtolicam ſublimatus eſt. Cumq; inter ipſum & Dominũ Imperatorem colloquia celebrarentur pro negotijs ſuprà memoratis, quæ adhuc minimè determinata fuerant, Dominus Papa vt zelator iuſtitiæ pro defenſione ſanctæ Rom. eccleſiæ conſtanter agebat, nec terreni imperij metuens principatum, quæ ſui iuris erant, intrepidus requirebat. Arguebat ſanè Imperatorẽ de patrimonio Dominæ Mechthildis, de quo ſuprà mentio facta eſt, quod ab ipſo iniuſtè occupatũ dicebat. Affirmabat etiã, quòd Epiſcoporũ exuuias iniuſtè acciperet, quæ dum ipſis mortuis de eccleſijs rapiãtur, eccleſiæ quaſi corroſæ & expoliatæ ab Epiſcopis ſubintrantibus in-

*Vrbanus III. Papa Turbanus.* *Eius zelus ὐ κατὰ γνῶσιν.* *Accuſationis capita.*

ueniuntur, ita vt ex necessitate quadam raptores iniusti inueniantur, dum ablatis stipendijs, quæ confiscata fuerant, de nouo resarcire cogantur. Tertium etiam cōtra eum proponebat articulum, quòd Abbatissarum congregationes plurimas in dispersionem dedisset, dum propter enormitatem ipsarum sub emendationis occasione vsurpatis sibi stipendijs, personas quidem remouisset, nec alias ad honorem Dei vel ecclesiæ augmentum sub meliore professione restituisset.

*Cæsaris æquanimitas.*

Hęc autem Imperator, etsi non libenter, patienter tamen audiebat: quia de consecratione filij instanter agebat.

*¶ ἀσπὶς παρ' ἐκίδνε φάρμακον δανίζεται.*

Ad quod opus Dominus Apostolicus se omnino difficilem reddebat. Dicebat enim, vt à suo prædecessore instructus erat, quòd minimè Imperatoris filium imperialibus insigniret, nisi ea pater primùm deposuisset.

*Volcmarus Treuir.*

Inter hæc autem Volcmarus, electus Treuirensis, de quo superius dictum est, contra voluntatem Imperatoris per manus Domini Papæ ad summum sacerdotium meruit promoueri.

*Dissidiū Cæsaris & Papæ.*

Imperator hoc audiens, iratus est nimis, & ex illa die manifestissimæ inimicitiæ inter ipsum & Dominum Apostolicum exortæ sunt. Et facta est in ecclesia Dei perturbatio non modica. Quia dum inter se discordarent cardines orbis, facta est confusio elementorum, Prælatorum videlicet, hinc inde placere volentiū. Filius verò Imperatoris perturbationis huius causa non parua extitit.

*Henricus R. parrū nō Papæ studiosus.*

Nam sub ipso tempore in Longobardia positus, Episcopum quendam ad se accersiri iussit, cui etiam dixit: Dic clerice, à quo inuestituram pontificalem suscepisti? Et ille: A Domino Papa. Cumq; tertio eisdem verbis eum requisisset, dixit Episcopus: Domine, nihil de regalibus possideo, nec ministeriales nec curtes regias habeo: iccirco de manibus Domini Papæ parochiam, cui præsum, teneo. Tunc indignatus rex præcepit seruis suis, vt pugnis eum cæderent, & eum in luto platearum cōculcarent. Quod factum omnibus displicuit: quia post Decium nihil tale auditum fuit de regibus. Apostolicus tamen insistens, Imperatorem de tribus superioribus capitulis instanter arguebat, id est de patrimonio Dominæ Mechtildis, de Episcoporum exuuijs & de Abbatissarum stipendijs, ita vt manifestè eum citaret, & excommunicationis maledictum ei intentaret.

*Factio Episcoporum.*

Cui præcipuè fauebat Philippus, Archiepisc. Coloniensis, plurimum dolens, quòd post mortem Episcoporum omnia mobilia in fiscum redigerentur. Adhęc acclamabat Conradus Moguntinus, Volcmarus Archiepisc. Treuirensis, quibus consentiebant Episcopi duodecim, inter quos præcipuus erat Bertoldus Metensis,

*Bertoldi Metensis nefaria ingratitudo.*

qui etiam Volcmarum post consecrationem ab Apostolico venientem non solùm in sua diœcesi, verùm etiam extra suos terminos ei occursans, honestissimè suscepit. Vnde grauiter animum Imperatoris exacerbauit, quòd recordatus nō fuisset, quæ sibi fecisset bona. Deniq; dum idem Bertoldus ad sedem Bremensem electus, ab Alexandro Papa fuisset depositus, vt in priori libello inuenitur, venit ad Dominū Imperatorem pauper & exul. Quem Imperator miseratus benignè suscepit, ita vt veniēti de sede sua occursans, per manum deduceret, & in latere suo collocaret, sicq; honestè & largè habitū à conspectu fecit nunquam discedere, donec opportuno tempore certa eum & honesta sede locaret. Quod & factum est. Nam dum postea vacaret sedes Metensis, cum

*Exilium.*

summo honore ipsum in ea sublimauit. Cùm igitur videret eum Imperator tantorum beneficiorum ingratum, & subitò in aduersam partem mutatū, per suos eum de sede sua disturbat. Qui fugiens, ad Philippum Coloniensem se contulit, qui ei præbendam Coloniæ ad sanctos Apostolos deputauit. Sicq; sedes illa nec ipso nec alio præsidente diebus multis vacauit. Similiter etiam metropolis Treuirensis er-

*Rudolphus ἀντιεπίσκοπος.*

rore infinito turbata erat. Quia Rhudolfus, quem Imperator creauerat, per ipsum temporalibus vti videbatur. Volcmarus verò quem Apostolicus propter canonicā electionem consecrauerat, nec in spiritualibus, nec in temporalibus præualebat.

## CAPVT XVII.

*Cæsar aditus Alpium claudit.*

IGitur reuersus de Longobardia, & considerans obstinatum erga se animum Domini Papæ, clausit omnes vias Alpium & omnium circumquaq; regionū, vt nemo pro quolibet negotio adire posset sedem Apostolicā. Deinde conuocans Philippum

lippum Colonienſem, cœpit ſecum conferre de importunitate Domini Papæ, intelligens etiam ipſum fungi vice ipſius in cauſis decidendis, propterea magis ipſius animum explorare cupiebat, vel qualiter de eo ſibi ſentiendum eſſet, ſcire volebat. Apoſtolicus enim ipſi legationem Rom. eccleſiæ, ſiue etiam primatum de ſuis ſuffraganeis dederat, vt, quia Imperator, vt dictum, vias Alpium concluſiſſet, ipſe vice Apoſtolici ſingulorũ cauſas diſcuteret, ne propterea magis ab Eccleſia Dei iuſtitia deficeret. Exponente ergo Imperatore importunitatem Domini Apoſtolici, & quærente ab Archiepiſcopo, quam fiduciam de ipſo eſſet habiturus, ipſe reſpondit: Domine, nõ eſt neceſſe, vt aliquid de me dubitationis habeatis: me enim ſemper pro iuſtitia ſtare velle ſciatis. Sæpius enim probaſtis cor meum vobiſcum: vnde etiam vobis conſtat, ſemper in me fiducialiter agendum. Veruntamẽ vt omniũ Epiſcoporum ore loquar, ſi paulo mitius nobiſcum agere velletis, & per libertatem imperialem leuigare onus nobis impoſitum, tanto deuotiores quanto expeditiores in omnibus ad omnia vobis eſſemus. Nunc autem videtur nobis, quòd quibuſdam penſis, etſi non iniuſtè, indecenter tamen grauati ſimus. Vnde etiam videtur Domino Apoſtolico, quod iuſtam contra vos cauſam proponat, quod mortuis Epiſcopis confiſcantur Eccleſię, ita vt ablatis omnibus mobilibus & ſtipendijs pręſentis anni, Epiſcopus ſubintrãs omnia exinanita & euacuata inueniat. Si ergo iuſtitiæ obtentu, & noſtri ſeruitij intuitu, per imperialem clementiam ſuper hoc nobis peperceritis, mediatores iuſtitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus: Sin autem, à veritatis via recedere nequaquam poterimus. Ad hæc Imperator ita reſpondit: In veritate compertum habemus, quòd prædeceſſores noſtri, antiqui Imperatores, hoc iuris habuerunt, vt defunctis Epiſcopis inueſtituram pontificalẽ ſine alicuius præiudicio probatis perſonis liberrimè locauerint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum inuenimus, ratum habemus. Hãc verò minimã ſcintillam iuris noſtri quam inuenimus, nequaquam mutari permittimus. Sufficiat vobis iuſtitia veſtra quam inueniſtis, quòd permittitur vobis electio Epiſcoporum, quam vos canonicè fieri dicitis. Sciatis tamen, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures iuſti ſunt inuẽti ſacerdotes, quàm hoc tempore, dum per electionem inthronizantur. Ipſi enim ſecundum vitæ meritum ſacerdotes inueſtiebant, nunc autem per electionem nõ ſecundum Deum ſed ſecundum fauorem eliguntur. His dictis Imperator animum Archiepiſcopi cum Apoſtolico ſentire intellexit, cui dixit: Quandoquidem audio vos mecum non ſentire, nolo vt ad curiam, quæ in Geilenhuſen celebranda eſt, veniatis, vbi Epiſcoporũ erit conuentus. Cui Archiepiſcopus reſpondit: Fiat iuxta placitum veſtrum.

*Eiuſdem cũ Colonienſi actio.*

*Intelligit legem Caroli M. Othonis M. & Henrici IIII.*

*Vera eũ dicere docent exempla & data in imperio turba.*

## CAPVT XVIII.

EXinde ergo curiam generalem edixit in Geilenhuſen, vbi conuenit multitudo Epiſcoporum & Principum. Et procedens in concionem, ſic omnibus locutus eſt: Rogamus vos ſummos ſacerdotes & Epiſcopos & Principes, quorum corda iuſtitia poſſidet, vt animaduertatis, quæ dico. Compertum fortè habetis, quantis aduerſitatibus impetar à Domino Papa: in quo aũt gratiam ipſius diminuerim, ignoro. Vnum mihi conſtat, quòd nunquam animum eius exacerbare ſtudui, nec aliquando contra eius præceptum vel voluntatem aliquid feci. Nihil etiam ab ipſo contra ius indecenter exegi. In quibus autem ipſe me arguere habuit, non iraſcendo vel contradicendo, ſed obœdiendo, & rationem reddendo, decenter ad omnia reſpondi. Et quoniam in omnibus his innocentia mea mecum eſt, iccirco non cõturbor, ſed ſi placuerit Domino Papæ, me filium habere dilectũ & ſubiectum, ego eum pro honore & reuerentia ſanctæ Apoſtolicæ ſedis patrem habeo dilectum & reuerendum. Si autem ad deiectionem meam, non dico iniuſtè, ſed ineptè aliqua molitus fuerit, ſpero quòd diuina fauente clementia, veſtro ſimiliter etiam adiutus conſilio & auxilio, intrepidus ei ad omnia reſpondeam. Hæc pro parte mea dixerim. Pro parte autem veſtra quid ſit faciendum, diligenter penſandum eſt. Dicit enim Dominus Papa, iniuſtum eſſe, aliquam laicam perſonam decimas poſſidere, quas manifeſtè Dominus his, qui altari deſeruiunt, deputauerit: quod ſicut de ſcri-

*Conuentus Imperii Geilenhus.*

*Cæſaris ad proceres oratio.*

pturis habet auctoritatē, ita eadem auctoritate euacuare contendit. Scimus autem decimas & oblationes à Deo ſacerdotibus & Leuitis primitus deputatas. Sed cùm tempore Chriſtianitatis ab aduerſarijs infeſtarentur eccleſiæ, eaſdē decimas præpotentes & nobiles viri ab eccleſijs in beneficio ſtabili acceperunt, vt ipſi defenſores eccleſiarum fierent, quæ per ſe obtinere non valerent. Affirmat etiam iniuſtum eſſe, quòd aliquis in prædijs ſeu hominibus eccleſiarum aduocatiam ſibi vſurpet, aut ſicut eccleſiæ de libera voluntate ſiue donatione Imperatorum vel Principum fundatæ ſunt, ita res eccleſiaſticæ à Prælatis tantùm liberè diſpenſentur. Et quamuis hæc pro Prælatis eſſe videantur, non tamen credo, quòd ita facilè mutari poſſint, quæ ex longa antiquitate vſus in conſuetudinem vertit, imo ipſa conſuetudo à progenie in progeniem deſcendens, quaſi iuſta traditione roborauit. Hæc de parte veſtra dicta ſufficiant. Quęro autem à vobis, rectores eccleſiarum, quid inter iſta de vobis mihi ſentiendum ſit, quid timendum, quidve vel quantum de veſtra fidelitate præſumendum. Sed quia à Domino iubemur reddere quæ ſunt Dei, Deo, & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, ſic rogo, Domino Papæ in vice Chriſti debitam perſoluatis obœdientiam, vt in parte altera à Deo conſtitutam non negligatis iuſtitiam.

*Reſponſum Moguntini.*

Ad hæc verba ſurgens Dominus Moguntinus Conradus, accepta opportunitate ſic locutus eſt: Domine, rogamus ſerenitatem veſtram, vt paululum verba noſtra attendatis. Caſus iſte, in quo laborare videmur, grauis eſt, nec noſtrũ inter vos tantas componere lites. Quia ſicut paulo ſuperius dixiſtis, ex vna parte tenemur reddere Deo, quæ Dei ſunt, ex altera parte quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Domino enim Papæ vt patri ſpirituali, qui ſupra omnes eſt, iuſtum eſt ad omnia promtiſſimè obœdire, vobis autem, quem Deus Principem & Imperatorem Romani orbis exaltauit, cui hominiũ fecimus, à quo & temporalia poſſidemus, ad aſſequendas omnes iuſtitias veſtras iure tenemur aſſiſtere. Nunc ergo ſine præiudicio melioris conſilij, ſi placet, ſcribatur Domino Papę, ex perſona Epiſcoporum, in quibus commoueatur, vt ea, quæ ad pacem ſunt, vobiſcum ſentiat, & iuſtitiam vobis in his, quæ iuſtè ab eo exiguntur, faciat. Placuit Imperatori & omnibus Epiſcopis, quod dixerat. Et ad voluntatē Imperatoris ſcripta eſt epiſtola, ſignata bullis Epiſcoporum omniũ, & perlata ad Dominum Papam. Qui cùm legiſſet epiſtolã, obſtupuit de immutatione Epiſcoporum: quia ipſe cauſam pro eis videbatur ſumſiſſe, ipſi verò de cauſa cecidiſſe. Nec minus tamen in propoſito ſuo perſtitit, & veniens Veronam, Imperatorem legitimè citatum pro capitulis ſuprà ſcriptis excommunicare decreuit.

*Pernicacia & malitia Papæ.*
*Fides Veronenſium.*

Ad quem accedentes Veronenſes, dixerunt: Pater, ſerui & amici Domini Imperatoris ſumus: rogamus ſanctitatē veſtram, vt eum in ciuitate noſtra, nobis præſentibus, non excommunicetis, ſed hanc ſententiam reſpectu noſtri ſeruitij differatis. Qui faciens iuxta petitionem eorum, diſceſſit: & cùm in proximo eum excõmunicare vellet, morte præuentus, ſententiam diſtulit, ſicq; Imperator maledictionis iaculum euaſit.

## CAPVT XIX.

*Adolfus C.*

HAc ſerie dierum Adolfus Comes cœpit reædificare caſtrum ad oſtium Trauenæ, quod à Slauis exuſtum fuerat, quando Imperator ciuitatē Lubeke obſederat. Locum tamen in ædificãdo mutauit: quia cùm prius in aqua ipſum caſtellum ſitum fuiſſet, ipſe ſuper littus maris in ipſo introitu Trauenæ illud fundauit, vt tanto facilius piratæ intrantes inde obrui poſſent. Porrò ciues ciuitatis ex eodem opere valde commoti fuerant: quia Comes telonium ab eis expetebat, quod illicò vnanimiter negabant. Vnde grandis controuerſia inter eos orta eſt. Dicebat enim Comes, telonium ſui iuris eſſe: quia tempore Ducis Henrici illic non ſine telonio tranſierant. Illi autem affirmabant, nõ hoc de iure factum, ſed propter petitionem ipſius Ducis ad caſtelli ſuſtentationem ad tempus eſſe permiſſum. Ob hanc igitur contradictionem quicquid commoditatis in ſuis terminis ciues antè videbantur habere in fluuijs, in paſcuis, in ſyluis, Comes omnino abſtulit. Prętereа etiam quoſdam ex eis in ciuitatibus ſuis Thodeſlo & Hammenburg negotiantes præpediendo detinuit, & bona eorum quaſi pro telonei pignore ſibi vſurpauit. Cumq; hoc ſępius apud

*Cum eodem de portorio, Lubecenſiũ contentio.*

pius apud Imperatorem conquesti fuissent, & ipse frequenter suos ad pacem inter eos reformandam delegasset, nihil in sua causa profecerunt. Tandē mediante Imperatore hoc pacto de telonio liberi facti sunt, vt trecentas marcas argenti Comiti darent, & Comes iuri suo de telonio requirendo abrenunciaret. Similiter pro pascuis ducētas marcas persoluerunt, vt à mari vsq; Thodesslo liberè fruerentur fluuijs, pascuis, syluis, exceptis his, quæ ad stipēdia Monachorum in Reineuelde Duci Bernhardo, resignante & Imperatore conferente, deputata fuerāt. Super his autem priuilegiati sunt ab Imperatore, vt hæc in processu temporum à nullo hominum temerariè mutari possint.

*Compositio ex interuentu Cæsaris.*

## CAPVT XX.

EO autem tempore misit Imperator ad Canutum regem legatos honoratos pro pecunia, quam pater illius Waldemarus cum sua filia ipsius filio socianda pollicitus fuerat, quam etiam idem Canutus partim persoluerat. Qui propter occasiones suprà dictas, quæ inter Imperatorem & ipsum versabantur, pecuniā persoluere timuit. Imperator verò non propter repudij occasionem, sed propter pactionis immutationem, regi sororem suam intactam cum tali apparatu, quo eam acceperat, restituit. Quod Canutus grauiter accipiēs, manifestas ex illa die inimicitias cōtra Imperatorem exercere cœpit, ita vt omnes in terra Wagirorum, Holsatorum, Stormariorum & Polaborum vsq; ad Albiam sui iuris esse diceret, & eam per Slauos, quos sibi obstrinxerat, frequenter vastaret. Mater etiā eius à Ludouico Landgrafio repudiata, & ad terram natiuitatis suæ sine honore reuersa, conquesta est in multis se à marito iniuriatam. Vnde etiam magis instimulatus iustā se causam contra Teutonicos habere arbitratus est.

*Cæsaris ad Canutū regem legatio.*

*Ab eodem Canuti alienatio.*

*Ludouicus Landgr. Turing.*

## CAPVT XXI.

IN diebus illis Hartuicus, Archiepiscopus Bremensis, contracto suo cōducto exercitu cum manu valida intrauit Thetmarchiam, & eos, qui sibi contradicebāt, ad deditionem coegit. Illi autem pro sua liberatione pecuniam infinitam promiserunt, sicq; Episcopus cum magna iactantia ad sua reuersus est, credens se in omnibus prosperè egisse. Sed ex eodem casu materies non dico confusionis sed humiliationis in eadē ecclesia exorta est. Nam cùm Adolfus, Comes de Schawenburg, & Comes de Aldenburg, & nobiles alij stipendium militiæ, quod eis Archiepiscopus promiserat, requirerēt, ille tam ea, quæ illis promiserat, quàm alia multa inutiliter ab eo consumta reddere nō valens, necessitate compulsus, ministerialium reditus episcopales per triennium abiurauit, vt infra tempus illud omnia ex integro soluerentur. Episcopus verò ex his, quæ de cathedratico vel ecclesiarū consecrationibus consequi poterat, sustentabatur. Thetmarchi autem pecuniā, quam polliciti fuerant, persoluere nō valentes, ad Waldemarum Slesuicensem Episcopum se contulerunt. Is erat filius Canuti regis, qui à Suenone vnà cum Waldemaro inuitatus ad conuiuium, inter epulas insidiosè occisus est, vir diues valde, non solùm de stipendijs episcopalibus, sed de latissimo patris, quod sibi remanserat, patrimonio. Sicq; datis obsidibus, ex illa die additi sunt regno Danorum, seruieruntq; S. Petro in Sleswig, vt seruierant in Brema. Demembrataq; est ecclesia Bremensis per negligentiam Hartuici, qui propter segnitiem oues perditas requirere non valebat.

*Hartuici Brem. expeditio Ditmarsica.*

*Comites auxiliares.*

*E stipendiorum persolutione egestas.*

*Ditmarsi ad Danos deficiunt.*

*Waldemari, Episc. Slesuic. opes.*

## CAPVT XXII.

INter hæc autem fluunt lachrymæ, trahuntur suspiria, & vox ploratus & vlulatus in excelso leuatur. Insolito namq; timore turbata & confusa sunt viscera, corda tremuerunt, ingenij flos interijt, scribentis manus elanguit. Nam propter inimici zizania, messem Christi suffocantia, spinarum multiplicantur scandala, ita vt sancta Ecclesiæ area raro tritico tota squalescat in palea. Vbi enim sapiens & intelli-

*In corruptos sui seculi mores.*

gens, vbi rogo leges, vbi iura, vbi iustitia, vbi religio, vbi pax, vbi veritas, vbi castitas coniugalis, vbi cœlibatus spiritualis? Nonne iuxta Prophetam, maledictum & homicidium & mendacium & furtum & adulterium magis quàm in diebus antiquis inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit? Nunquid secundū Esaiam tumultuatur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem? Meritò ergo confusa sunt viscera, corda tepuerunt. Propter hęc enim iudicium Dei imminet, quod nemo quidem euadere potest: quod ille tamen quasi pater misericordiarum adhuc præmuniendo magis quàm damnando exercet. Ferit tamen parcente manu: quia vindictam quidem iustam exercet, sed adhuc emendationis tempus per patientiam expectat. An ignoras, inquit Apostolus, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Scilicet quia diuitias bonitatis eius contemnis, non immeritò lapidem offensionis incurris. Ieremias enim dicit: Quid est, quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Quis iste rogo dilectus, nisi ministrorum Dei conuentus? Sed vt minus sapiens dixerim, quis eorum scelera explicare, quis enumerare sufficiat? Nonne ipsi oculos quidem habent, sed non vident? legem Dei audiunt, eloquia mystica intelligunt, sed quæ dicunt, non faciunt. Qui enim dicis, non mœchandum, mœcharis; non furandum, furaris: Tu verò in ecclesia gloriosè sedens super cathedram non Moysi, sed Apostolorum, vel ipsius Domini, iudicas proximum. Qua rogo fiducia vel conscientia? In quo enim alium iudicas, teipsum condemnas. Scilicet si fortè manus à rapina pauperis continuisti, contra me murmuras, quòd furem memorauerim te. Nonne veritas dicit: Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascēdit aliunde, ille fur est & latro. Sed dicis: Per ostium intraui, si fortè ecclesia in electione tua consentit. Ad hæc Dominus: Ego, inquit, sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & egredietur & ingredietur, & pascua inueniet. Si ergo per ostium intrasti, & in pascuis Domini moraris, cur te oues non audiunt, sed magis à te fugiunt? Non enim audiunt voces alienigenorum. Fur enim venit non nisi vt furetur, mactet & perdat. Si ergo oues te non audiunt, constat, quòd non per ostium intrasti: quia in veritate non stas, quod est per ostium intrare. Vnde scias, quòd omnis Prælatus, qui Dominicas oues verbo & operatione destruit, fur est, & ipsas mactat & perdit. Quia corrumpunt mores bonos colloquia mala, & non iam colloquia mala, sed opera mala, dolus, fallacia, mendacia, periuria. Ipsi enim circumueniunt & circumueniuntur, & circumueniendo arbitrantur se obsequium præstare Deo. Circumuenti autem dicunt: Num finis adest seculi, quia nulla est reuerentia cleri? Nam de sacerdotibus Christi dictum est: Vos sancti domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. Et iterum, Nolite tangere Christos meos. Quoniam rectè hæc pro ipsis essent, si istis viuendo non contradicerent. Nunc autem omnes de iure cleri volunt esse, sed non de religione. Quia verò nec de sorte cleri sunt, nec de religione, iusto Dei iudicio nec à Deo nec ab hominibus reputantur. Quia cuius vita despicitur, restat & eius prædicatio contemnatur. Quos per Psalmistam Dominus redarguit, dicens: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti seruos meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & cætera quæ ibidem de peruersis sacerdotibus commemorantur. Ipsa tamen peruersitas Prælatorum occulto Dei iudicio nonnunquam de peccatis subditorum prouenire solet, iuxta illud: Qualis populus, talis & sacerdos: Propter peccati populi regnare facit Deus hypocritam. Et Dominus: Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Et Ieremias: Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc. Et item: Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Non ergo Pręlati temere à subditis reprehendantur, nec subditi à prælatis mortaliter dijudicentur, scientes quòd tales Prophetæ & Sacerdotes, quos olim de templo Dominus eiecerat, destruxerunt muros Ierusalem: quia nisi tales peruersis eam manibus maculassent, nequaquam gentibus ludibrio habita fuisset. Cuius excidium olim Dominus defleuerat. Sed illa, quæ tunc à T. Vespasiano destructa est, occidit Prophetas, & lapidabat eos, qui ad eam missi erāt, & in ipsum

*Ecclesiastici.*

¶ φθείρουσι γὰρ ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

*γνώμη.*

*Praui principes pœna peccatorū.*

*Gemina Hierosolyma.*

in ipſum Dominum manum mittere non timuit? Hæc autem ſanguine ipſius Domini fundata, & morte & reſurrectione eius confirmata, ipſa viuifica Sacramenta minus reuerendo, & loca ſancta negligentius honorando, confuſionem maximã excepit, ita vt dicat cum Ieremia: Dormiemus cum confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quoniam peccauimus Domino Deo noſtro, & patres noſtri ab adoleſcentia noſtra vſq; ad diem hanc, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri. Nunc autem his finem faciamus, & ad deſtructionem ciuitatis ſanctæ ſtylum conuertamus.

*Ad rem.*

## CAPVT XXIII.

*Balduinus, rex Hieroſolym.*

*Wilhelmus & Cõradus, Marchiones Montiſferat.*

*Templarii.*

*Hoſpitalarii.*

*Raymũdus, Com. Tripol.*

*Ambitio muliebris.*

CVm Balduinus, Emelrici regis filius, rex Hieroſolymorum, tam genere quàm virtute præclarus, refrenatis circumquaq; religionis Chriſtianæ hoſtibus, regnum ſuum in omni iuſtitia moderaretur, manu Domini tactus, qui quos diligit, corripit, infirmitate lepræ cœpit deficere, & de regni ſucceſſore cogitare. Ipſe enim filium hæredem non habebat: quia cœlibem agens vitam in caſtitate perſeuerans, virgo in æuum permanſit. Habebat autem ſororem, quam cuidam Wilhelmo, nobili & ſtrenuo viro, fratri Conradi, Marchionis de Monte ferreo, ſociauerat, ex qua nepotem paruulum ſuſcipiens, nomen ei ſuum impoſuerat. Hunc cùm eſſet annorum quinq;, ſperans eum à paterna felicitate non degenerare, conſilio Domini Patriarchæ, ſimiliter etiã conſenſu Principũ ſiue nobilium, Templariorũ, Hoſpitalariorũ, cum beneuolentia cleri & deuotione populi, in regẽ vngi præceperat, cui etiã tutorem cognatũ ſuum, Comitem Tripolenſem, Regimundũ nomine, deputauerat, vt ad quintumdecimũ ætatis annum vicem pueri ageret, ſiue idẽ puer duraret, ſiue vita excederet. His itaq; diſpoſitis rex infirmitatis moleſtia deficiẽs, beato fine migrauit ad ſuperos. Puer aũt rex anno ætatis ſuę nono ipſum moriendo ſecutus eſt. Qui cùm honeſtè in ſepulcro patrũ ſuorum in Ieruſalẽ ſepultus fuiſſet, in ipſa octaua depoſitionis ſuæ acceſſit mater ad Dominũ Patriarchã, & ſic ei locuta eſt: Domine, tu ſcis, quòd frater meus mortuus eſt, ſimiliter & filius meus, qui in regẽ vnctus fuerat, & nemo relictus, quem regnũ hæreditario iure cõtingat, præter me, quæ & filia regis ſum, & ſoror, & mater. Nunc ergo rogo, vt mecũ miſericordiã faciatis, & coronã mihi debitam nõ negetis. Cui Dominus Patriarcha reſpondit: Scio quidẽ, quòd filia regis es, vt dicis, ſimiliter & ſoror, & mater pueri regis defuncti. Sed quomodo tibi corona debeatur, non video, quæ fœmina es, maximè cùm terra iſta ferociſſimis & innumeris hoſtibus circundata ſit, nomine fœmineo nõ ſatis apta regi, niſi fortè per maritũ illã obtinere poſſes, ſi tamẽ idẽ ad regnũ & genere & dignitate idoneus inuentus fuiſſet. Ad quẽ illa: Habeo, inquit, maritũ genere quidẽ nobilem, corpore validũ, virtute præſtantẽ, qui gloria & honore dignus ſit coronari. Quem, ſi mecũ iuſtitiam & virtutẽ facere vultis, in præſentiam veſtri adducã, vt de manu veſtra coronã ſimiliter & benedictionẽ accipiat. Siquidẽ mortuo Wilhelmo, inuito fratre Balduino, alium maritũ duxerat, Widonem nomine, quem nõ longè locauerat, & eum ad verba Domini Patriarchę ad pręſentiã ipſius exhibuerat. Quid plura? ſtatim ad volũtatẽ Domini Patriarchę & aliorũ, qui de latere ipſius erãt, inungitur Wido, clauſis portis Hieroſolymæ tota die illa, ea videlicet Dominica, qua cantatur: Omnes gẽtes plaudite, &c. Quæ verba clerus, qui regi adulabatur, ea die Prophetice introducta interpretabatur. Et abierunt omnes læti, dicentes, Viuat rex, neſcientes ei magis imminere maledicta Zedechiæ quàm vaticinia prophetiæ. Hæc aũt ſubitanea cõſecratio ideo facta eſt, quia nõ bene ſentiebant de Comite Regimundo: quia idem ad regnũ aſpirans cũ Saladino familiaritates habere videbatur. Diſplicuit tamẽ ſermo iſte in oculis fratrũ de hoſpitali B. Ioannis: quia regnũ quatuordecim annos in manu Comitis à Balduino rege poſitũ erat, conſentientibus omnibus, etiam multis religioſis viris hæc cõfirmantibus.

*Wido.*

*Subita eius inauguratio.*

*Adulatio cleri.*

*Raymundi cum Saladino conſpiratio.*

## CAPVT XXIIII.

*Wido Rex ordines regni iuramẽtum poſcit.*

IGitur Wido confirmatus in regẽ, miſit ad primates regni, vt venientes hominiũ ei facerent. Inter quos etiã miſit ad Comitẽ Tripolenſem, vt ſicut præ cæteris di-

gnior videretur, ita præ cęteris regē sua exhibitione honoraret. Qui audiens quod factū esset, primò quidem obstupuit, pòst cum admiratione ita respondit, dicens: Balduinus quidē puer, qui in regem vnctus fuerat, recenter mortuus est, & neq; si rex sit, audiui, & tu me dicis ad regem properare. Quis est iste sermo, quem locutus es? quis vnquam regnat sine electione primorum & consensu populorum? Nemo enim seipsum facere regem potest, nisi tyrannicè velit dominari. Omnibus autem notum esse, non dubito, Balduinum regem me tutorem regis statuisse quatuordecim annis, quod multorum religiosorum testimonio affirmare possum, quos spero propositum suum mutare non velle: quod siquidē, quod absit, fecerunt, me tamē, sciatis, ad regem non venire: quia nihil mihi cum rege vestro. Quæ enim possideo, magis ex libertate quàm ex beneficio teneo. His dictis auulsus est ab eis. Illi autem ad Dominum suum reuersi sunt. Hac igitur occasione discordabant inter se Rex & Comes per annum & dimidium, & manifestas ad inuicē inimicitias exercebāt. Inualescebat tamen pars regis, vt quoq; nobiles ad ipsum venirent, & susceptis ab eo beneficijs hominium ei facerent. Acconitę verò, qui in parte Comitis esse videbantur, mutata voluntate ad regem se contulerunt. Comes verò quasi fuga elapsus abijt Tiberiadem. Saladinus autem rex Damasci cognita controuersia, quæ inter Regem & Comitem erat, lætatus est valde, & quia terræ sanctæ semper insidiabatur, tali occasione introitū se habere posse arbitratus est. Quod & factum est. Nam Comiti per suos mandauit, dicens: Constans esto: scio quòd iniustè tecum agitur: tibi enim regnum ex dispensatione Balduini regis iure debetur, quod vt cōtra Widonem vi obtinere valeas, ego tibi ad contrahendam militiam pecuniam dabo copiosam. Quòd si hoc modo præualere non potueris, ego per meipsum in manu valida veniam, & eiectis hostibus tuis de terra, te super omnes regem constituam: Tu tantùm iura mihi per legem Dei tui, vt liberum mihi transitum per te permittas, & tu cum tuis saluus consistas. Comes igitur sub iureiurando astrictus est Saladino, cuius auxilio multa contra regem molitus est. Saladinus verò collecto exercitu non solùm ex omnibus finibus regni sui, sed etiam de regnis finitimis contrahens auxilia, ad destructionem terræ sanctæ paulatim se præparabat. Inter hæc fuerunt, qui dicerent de domo B. Ioannis: Vos contra populum Dei iniquè agitis. Vos enim cum Comite conspirationem fecistis: quia nisi ille de vobis confideret, nunquam contra regem tanta ac talia præsumeret. His auditis, Magister eiusdem domus, Radgerus nomine, vir prudens & religiosus, abijt ad Comitem, & sic ei locutus est: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Quare contra populum Dei cogitasti consilia? Tu cum Iuda traditore portionem tuam posuisti, dum cupiditate regnandi seductus, contra ius & contra religionem Dei cœli Saladino fidem fecisti. Sed nunc acquiesce consilijs meis, & reconciliare Deo, quem negasti; reconciliare regi, quem offendisti, ne fiant nouissima tua peiora prioribus. His exterritus Comes, ita respondit, dicens: Cur me sic accipis, serue Dei? nōne tu scis, quàm iniustè mecum agitur? Ego enim de his, quæ iustè possedi, violenter eiectus sum. Recordare quàm rationabili dispensatione regis Balduini, quàm promta voluntate Domini Patriarchæ, consensu etiā omnium primatū, Baronum, Templariorum, Hospitalariorū tutelam pueri regis suscepi ad 14. annos, siue idem puer duraret, siue vita excederet, nisi fortè rex Angliæ vel per se, vel per filium suū huic regno subuenire voluisset. Et cùm luce clarius constet, me tibi vera locutū, tamen ne tantorum malorū videar occasio, & populi Dei perditio, ecce acquiesco consilijs tuis, & cum rege compositionē facio, si tamē ea, quæ in negotijs regni expendi, restituere spoponderit. His auditis, Radgerus reuersus venit ad regem, & ei per ordinem exposuit, & bonus visus est sermo in oculis eius. Rex aūt nō solùm ea, quæ expenderat, reddere promisit, quæ tamē ille fideli testimonio assignare potuisset, verùm etiam ad beneficiū suum diuitias & honores addere spopondit. Cumq; reuersus esset ad Comitem, vt eum ad præsentiā regis conduceret, mandauit ei Comes per suos, dicens: Vide ne per viam, qua veneras ad me, reuertaris: quia insidiæ ibi sunt. Siquidem filius Saladini latenter terrā intrauerat, Comite tamen conscio, & cum decē millibus consistebat in valle Chanaan. Quidam etiā Canonicorum anhelo cur-

*Marginal notes:* *Tripolitani tergiuersatio.* — *Fuga.* — *Saladinus, eiusq; insidiosa beneuolentia.* — *Confœderatio cum Tripol.* — *Apparatus belli.* — *Hospitalarii proditionis anquisiti.* — *Radgeri Mag. cū Tripol. expostulatio.* — *Excusatio Tripol. & querimonia.* — *Serò sapiūt Phryges.* — *Saladini F. in armis.*

helo curſu venientes de Nazareth, affirmabant caſtra hoſtium eſſe prope eos, præſidium flagitantes. His auditis, Radgerus diuertit ad Magiſtrũ templi qui non longè in caſtello, nomine Saba, cum quinquaginta militibus conſiſtebat. Conſilio autem habito, miſerunt exploratores, qui reuerſi ſunt, dicentes, non niſi duo millia ibi eſſe. Illi enim inſidias in montibus ex vtraq; parte tetenderant, & exploratores deluſi erant. Milites autem Chriſti gauiſi ſunt, dicentes: Tradidit eos Dominus in manus noſtras. Cumq; aſcenderent ad eos, illi fugã ſimulabant, donec inſidiæ, quæ latebant, conſurgentes & circundantes illos, omnes in ore gladij percuſſerunt.

*Nazareth.*

*Saba.*

*Exploratorum vecordia, indeq; ſecuta clades.*

## CAPVT XXV.

IGitur militibus Chriſti in confeſſione Domini occumbentibus, illi cum gaudio ad ſua reuerſi ſunt. Saladinus autem audiens Radgerum cecidiſſe, lætatus eſt, & ait: Nunc cõcluſi ſunt in manibus noſtris: quia perijt conſilium ab eis, quòd mortuus ſit ductor eorũ. Admoto igitur exercitu, cum multitudine graui intrauit terram per pontem Tiberiadis, & iuxta Saffret caſtra metatus eſt. Rex autem cum omnibus terræ primatibus, inter quos Epiſcopi cum ligno Domini, occurrit ei, è regione caſtra metatus, & erant montana inter eos. Cumq; per aliquot dies in excubijs fuiſſent, & vtrobiq; ad inuicem accedere timerent, Saladinus cum omni multitudine Tiberiadẽ reuerſus eſt. Populus autem Domini credens eum fugã inire, aſcendit ad montana. Ille autem cepit Tiberiadem, & ſuccendit eam igni. Comes verò Tripolenſis diſſuaſit militibus Chriſti aſcendere in montana, dicens: Non aſcendatis in montana: quia impetũ Saladini ferre non poteſtis: ſed ſi ille terrã exire diſponit, victoriam maximam reputetis. Caſtrum, quod ſuccenſum videtis, meũ eſt: non ſit vobis curæ: ego libenter hanc iacturã ſuſtinebo. Ille verò etſi fraudulenter, ſapienter tamen locutus eſt. Sed non eſt conſiliũ contra Dominũ, qui propter malitiam hominũ terribile ſuper terram illam exercere volebat iudicium. Cumq; omnino cum Saladino confligere decreuiſſent, ille ſubtractus ab eis ad ſuũ intrauit Surs, caſtrum firmiſſimum. Saladinus igitur cognoſcens populũ Dei aſcendiſſe in montana, & ibi per biduum ſiti exaruiſſe tam homines quàm iumenta, dixit ſuis: Filij mortis ſunt homines iſti: quia nõ ſolùm ſiti defecerunt, ſed cùm ſint pauci numero, effugium eis negauit ipſa loci anguſtia. Appropiante igitur parte aduerſa, ordinata eſt acies Chriſtianorũ, & rex erat in capite cũ Epiſcopis & victorioſiſſimo ligno Dominicæ crucis: quam ſequebantur Templarij & Hoſpitalarij cum Baronibus & militibus & populo terræ. Sicq; deſiderata congreſſione facta, confligunt fideles cum infidelibus. Sed noſtrates amore mortis animati audacter irruerunt in eos, & vi hoſtiles acies irrumpẽtes, manus ſuas domino cõſecrauerunt, ceciderũtq; aduerſarij à dextris & à ſiniſtris. Sed quia ſiti exaruerunt, infirmati ſunt, & prçualuit pars aduerſariorum, & captiuatus eſt Rex, trucidati Epiſcopi, & crux Domini à ſuis hoſtibus capta eſt, omneſq; ferè aut occiſi ſunt gladio, aut hoſtilibus manibus cõprehenſi, ita vt pauci per fugã elapſi cognoſcantur. Fit igitur clamor gentilium ad cœlum, blaſphemantium nomen Dei viui, & ſubſannantium populo Dei. Filius autem iniquitatis proſperatus in via ſua, & euaneſcens in cogitationibus ſuis, dicẽs in corde ſuo: Non eſt Deus, &c. ſequenti die inter ipſa funera thronum gloriæ ſuæ erexit, ponenſq; coram ſe crucem Domini, circumſtante multitudine procerum ſuorum, præcepit adeſſe multitudinem captiuorum, ponenſq; in cœlum os ſuum, ſic omnibus locutus eſt: Vos eſtis infelices illi cultores illius Nazareni, qui dicitur Ieſus, qui dudum in terra iſta à Iudæis crucifixus eſt, quem vos vana ſuperſtitione deluſi Deũ eſſe creditis, & mutato ritu ſacrificiorum, qui ab antiquis patribus in lege Dei ordinatus eſt, pro carnibus & ſanguine hoſtiarum mille pauxillum panis & vini ſub ſacramento carnis & ſanguinis illius crucifixi offertis, & hac præſumtione diu terram meam & patrum meorum vobis vſurpaſtis. Sed nunc quid poſſit Deus veſter vidiſtis: vnde per virtutẽ Dei mei Maumeth manum meã excelſam ſenſiſtis. Nunc ergo vnum è duobus eligite, aut mihi conſentientes Deum meum adorate, aut in cruce veſtra ſententiam decollationis accipite. Cui milites Chriſti reſponderunt, dicentes: Verè cultores ſumus Ieſu Chriſti Nazareni, qui Deus eſt &

*Saladini hoſtilis exultatio*

*Expeditio in terram ſanctam.*

*Receptus.*

*Tripolitanus rectè cõſulens non auditur.*

*Surs ſeu Tyrus.*

*Chriſtianorũ cum Saladino conflictus.*

*Clades.*

*Saladini ſarcaſmus.*

*Conſtantia captiuorũ.*

Dei filius,qui opere Spiritus sancti de immaculata virgine cõceptus & natus est,& pro peccatis omniũ in se credentiũ in hac terra crucifixus nõ solùm de morte surrexit, verùm etiã ad cœlos ascendit. Pro cuius nomine & honore bonũ certamen certauimus, & cursum cõsummare felici perseuerantia optamus. Hũc adoramus, hunc laudamus,hunc Deũ & Dominum omniũ confitemur. Illũ verò Maumeth, filiũ perditionis,quem Deũ tuum dicis,irridentes,qui post semen bonũ Apostolorũ in terra vestra superseminauit zizania,& præstigijs suis seduxit corda hominum, negamus,execramur, & similiter te cum tuis tortoribus despicimus. His dictis, omnes de conspectu suo eiecti sunt,& altera die Templarij & Hospitalarij decollati sunt, eo quòd illos præ cæteris exosos habuerit. Moriatur anima mea morte iustorũ,& fiant nouissima mea horũ similia. Gloria tibi Christe, quia quamuis peccatores,deuotos tamen etiã in diebus nostris habes confessores. O quanti sunt,qui sæpe expugnati à iuuentute sua in tali certamine victores existerent, & sub tali optione vitam & omnia vitæ blandimenta respuerent,præstãte Domino nostro Iesu Christo,qui viuit & regnat per omnia secula seculorum.

*Templarii & Hospitalarii mactati.*

## CAPVT XXVI.

*Saladini successus.*

IGitur occiso populo Dei, Saladinus totã obtinuit terrã, depopulatisq; omnibus, omnẽ ciuitatem munitã percussit in ore gladij. Omnia sancta destructa sunt: religiosæ personæ tam virorũ quàm mulierũ aut trucidatæ aut in captiuitatẽ abductæ sunt. Sed & virgines Deo dicatę vim pertulerũt. Primò aũt obtinuit Accon,deinde veniens Surs,quæ alio nomine Tyrus dicitur,per mensem oppugnauit eam. Deinde Iubeleth,postea Baruth. Quam cùm obtinuisset,creauit sibi nomen nouũ: quia ibi est coronatus,& Babyloniæ rex salutatus. Inde via,qua venerat, reuersus, venit Ascalonem,quam fratres de hospitali firmissimè munierãt, & obsedit eam. Quam cùm obtinere non posset,dixit regi captiuo: Persuade populo tuo, vt tradant mihi ciuitatẽ hanc,& alias,quas tenent Templarij,& ego te à captiuitate relaxabo,& triginta de nobilioribus tecũ. Qui lætatus, misit ad Ascalonitas, & sic eis locutus est: Rogò,vt faciatis mecũ misericordiã, & liberetis me à captiuitate & viros, qui mecum sunt:quia sic & sic Saladinus locutus est. Qui responderunt: Tu quidẽ rex noster eras,sed nũc nec teipsum nec alios saluare potes:ideoq; scias, quòd ciuitatẽ Domini gentilibus non trademus. Scis etiã, quia omnia castra firmissima in manibus sunt Templariorũ:& ideo parũ ad nos de tua liberatione. His auditis,Saladinus magis oppugnauit ciuitatẽ, erexitq; contra eam machinas multas, & fregit munitiones, & turres comminuit. Quod videntes qui intus erãt, pro liberatione regis obtulerũt ciuitatẽ. Quam ille acceptare noluit sub conditione priore. Rex tamẽ cum paucis liberatus est,& qui in ciuitate erant,exierũt illæsi, & Saladinus intrauit ciuitatẽ. Post hæc conuertit exercitũ ad expugnandum ciuitatẽ sanctam,& obsedit eã. Quidam aũt de melioribus,qui intus erant,animauerũt cæteros,dicentes: Pugnemus viriliter,& moriamur cũ fratribus nostris. Nonne iste est locus dominicæ passionis,in quo Christus pro nobis mortuus est? Nunc ergo eamus & nos,& læti moriamur cum illo,vt similiter consurgamus cum ipso. Alij aũt qui nondum cupiebãt dissolui,& esse cum Christo,non acquieuerunt sermonibus istis,sed pro sui liberatione legationem miserunt Saladino. Qui propter frequentes oblationes peregrinorũ credens ipsam ciuitatẽ opulẽtissimã,infinitũ aurũ expetijt ab eis,vt quiuis pro suimet liberatione daret bis mille aureorũ. Sed cùm multo minus inuentũ fuisset, acceptauit centũ. Sed nec hoc stare potuit. Tandẽ hoc definitũ est,vt absq; his, qui maiores & ditiores erãt, quilibet masculus daret decem aureos, fœmina quinq;,& abirent illæsi. Qui verò prædictã pecuniã non haberent,pro redemtione vitę serui essent & ancillæ. Cùm aũt obtinuissent ciuitatẽ sanctã inimici Christi, non pepercit oculus eorũ sanctuario Dei, sed ipsum templũ stabulũ equorum facientes, destructo omni ornatu ad contumeliam Christianæ religionis,scelera multa ibidem perpetrauerunt. Sepulcrum Domini tamen religiosis viris tali conditione deputatum est,vt tributum Saladino de oblationibus peregrinorum,qui sepulcrum sub conditione pacis visitabant,ministrarent. Siquidẽ Saladinus cõsulens quęstui auaritiæ, hoc

*Aconceu Ptolemais. Tyrus. Berytus.*

*Saladinus assumit nouos titulos.*

*Ascalon.*

*Wido Rex è vinculis dimissus.*

*Hierosolymæ obsidio.*

*Deditio sub pactione.*

*Sepulcrum Domini.*

ritiæ,hoc ſtatuerat,vt ſi quis Chriſtianorum ſepulcrum Domini viſitare vellet, byzantium auri pro ſuo conductu daret, & liber iret & rediret, dum modò illuc nulla ſecum arma deferret. Sicq; humiliata ciuitate ſancta,renouatum eſt illud lamentationis carmen Ieremię:Quomodo ſedet ſola ciuitas,plena populo?facta eſt quaſi vidua,domina gentium: princeps prouinciarum,facta eſt ſub tributo. Crucem etiam Domini à ſuis apparatoribus tractari præcepit,dicens:Crucem captiuam, in qua habetis fiduciam, ſimiliter concaptiui adorate, donec experiar virtutem Dei veſtri,ſi verè poſſit eruere vos de manibus meis.

*Crux in eamq; Saladini ſarcaſmus.*

## CAPVT XXVII.

ANno verbi incarnati milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo, menſe Iulio, IIII. Non. eiuſdem deuaſtata eſt terra promiſſionis, & capta eſt ciuitas ſancta IIII. Cal.Octobr.à Saladino,rege Sarracenorum,Romę pręſidente Gregorio Papa,qui ſucceſſerat Domino Vrbano, regnante Friderico Imperatore Romanorum.Poſt diſceſſum verò Gregorij, qui paucis ſedit diebus, Dominus Clemens in ſedem Apoſtolicam ſublimatus eſt. Qui dolens de excidio eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in vniuerſum orbem Romanum epiſtolas direxit, ſcribens omnibus eccleſijs de tam impia traditione & occiſione ſeruorum Dei, & de cæteris abominationibus à Sarracenis in terra ſancta perpetratis,incitans in omnes zelum impiorum, & ad vltionem ſanguinis ſancti. Et pro liberatione ligni Dominici & ciuitatis ſanctæ,remiſſionem omnium peccatorum Apoſtolica auctoritate pollicitus eſt. Hortatus eſt etiam vnumquenq;,diſcedere à via ſua mala, & temperare à ſuperfluitate ludorum & veſtibus fluxis & irreligioſis, in quibus ſuperbia vitæ & concupiſcentia carnis & oculorum dinoſcitur, ac ſi omnibus diceret: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem,ita nunc pro gloria crucis ſanctæ,cuius cultores eſtis,exhibete vos ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Ieiunia etiam quædam omnibus indixit,& orationes publicas in canone in omnibus eccleſijs, monaſterijs, parochijs celebrari conſtituit,pſalmum videlicet, Deus venerunt:qui omnes miſerias in ſancta terra perpetratas, ſimiliter & peccata, quibus iram meruimus,propheticè commemorat.

*Tempus captæ Hieroſolymæ.*

*Clemẽs III. Papa.*

*Animat Chriſtianos in Sarracenos.*

## CAPVT XXVIII.

OMnes igitur eccleſiæ filij in toto orbe terrarum diffuſi, perſpectis epiſtolis Apoſtolici,timuerunt valde,& repleti ſunt ſtupore & ecſtaſi in eo quod ſignificatum fuerat illis. Communis fuit mœror omnium vna voce plangentium: Eheu, vt quid nati ſumus videre contritionem populi Dei & terræ ſanctæ, in qua ſteterũt pedes Domini exercituum,qui venit in hunc mundum ſalus omnium. Nunc cecidit corona capitis noſtri, reuerſus eſt in luctum chorus noſter. Sancta noſtra prophanata ſunt,templum Dei violatum, & coinquinauerũt illud gentes. Ciuitas ſancta immunditijs repleta eſt,lignum Dominicum inter alienigenas detinetur, quod à nobis, vtique ſuis cultoribus,conſtanter requiretur. Nunc ergo accingatur vnuſquiſque enſe ſuper femur ſuum, & compatiendo fratribus noſtris moriamur cum ipſo, qui pro nobis mortuus eſt, qui ſicut ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus ponere animas pro fratribus. Ad vindictam ergo zeli domus Dei, & in vltionem ſanguinis iuſti, egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo:ceſſent dies lætitiæ,canticum & tibia non audiatur in plateis, temperet ornari ſolito plebs læta choreis. Huiuſcemodi ſtudijs incitati omnes terræ glorioſi, ſub quibus curuatur orbis, & nobilis & ignobilis, ſimiliter in vnum diues & pauper (ceciderat enim ſuper omnes timor & indignatio) vnanimes ad expeditionem Hieroſolymitanam aſpirabant. Et ſignati ſigno ſanctæ crucis in remiſſionem peccatorum ſuorum, iter arripiunt. Præcipuus autem erat & ſignifer Dominus Fridericus, Romanorum Imperator, qui honorem Romani imperij exaltare cupiens, ad expugnandos inimicos Chriſti robur

*Cõploratio cladis Hieroſolym.*

*Ardor vindictæ & armorum.*

*Cæſar belli ſacri ductor.*

*Godefridus Episc. Wirceburg.* — *Conuentus Imperii Goslar.* — *Henricus L.* — *Bernhardus Dux.* — *Optio Henrico L. data.* — *Alterũ eiusdem exiliũ.*

militiæ suæ conuertit, bonam consummationem certaminis sui existimans, quòd tam pro Deo quàm pro temporali honore certauerat, si finem dierum suorum tali labore conclusisset. Qui vt sapiens archimetator ipsam expeditionem prudenter ordinauit, præcipiens omnibus regni sui peregrinis, tam equestribus quàm ijs, qui nauigio ituri erant, vt post annum adueniente Maio omnes parati essent. Ipse verò Moguntiæ per prædicationem Herbipolensis Episcopi Godefridi, & aliorum prædicatorum, cum multis nobilibus insignitus signaculo sanctæ crucis, apud Gosłariam pro diuersis regni negotijs curiam generalem indixit. Vbi quosdã discordantes reconciliauit, quædam etiam castella propter latrocinia prohibenda dirui præcepit, vt pacatis omnibus iter propositũ tanto deuotius quanto liberius expleret. Ducem etiam Henricũ illic adesse voluit, vt quia discordia nõ parua inter Bernhardum & ipsum producatu erat, pacem inter ipsos aliqua conditione iuxta decreta Principum reformaret. Duci tamen Henrico trium optionem dedit, vt aut dispensationem in particulari quadam restitutione pristini honoris pateretur, aut secum peregrinatum in expensa Imperatoris iret, postea plenariè restituendus, aut terrã per triennium tam pro se quàm pro filio suo æquiuoco abiuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quàm vel ire quo non vellet, vel honore pristino vlla diminutione mutilari.

## CAPVT XXIX.

*Cæsar ingreditur iter Asiatic.* — *Ratisbona.* — *Austrii benignitas.* — *Vienna.* — *Sentina castrorum eiecta.* — *Regis Vngar. hospitalitas.* — *Strigoniũ.* — *Reginæ munera.* — *Pietas.* — *Regis Vngar. frater è captiuo itineris ductor.*

IGitur accedente veris tempore, Dominus Imperator iter peregrinationis arripuit. Postquam autem Ratisbonam venerat, viso ibidẽ magno exercitus defectu, ab itineris propositi profectione desperare cœpit. Causa autem defectus erat magnus omnigenarũ nationum populus, qui eum præcesserat: quia peregrinationis amore omnes iter accelerabãt. Consilio tamen habito, sciens eos propter difficultatem viæ ipsum præterire non posse, abijt via qua cœperat. Procedens autẽ inde venit in Austriam, cui occurrit cum multo comitatu Dux eiusdem prouinciæ, magnificè eum & omnes suscipiens, cunctisq; recipere volẽtibus donaria sua honorificè distribuens. Morante autem eo in ciuitate, quæ maior est in terra, nomine Wene, tanta per exercitum excrescere cœpit immunditia, tantusq; incestus, vt ex consilio siue præcepto Imperatoris huiusmodi hominum fornicatorum & furum, siue aliorum inutilium, quingenti viri redire coacti dicantur. Post hæc iter faciens, circa Pentecosten venit ad portã Vngariȩ, ibiq; dies Pentecostes celebrando quieuit. Rex autem Vngariæ per nuncios suos ipsum gratanter excipiens, introitum ei terræ benignè aperuit, omniumq; rerum venalium emtionem ad placitum promisit. Vt autem in terrã ventum est, omnia inuia in fluuijs, in riuis, in paludibus, pontibus sterni præcepit. Cùm autem Dominus Imperator in ciuitatem venisset, quæ Gran dicitur, quȩ Vngarorum est metropolis, Rex ei in propria persona cum mille militum comitatu solenniter occurrit, omniq; deuotione se non solùm hospitalem sed etiã officiosum exhibuit. Imperatore autem quatuor diebus ibi morã faciente, ex consilio Principum propter nimiam tumultuãtis exercitus insolentiã stabilis & firma pax in exercitu sub iuramento firmata est. Regina autem dedit Domino Imperatori tentorium optimum, & domum desuper de Scarlatico & tapete, iuxta latitudinem & longitudinem ipsius domus, & lectum culcitra & opẽrimento pretioso magnificè ornatum, sedemq; eburneam cum cussino lecto præpositam: quæ quantis ornatibus exculta fuerit, præsentis paginæ depromere nequit inopia. Et ne quid excogitatis deesset delicijs, albus & paruus venatorius super tapete discurrebat caniculus. Post hæc regina horum auctrix munerum aliquid à Domino Imperatore petitura processit, scilicet vt ipsius interuẽtu frater regis, per quindecim annos ab ipso rege in captiuitate detentus, à captiuitate liberaretur. Rex aũt, qui tanta deuotione Imperatorẽ susceperat, in nullo volens eum contristari, nõ solùm fratrẽ ad petitionẽ ipsius à captiuitate laxauit, sed datis duob. millibus Vngarorũ, ipsum ad præparandam siue ostendendam viam Imperatorẽ præcedere fecit. Exinde rex Imperatorem in castrum, quòd Gran dicitur, recepit, transito flumine eiusdẽ nominis, à quo ipsa ciuitas, in qua prius moratus fuerat, & castrũ ipsum nomen acceperat:

peratūibiq; dedit Rex Imperatori duas domos plenas farinæ puriſſimæ. Imperator verò quia farina opus non habebat, dedit eam populo pauperi. Vbi propter nimiā auaritiam tumultuātis populi tres homines farina obruti ſunt. Inde Dominus Imperator à rege deductus eſt in vrbem Actile dictam, vbi Dominus Imperator quatuor diebus venationi operam dedit. Inde ventum eſt ad vrbem Sclankemund, vbi per quandam aquam, quæ Eiza dicitur, tribus diebus & tribus noctibus tranſeūtes, tres ibidem milites ſubmerſos amiſerunt. Vbi rex vniuerſo exercitui innumerabilem victualium copiam dediſſe dinoſcitur. Poſt hæc venerunt ad fluuium qui Sowa dicitur, vbi multitudo exercitus dinumerata eſt, & inuenta ſunt quinquaginta millia militum & centum millia armatorum ad bella valentiū. Ex abundanti autem lætitia, quam Dominus Imperator ſuper tanta exercitus conceperat multitudine, militię ludū gaudens in propria perſona ordinauit, & ſexaginta iuuenes nobiles, qui armigeri nuncupantur, ad militarem habitum & cultū militiæ tranſtulit. Vbi etiam ſedens pro tribunali iudicia ſua exercuit: ibiq; duo mercatores capite truncati ſunt, & quatuor ſeruis manus amputatę, quia pacem iuratam infregerant. Eadem die quingenti ſerui pabulatum exeūtes, ſagittis ab hominibus illius regionis, qui Seruij nuncupantur, interfecti ſunt. Altera autem die venit Dux eiuſdem gentis, & fecit Domino Imperatori hominium, ſuſcipiens ab ipſo terrā ſuam iure beneficiario. Profecti aūt inde venerunt ad fluuium, qui Marowa dicitur: vbi rex Domino Imperatori plauſtra miſit multa farina onerata, & quodlibet plauſtrum duobus tauris regebatur. In eodē loco rex Imperatori valedicens, diſceſſit, dans ei quatuor camelos precioſis muneribus oneratos, quæ ad quinq; millia marcarū cōputata ſunt. Dominus autē Imperator multas regi gratias agens, dedit ei omnes naues, quæ eum de Ratisbona fuerant ſecutæ. Ipſa die venit Dux Græciæ ad Imperatorem, dans ei aureum vas, quod duabus anſis ſubleuari debuit, & tanta victualia, quæ exercitui ad octo dies ſufficerent.

*Beneficentia in egenos.* — *Sauus fl.* — *Ludus militaris.* — *Diſciplina caſtrenſis.* — *Seruii.* — *Eorundem Princ. iurat in verba Cæſ.* — *Naues Cæſ. ἀντίδωρον.* — *Dux Græcia.*

## CAPVT XXX.

IGitur in natiuitate B. Ioannis Baptiſtæ exiuerunt Vngariam, & intrauerunt Bulgariam. In qua per tres dies non inuenientes aquam, aliquantū periclitati ſunt. Omnes arctas vias Dux Græciæ eis ampliari fecit, & ita in feſto B. Iacobi tenuerunt caſtrum Rauenelle, quod in medio nemoris ſitum eſt. Poſt laborem verò nemoris in aſſumtione B. Virginis, ac ſi per paradiſum Dei, tenuerunt ciuitatem Liſtriz, quę eſt in confinio Bulgariæ & Græciæ. Inde caſtra mouentes venerunt Vinopolin, ciuitatem magnam, ſed deſertam, in qua cùm omnis exercitus hoſpitatus fuiſſet, vix alternæ domus inhabitatæ ſunt, ibiq; decem & octo hebdomadas morati ſunt. Siquidē inter tot & tanta proſpera non defuerunt aduerſa: quia nunquam fuit Abel, quem malitia Cain non exercuit. Dux enim de Brandiz, quæ eſt circa Vngariam & Bulgariam, inuidens ſeruis Chriſti, feſtinus percurrit ad regem Conſtantinopolitanum, dixitq; ei: Quid hoc facere voluiſti, vt hominibus tam impijs tranſitum per terram tuam præberes? Non parcit oculus eorum aliter ciuitati vel vrbi, niſi omnia vaſtantes ſuæ ſubijciant ditioni. Vnde ſcias, ſi in terram tuam intrauerint, te de ſolio tuo deijcient, & imperium tuum obtinebunt. His verbis nimis credulus & exterritus Conſtantinopolitanus, nuncios Imperatoris, Epiſcopum videlicet Monaſterienſem, & Robertum Comitem de* Aſſawe, & Marquardum Camerariū cum 500. militibus comprehendi præcepit. Sicq; exterriti omnes habitatores terræ, appropinquantibus peregrinis tutiora loca quærentes, ciuitates & oppida deſerta dereliquerunt.

*Cæſar pergit per Bulgariam.* — *Rauenelle.* — *Liſtriz.* — *Phinopolis.* — *Ducis de Brandiz calumnia.* — *Legati Cæſaris comprehenſi.* — *Fortè Naſſavv.

## CAPVT XXXI.

IMperatore enim in præfata ciuitate moram faciente, miratus eſt, quòd nō redirent hi, quos ad regē pro bono pacis miſerat, commonefaciens eū pactionis ſiue promiſſionis, qua ſpoponderat ad vltionem Dei zeli, & vindictā terrę ſanctę, & effuſionē iuſti ſanguinis ſeruorū Dei, in omnib. ſe obſecuturū exercitui peregrino, ſcilicet vt firmā in regno ſuo pacē haberēt, & ipſe eis omnia inuia peruia faceret, &

*Pactio cum Byzantino.*

emendi gratiam tam in victualibus quàm in alijs necessarijs pręberet. Ipse enim Imperator omnia quæ promissa fuerant, ita fideliter custodiuit, vt sicut suprà dictum est, nulli de exercitu nec per vim nec per rapinam nec per furtum aliquid obtinere permiserit. Cumq; diutius expectasset, & sui non essent reuersi, indignatus, omnes circa regiones vastare cœpit, ita vt aratris terram excoleret, quod tamen arte factũ fuerat, vt maiorem habitatoribus terræ timorem incuteret. Tantas igitur exercitus diuitias in terra de spolijs collegerat in auro & argento, in vestibus preciosis, in armẽtis, vt aliquis pro lautioris cibi exquisitione octo boues pro gallina daret. Quæ tamen abundantia ad tantam deuenit inopiam, vt consumptis, imo magis perditis omnibus, omnis retrò abundantia obliuioni tradita videretur. Transactis itaq; decem & octo hebdomadibus, castra mouerunt de loco illo, & venerunt Andropolin. Vbi septem hebdomadas hospitantes, similia perpetrauerunt, ibiq; reuersi sunt nuncij Imperatoris cum obsidibus quinquaginta, firmam pacem & cætera, quæ Imperator expetierat, ad voluntatem afferentes. Acceptis igitur obsidibus in media quadragesima, relicta Andropoli prosperè procedentes, in Pascha, quod eo anno in annunciatione Domini celebrabatur, venerunt ad brachiũ S. Georgij, ibiq; castra metantes, sanctum Pascha Domini cum gaudio celebrabant. Proxima die classem intrantes transierunt vadum, quibus rex tantas naues prouiderat, vt omnis exercitus cum omnibus attinentijs suis tribus diebus transmearet.

*Depopulatio agrorum ob perfidiã.*

*Abundantia in castris.*

*Phryxplagis emendatur.*

*Cæsar traijcit in Asiã.*

## CAPVT XXXII.

IGitur post maris transitum populus Dei exercituum, ac si post Pharaonis vinculum confessionis Christi cecinit epithalamium. Nam propter obsides, quos secũ traxerant, sperabant pacem. Et ecce turbatio & forum rerum venalium, & ecce famis & inediæ tribulatio. Siquidem non post multos dies cùm adhuc in terra regis Gręcorum essent, occurrerunt ei Turci, insidias tendentes, quos illi primò non attendebant, quia pauci erant, nec eos malum machinari cogitabant. Illi verò de die in diem multiplicabantur, ac si arena maris, quæ præ multitudine numerari nõ potest, & nocte & die erant circa ipsos. Populus autem Dei psallebat: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgũt aduersum me, multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo: tu autem Domine susceptor meus, &c. Cumq; conclusi essent in manu hostili, sicut oues in medio luporum, non tamen à cœpto itinere cessabant, & cùm castra mouerent, similiter hostium castra mouebantur. Iam Rumeniam, terram desertam & inuiam & inaquosam intrabant, & defecerat panis in sistarcijs eorum: quia alimenta non habebant. Fuerunt tamen inter eos, qui panes mellitos, cùm in abundantijs essent, sibi præparauerãt, & vtcunq; sustentabantur. Qui verò simile opus non fecerant, aut carnibus equinis & aqua siue radicibus pascebantur, aut fame vsq; ad mortem affligebantur. Cumq; vires ad ambulandum non haberent, ceciderunt in facies suas super terram, vt martyrium pro nomine Domini susciperent. Inimici verò irruentes super eos, sine omni misericordia in conspectu omnium eos trucidauerunt. Iam defecerant iumẽta, tum quia gramina non habebant, tum etiam quia ad victum consumta erant, & laborabant in ambulando tota die multi viri nobiles & delicati, & Deo gratias agebant. Sic autem ordinabant acies suas, vt pedites & infirmi medij essent, equestres verò propter insultum hostium à dextris & à sinistris. Sæpius etiam insultum in illos facientes, prostrauerunt quosdam ex eis, aliquando etiam ad quinq; millia, & nihilominus cessabant insequi eos. Sed quia multæ sunt tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, non inualida super eos erat manus Domini, in omnibus confortans eos. Laborabant siquidem vt castigati & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes. Imperator verò quamuis se circumuentum non dubitaret, dimisit tamen obsides, quos tenebat, iuxta illud: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus. Post hæc incurrerunt siccitatem maximam, vbi per biduum siti laborabant. Venerunt igitur in Pentecoste Iconium, quæ capitalis est ciuitas Turcorum, & castra metati sunt in horto venatorio prope ciuitatem, vbi refecti sunt

*ἐπινίκιον.*

*Incursiones Turcorum.*

*Difficultates itineris.*

*Modus excipiendi & cõsectandi hostem.*

*Fides in Cæs.*

*Iconium metropolis Turcorum.*

fecti sunt de herbis hortorum, qui circa ciuitatem erant, & visum est animę eorum ac si paradisi delicias habuissent.

## CAPVT XXXIII.

CVm igitur post longā famis maciem populus Dei vtcunq; refectus fuisset, sperans post diutinos labores quietis requiem, post bellorum turbines pacis serenitatem, ecce filius iniquitatis, filius Saladini, gener Soldani, Imperatori mandauit dicens: Si per terram meam securum vis habere transitum, de quolibet tuorū aureum tu mihi dabis Byzantinum: quod si non feceris, scias, quòd in crastino bello te impetam, & violenter & te & tuos aut gladio interficiam, aut in captiuitatem redigam. Cui Imperator respondit: Inauditum quidem est, quòd Romanorū Imperator vlli mortaliū tributa persoluat, quæ ipse magis exigere assueuit quàm soluere, magis accipere quàm dare, tamen quia viribus exhausti sumus, vt cū pacis quiete viam nostram tendamus, vnum denarium, qui Manlat dicitur, ei volūtariè persoluam. Quem si acceptare noluerit, sciat, quòd pro nomine Christi libentissimè cum eo cōgredi volumus, qui pro ipsius amore aut vincere aut vinci optamus. Est autem Manlat de viliorum numismate, qui nec totus sit aureus, nec totus cupreus, sed quasi de confusa & vili constat materia. Nuncius itaq; reuersus nunciauit hoc Domino suo. Imperator verò cōuocata saniorum parte, quod agebatur, exposuit, vt quid ageretur, ex consilio inueniret. Ad hæc illi vno ore responderunt, dicentes: Bona quidem, & vt imperialem decet maiestatē, Tyranno respondistis: nos tamen sciatis, nullam pacis conditionem quærere: quia nihil restat, nisi aut mori aut vincere, aut vinci aut vincere. Placuit Imperatori tanta virorum Dei constantia. Et lucescente aurora, ordinata acie, filius eius, Dux Sueuiæ, cum robustissimis in fronte constituitur, ipse verò cum reliquis hostes, qui à tergo insistebant, percussurus accingitur. Pugnabāt igitur Christi milites animis quàm viribus fortiores. Sed qui olim martyrum roborabat tolerantiam, ipse horum etiam firmabat constantiam. Cadebant autem aduersarij à dextris & à sinistris, nec erat numerus interfectorum, sed alij occidebantur, alijq; occisos remouebāt. Sicq; vi portas irrumpentes, omnes qui in ciuitate erant, percusserunt in ore gladij. Reliqui verò in castrum, quod ciuitati coniunctum erat, se receperūt. Et ita humiliatis hostibus intus & foris, per triduum in ipsa ciuitate morati sunt. Tūc Soldanus honoratos legatos cum muneribus Imperatori misit, dicens: Bene quidem, Domine Imperator, in terram meā venisti: sed quòd iuxta placitum tuū, & secundum tuā magnificentiā, susceptus non es, tibi quidem gloriosum, nobis verò est ignominiosum. Tibi enim de tanta victoria ęternalis erit memoria, nobis autem rubor & ignominia. Ista tamen præter voluntatem meam acta certissimè scias: quia in loco ægritudinis decumbens, nec mei nec aliorum compos esse valeo. Nunc igitur rogo, vt mecum misericordiam facias, & pro conditione pacis obsides & quæcunq; volueris, acceptes, ita vt ciuitatē egrediens, iterum in horto castra reponas. Quid plura? Imperator cum suis ciuitatem egreditur, tum quia quæ exigebat ad placitū offerebantur, tum quia nimia corruptio aeris propter interfectos eos exire cogebat. Firmata igitur pace, agonistæ Christi gaudentes per viam suam ibant, nec vlterius aduersarij eos insequebantur. Et ita transeuntes terram Armeniorum, venerunt ad fluuium Saleph, vbi castrum eiusdem nominis situm erat.

*Filii Saladini superba denunciatio.*

*¶ δεῖ καιρῷ δουλεύειν τοὺς δοκοῦντας ἄρχειν.*

*Manlat.*

*Cæsaris consilium castrense.*

*Prælium cū Turcis.*

*Victoria.*

*Soldanus pacem petit.*

*Armenia.*

*Saleph, aliis Serra.*

## CAPVT XXXIIII.

QVo cùm peruentum fuisset, propter nimiam æstus intemperiem pulerisque squalorem Dominus Imperator in eodem amne lauare similiter & refrigerari disposuit. Siquidem idem amnis non multū latus erat, cursum tamen velocem propter montium circumgyrationes habebat. Alijs igitur ad vadum certum transeuntibus, ipse multis inuitis aquam ingreditur, & sperans se natando transmeare, fluminis impetu abripitur, quo nollet trahitur, & priusquam subuenire potuissent,

*Cæsar in flumine lauās suffocatur.*

*Comploratio in caſtris.* qui circa ipſum erant, aquis præfocatus interijt. Fit igitur mœror omniū vna voce plangentiū: Quis nos conſolabitur in hac peregrinatione noſtra? quia cecidit propugnator noſter. Nunc ergo erimus ſicut oues errantes in medio luporū, nec eas quiſquā à morſibus prohibebit. Huiuſcemodi ploratu & vlulatu populus tabeſcebat. *Fridericus, Cæſaris F. et in exercitus imperio ſucceſſor.* Sed filius conſolabatur eos, dicens: Pater quidē meus mortuus eſt, ſed vos conſtantes eſtote, nec deficiatis in tribulationibus noſtris, & videbitis auxiliū Domini ſuper vos. Et quia idē in omnibus ſe prudenter gerebat, omnes mortuo patre principatui eius ſe ſubdiderunt. Qui recolligens qui remanſerant (plurimi enim diſtracti erant) peruenit Antiochiam. *Antiochia.* Quem princeps Antiochię honorificè ſuſcipiens, ipſam ciuitatē ei conſignauit, vt de ipſa ordinaret, quid vellet. Plurimum enim ipſi ciuitati inſiſtebant Sarraceni, ita vt ipſam tenere deſperaret propter inſultus eorū. Cùm igitur ibidem ad pauſandum aliquantulū moram faceret, & populus famelicus vino & cæteris diuitijs ciuitatis immoderatius infarciri cœpiſſet, *Lues ex intemperantia.* nimia mortalitas inter eos orta eſt, ita vt plures ex nimia repletione quàm ex priori inanitione morerentur. Multis autem de vulgaribus propter intolerantiā ibidem occumbētibus, etiā nobiles & boni viri propter nimiū æſtum interierunt. *Godefridi Wirceburg. mors.* Inter quos Dominus Godefridus, Herbipolenſis Epiſcopus, vir prudens & eloquens, qui eandem peregrinationē ſecundum datam ſibi gratiā ex magna parte regebat, ex hoc incolatu cœleſtem migrauit ad patriā. *Copiarū attenuatio.* Multum autem confortata eſt pars Teutonicorū in aduentu ipſius, qui tamen non niſi cum mille viris venit ad eos. Eo autē ibi morante, & cum hoſtibus confligere prædiſponente, *Fridericus ætate florēte obiit.* immatura morte præuentus, diē clauſit extremū. Sicq́; expeditio illa terminata eſt, vt quaſi ferè adnihilata videretur. Vnde nonnulli ſcandalum contra eam habuerunt, dicentes, eam non rectè inchoatam, ideoq́; nec bene conſummatā. *Apologia cōtra expeditionis huius inſectationes.* Sed quia talia iudicas, vide ne lucis quod in te eſt, tenebræ ſint, dicente Domino: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Profectò per oculum, interiorē intentionem, per corpus verò exteriorē actionem volens interpretari. Sapientia verò dicit: Homo videt in facie, Deus autem in corde. Si ergo lucerna corporis tui in corde, quā Deus ſolus videt, & ſi in facie corpus exterius, quod videt homo, *Candor.* qua temeritate iudicium Dei tibi vſurpas, qui ſolus occulta nouit, cùm magis ea, quæ neſcis, quo animo fiant, in meliorem partem debeas interpretari? Manifeſta tamen indicia hîc inueniuntur, quæ magis attendenda fuerunt, quòd euangelici viri illi propter amorem Chriſti reliquerunt domos, fratres & ſorores, patrem & matrem & vxores, filios & agros, & quod maius eſt omnibus, tradentes corpora ſua laboribus & ſupplicijs. Quia plurimi eorum tali deuotione ſunt peregrinati, vt quantū in ipſis erat, magis eligerent in confeſſione Domini occumbere, quàm ad ſua remeare. Et ideo quamuis expeditio illa ſiue peregrinatio ad finem deſiderati certaminis non peruenerit, non tamen eo minus credendum eſt, quòd coronam deſideratam non perceperint: Cùm precioſa ſit in conſpectu Domini mors ſanctorū eius. quæ quali fine claudenda ſit, vel quomodo vel quando adimplenda, ſicuti Dei ſolius eſt noſſe, ita eius de ſingulorum meritis iudicare. Iuſtus enim ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

## CAPVT XXXV.

*Acon obſeſſa.* INter hæc autē ciuitas Accon expugnabatur à militibus Chriſti, qui ex omnibus gentibus, populis, tribubus & linguis illic collecti erant: quam primò Wido rex, *Wido Rex.* à captiuitate ſolutus, vt ſuprà dictū eſt, à Tyro veniens cum ducentis millibus obſederat. *Tyrus ὁρμητήριον Chriſtianorum.* Sed pòſt Domino cooperāte obſidio in immenſum excreuerat. Ipſa ſiquidē Tyrus nūc ferè ſola refugiū erat Chriſtianorū, faciendo Conrado Marchione, qui eā conſtantiſſimè tenebat. *Conradus Marchio Mōtisferrat.* Ipſum namq́; Deus ad robur militię Chriſtianorū, & ad præſidiū ſuorum fideliū direxerat, qui in ipſo tempore deſolationis terræ ſanctę orationis gratia Hieroſolymā tendebat. Cumq́; nauigio veniret de Græcia, & applicare vellet Accon, cognouit quòd Saladinus totam obtinuiſſet terrā, & ipſa ciuitas ei tradita fuiſſet. *Saladini legati reiecti.* Et fugiens diuertit ad Tyrum, & nihilominus homines Saladini in ea erant, vt obſides de ipſa acciperent. Meliores autē ciuitatis cognoſcentes de aduentu ipſius, clàm eum in ciuitatē receperunt, & facientes cum eo amicitias, principatum

cipatũ ei ciuitatis dederunt. Qui eiectis ex ea hominibus Saladini, cõfortabat animos virorũ, qui in ea erant, reparans ruinas murorũ, & firmans præſidia turriũ. Saladinus verò in Accon conſtitutus, audiens quod factũ erat, indignatus ſtatim obſedit ciuitatẽ, erigens contra eam machinas ſeptẽ, & cõfregit muros eius, ita vt iam ſuis pateret introitus. Marchio verò Conradus confortans ſuos, cõfidens de adiutorio Chriſti, qui nunquam deſeruit ſperãtes in ſe, apertis portis audacter egreſſus eſt ad eos, & fugauit Saladinũ, & perſecutus eſt eum ad montana, & ceciderunt de ſuis quinq; millia. Et reuerſus eſt ditatus de ſpolijs eorum, & de victualibus repleuit ciuitatẽ, & ſatiata eſt anima eorũ, qui iam fame defecerant. Nec adiecit vltrà Saladinus obſidere ciuitatẽ. Pòſt etiã multo auro pacẽ à Marchione mercatus eſt: quia cõtinuis eruptionibus caſtra ipſius infeſtabat. Vnde quidã eum infidelitatis arguere conati ſunt, quòd munera infideliũ acciperet. Sed ille expolians Ægyptios, ditauit Hebræos: quia quod ab infidelibus quoquo modo rapiebat, fidelibus fideliter erogabat.

*Infeſta Acconis obſidio.*

*Clades.*

*In Conradũ M. calumnia.*

## CAPVT XXXVI.

IGitur cùm Wido rex, vt dictum eſt, ciuitatem Accon obſideret cum militibus Teutonicis & ijs, qui de Longobardia & Thuſcia apud Tyrum collecti erant, inter quos primates erant Comes de Gelren, & Henricus Comes de Aldenburg, & Widekindus, Aduocatus de Rieden, & Adelbertus Comes de Poppenburg, & alij complures Epiſcopi & nobiles, Saladinus eos ſine intermiſſione infeſtabat, ita vt ſe illic ſubſiſtere deſperarent. Sed qui gemitum filiorũ Iſrael in Ægypto olim audiuit, cùm affligerentur à Pharaone, nunc recordatus miſericordiarũ ſuarum, reſpiciens de ſolio ſuo excelſo, miſit eis auxilium. Deniq; tertia die obſidionis in Cal. Septembr. apparuit multitudo nauium, de diuerſis Teutonicorũ partibus venientiũ, quas Dominus per religioſiſſimas circumgyrationes regionũ, per longiſſimos tractus marium, ita illæſas gubernauerat, vt nunquam ſecundus eis ventus defuerit, & nulla earũ vel homines vel inſtrumentũ aliquod perdiderit. Fuerunt autem quinquaginta quinq; naues Teutonicorũ, expanſis velis applicantes. Quibus iunctus erat Princeps quidam de Anenſe, nomine Iacobus, cum quinq; magnis nauibus, viris & armis onuſtatis, ſimiliter & victualibus. Saladinus verò, qui cum innumerabili multitudine proxima die ſuper milites Chriſti venire diſpoſuerat, cognito aduentu tãtæ claſſis, primò quidẽ obſtupuit, & in amaritudine cordis anima deficiente, totus contabuit: quia quos à terra arcere non potuit, eos ad deſtructionem ſui veniſſe non dubitauit. Cùm ergo portum tenuiſſent, & egreſſi fuiſſent in manu valida, vallauerunt in gyrum ciuitatẽ, nec tamen inhibere poterant, quin homines Saladini, quoties placuiſſet, cum camelis intrarent & exirent ciuitatem ad portam, quæ vergebat ad Orientem. Sicq; multo labore & periculo ferè per menſem in obſidione laborauerunt, & multum exhauſti erãt continuis excubijs & vigilijs. Quia Sarraceni ſine intermiſſione ſagittis & incurſionibus eos inquietabant. Cogitabant autem confligere cum eis, ſi fortè propitio Deo poſſent obtinere eos. Et miſerunt Tyrũ pro Marchione Conrado & Ludouico, Comite prouinciali de Turingia, qui nuper de terra ſua glorioſè venerat cum multa copia militum & victualiũ, rogantes vt præſidio eis fierent. Marchio tamen ſæpius vocatus venit inuitus, propter ſimultates quaſdam, quas contra regem habebat. Arguebat enim eum, quòd pro ſua tantùm liberatione multas ciuitates munitas Saladino tradidiſſet. Venerũt tamen in manu valida, & læti ſunt in aduentu eorũ, maximè tamen de aduentu Landgrafij, qui tunc nonus venerat, & quaſi princeps militiæ illorũ fuerat. Dominus etiam Patriarcha in caſtra venerat, qui animos plurimorũ confortabat. Ordinata igitur acie, omnis multitudo equeſtriũ & ſagittariorum & robuſtorũ in campeſtribus erant, cæteri verò contra inſultus eorũ, qui in ciuitate erant, caſtra ſeruabant. Cumq; congrederentur, qui foris erant, irruerunt viri ciuitatis ſuper eos, qui caſtra ſeruabant, & arctabant eos vehemẽter. Sed fugata ſunt caſtra Saladini: quod videntes hi, qui naues ſeruabant, vociferati ſunt, fugere Saladinũ, ſicq; liberati ſunt hi qui in caſtris erant. Porrò campeſtres fugientem Saladinum perſecuti ſunt in

*Widonis Regis auxiliares.*

*Henricus C. Aldenburg.*

*Adelbertus Poppẽburg.*

*Saladini incurſiones.*

*Claßis Germanica.*

*Ludouicus, Landgr. Turing.*

*Conradi M. cum Widone rege ſimultas.*

*Pugna Chriſtianorũ cũ Saladino.*

*Victoria.*

*Contētio & clades de mulo.*

montana, & reuerſi ſunt, timentes inſidias. Cumq; pedites in caſtris raperent ſpolia, orta eſt inter eos ſeditio de quodam mulo, qui rapiebatur ab omnibus, trahebatur ab omnibus, ita vt mutuo populus contra populum pararetur ad bellum. Quod cognoſcentes Sarraceni, cum inſidijs irruerunt ſuper eos, & proſtrauerunt ex eis plus quàm viros mille, & cæteri fugerunt ad caſtra. Et facta eſt in populo Dei triſtitia magna. Ex illo tempore ſtatuerunt, vt vallo ſe circumdarent, ne hoſtibus ſubitanea præda fierent. Foderunt ergo duo foſſata magna, vnum verſus ciuitatem, aliud verſus campeſtria, & hoc muniti præſidio quietis, vacabant otio, concluſis his, qui in ciuitate erant, quibus libertas exeundi & redeundi ſubtracta erat. Agente autem Landgrafio & cæteris nobilibus, multo labore & expenſis multis tres turres ligneas contra ciuitatem erexerunt. Et cùm ſe eam tali inſtrumento obtinere crederent, qui in ciuitate erant, omnia illa ædificia igne, qui dicitur Græcus ignis, concremarunt. Quo facto, milites Chriſti mœror occupauit & indignatio & quædā de hoſtium ſubſannatione confuſio. Mortuus eſt etiā poſt dies illos Landgrafius: inde quaſi ſine principe eſſe videbantur.

*Ignis Græcus.*

*Ludouici Landgr. mors.*

## CAPVT XXXVII.

*Philippus Rex Franc. Richardus, Rex Angl.*

VErùm ſuperuenit rex Franciæ, & in manu valida cœpit vallare ciuitatem, & erexit aduerſus eam machinas. Siquidem rex Angliæ in expugnatione Cypri occupatus erat. Cyprus eſt regio mari circundata, regi Conſtantinopolitano ſubdita, perſoluens ei annuatim ſeptem auri pondera, quæ centenere dicuntur. Inualuerat autem rex terræ illius diuitijs, & in ſuperbiam elatus, receſſit à Conſtantinopolitano ſimiliter & à fide catholica. Huius rei gratia eum Anglicus impetebat, & obtinuit eum & terram ipſius, conijciens eum in vincula apud ciuitatem, quæ Meregart dicitur. Et quoniam hoc iurauerat, ne ferro eum compediret, catena cum vinxit argentea, ibiq; mortuus eſt. Accepit autem de terra eius theſauros maximos. Ipſam etiam quaſi ſub titulo Chriſtianitatis conſignauit in manu Widonis, regis Hieroſolymorum, quia iam regno priuatus erat, vxore mortua. Et regnum ipſius Conradus Marchio cum ſorore vxoris obtinuerat. Vaſtata ergo Cypro, rex Angliæ applicuit Accon, & iunctis viribus cum rege Franciæ arcebat ciuitatem. Siquidem milites Chriſti dantes ſe periculo, ſine intermiſſione nocte & die ſuffoderunt muros eius, & turres præcipitauerunt. Et neceſſitate coacti, qui intus erant, de ciuitatis declinatione agere cœperunt. Miſerunt autem occultè frequentes nuncios Saladino, vt eos ipſe, ſicut promiſerat, liberaret. Quod cùm non poſſet, tradiderunt ciuitatem. Captiuatis autem omnibus, qui intus erant, pro ſui liberatione promiſerunt pecunias multas, inſuper ligni Domini reſtitutionem, datiſq; obſidibus, acceperunt inducias vnius menſis, & abeuntes ad Saladinum de ligni Dominici reſtitutione, nihil quidem profecerunt, ſed nec pecuniam perſoluere potuerunt. Et ita reuerſi intrauerunt ciuitatem, & trucidati ita quatuor millia virorum gentilium in conſpectu Saladini. Carchas verò & Meſthius & alij nobiliores pecunia ſe liberauerunt. Rex autem Franciæ capta ciuitate ingreſſus claſſem, ad ſua reuerſus eſt, ea tamen conditione, vt ex omnibus ſpolijs ciuitatis dimidietatem obtineret. Quod rex Angliæ in præſenti quidem promiſit, ſed minimè perſoluit. Poſt diſceſſum verò regis Franciæ, conuertit ſe ad Aſcalonem, vt expugnaret eam. Quod videntes habitatores eius, ſuccenderunt eam, & fugerunt. Ipſe autem deſolatam ingrediens, firmiſſimè eam reædificauit, inſtaurans muros eius & turres. Poſt dies illos occiſus eſt Conradus, rex Hieroſolymorum, dolo, vt dicitur, regis Angliæ & quorundam Templariorum. Siquidem princeps de montanis, qui quadam excellentia principatus dicitur ſenex, precio corruptus, duos de ſuis miſit, qui eum occiderent. Quiddam ridiculoſum de hoc ſene dicturus ſum, ſed tamen aſſertione fidelium mihi atteſtatum. Idem ſenex præſtigijs ſuis ita circumuenit homines terræ ſuæ, vt nullum præter ipſum Deum venerentur vel credant. Qui etiam quandam ſpem & quædam gaudia æternæ iocunditatis monſtruosè eis pollicetur, vt optent magis mori quàm viuere. Sæpe enim multi eorum ad nutum vel

*Alexius Cōnenus tyrannus Cypri.*

*Argentea cōpedes.*

*Wido fit rex Cypri.*

*Cōradus M. rex Hieroſolym. per matrimonium.*

*Acon Anglo dedita.*

*Oppidanorū cædes.*

*Philippus R. domum repedat.*

*Aſcalon capta inſtauratur.*

*Cōradus R. à ſicarijs peremtus.*

*Senis Sarracenorū præſtigia.*

tum vel imperium suum stantes in muro excelso se præcipitauerunt, ita vt ceruicibus fractis, miserabili morte interierint. Beatissimos autem eos affirmat, qui humani sanguinis fusores ipsi pro tali vltione occubant. Cumq; aliqui eorum talem elegerunt mortem, vt aliquem dolo occidant, pro cuius vltione ipsi beatius moriantur, ipse eis cultros, quasi ad hoc negotium sacratos, administrat, & tūc poculo eos quodam, quo in ecstasin vel amentiam rapiantur, inebriat, & eis magicis suis quædam somnia phantastica, gaudijs & delicijs, imò nugis plena, ostendit, & hoc æternaliter pro tali opere eos habere contendit. Iste, vt dictum est, munere corruptus, de tali secta duos ad occisionem Marchionis his, qui in mortem eius conspirauerant, misit. Qui tamen eo occiso, & ipsi occisi sunt, sed nescio an deificati. Mortuo autem Marchione (quia hoc nomen ei vsitatius erat) siue rege, facta est perturbatio non modica in populo Dei: quia cecidit vir bonus & prudens, per quem sæpe Dominus salutem operatus est in Israel. Post hæc rex Angliæ volens ad loca sua reuerti, pacem firmissimam cum Saladino constituit tribus annis & quadraginta diebus: quæ tamen stare non potuit, nisi rex destrueret Ascalonem. Quam etiam, necessitate compulsus, destruxit: quia inhabitatores non habuit, qui eam post discessum ipsius inhabitarent. Igitur nauem ingrediens, applicuit Bulgariam, homines verò eius abierunt Brandiz. Ipse verò cum paucis intrans Galeidam, abijt Vngariā, nec reuersus est qua venerat. Timuerat enim regem Franciæ, quem offenderat, quia sororem ipsius, quæ ei desponsata fuerat, & quam idem rex Franciæ obuiam ei duxerat, non duxit vxorem, sed filiam regis Auernensis sibi copulauerat, quam mater ipsius cum multa ambitione adduxerat. Cùm igitur sibi præcauisset hunc laqueum, incidit in alium. Nam cùm transisset Vngariā peregrino more (nam templariorum habitu se suosq; induerat) captiuatus est à Duce orientalis Austriæ, qui eum Imperatori præsentauit. Sic necdum liberata est terra repromissionis propter peccata nostra. Necdum enim completa sunt peccata Amorræorum, sed adhuc manus Domini est extensa.

*Angli cum Saladino pacificatio.*

*Reditus in Europam.*

*Captiuitas.*

# ARNOLDI, ABBATIS LVBECENSIS,

## CHRONIC. SLAVORVM LIBER IIII.

### CAPVT I.



NTEREA autem quando hæc expeditio seu peregrinatio celebrabatur, non defuerunt noua in Saxonia. Siquidem ipso anno, quo Dominus Imperator circa Maiū exierat vnà cum his, qui cum eo amore Dei peregrinati sunt (inter quos erat Adolfus Comes) Dominus Hartuicus, Bremensis Archiepiscopus, Dominum Ducem Henricum vnà cum filio suo æquiuoco circa festū B. Michaelis de Anglia reuertentē benignè suscepit. Et sperans se per eum recuperare posse pristinū statum, qui iam ab omnibus quasi despectus erat propter Thetmarchos, quos à Waldemaro Slesuicensi requirere non valebat, & faciens cum eo amicitias, eum in Stadio collegit, & Cometiā in manu eius consignauit. Quo audito meliores Holsatorum Sturmariorum Duci Henrico occurrerunt, & pacificè eum salutantes introitū ei terræ obtulerunt. Qui gauisus est, & eos exaltare spopondit, si per eos introitū habere posset. Qui statim occupauerūt loca Comitis, Hammenburg, Plune & Ziho, & eiecerunt homines eius de terra. Quod videntes Comes Adolfus de Dasle, qui tunc in terra erat vice nepotis, & Domina Mechtildis, mater Comitis de Schawenburg, & vxor eius, Domina Adelheidis, filia Domini Burcardi de Querenforde, in ciuitatem Lubeke se receperunt.

*Adolfus C. belli sacri socius.*

*Hartuicus Brem.*

*Henricus L. redux.*

*Recipit Comitat. Stadensem.*

*Motus Holsat.*

*Adolfus C. Daslensis.*

*Mechthildis, Adolfi Holsat. mater.*

*Adelheidis Querfurt. vxor.*

## CAPVT II.

*Henricus L. in armis.*

DVx autem contracto exercitu de Stadio, & de terra Holſatorum, Sturmariorum & Polaborum, vallauit Bardewig, aſſiſtente ſibi Bernhardo Comite de Raceburg, & Bernhardo Comite de Welpe, Helmoldo Comite de Suerin, & alijs amicis ſuis, & expugnare eam cœpit. Rebellabant autem hi, qui intus erant, nolentes tradere ciuitatem. Præualuit autem Dux aduerſus eam, & deuaſtata eſt ciuitas opulenta valde, nec pepercerunt viri bellatores eccleſijs vel cœmeterijs, ſed ablatis omnibus ſuccenderunt eam igne. Captiuatis aũt omnibus, qui intus erãt, inter quos erat Hermãnus de Sturtenebuchle, & alijs militibus cũ ciuibus ciuitatis, vix mulieres & paruuli captiuitatem euaſerunt. Dux ergo proſperatus in via ſua, circa feſtum B. Martini ſecundam expeditionem inſtaurat, & ad obſidionem Lubecanã ſe præparat. Cumq; iam appropinquaret ciuitati, territi qui intus erant propter deſolationem memoratę ciuitatis, miſſis nuncijs pacificè eum ſuſceperunt, tali tamen conditione, vt Adolfus Comes de Daſle & mater Comitis de Schawenburg, qui tunc in peregrinatione erat, ſimiliter cum coniuge ipſius & hominibus eius, cum omnibus, quæ ipſorum erant, liberè terra exirent. Cumq; Dux obtinuiſſet ciuitatem & omnem terrã Adolfi Comitis tunc peregrini, ſtatim expugnabant Lawenburg, caſtrum Ducis Bernhardi, & poſt menſem traditum eſt in manibus eius, hac tamen conditione, vt hi, qui in caſtro erãt, abirent illæſi. Succedentibus igitur proſperitatibus, Dux obſideri fecit caſtrũ Sigeberg, quod ſolum adhuc homines Comitis tenebant, per manũ Waltheri de Baldenſile, quem adiuuabant Holſati Sturmarij, ſed tamen in dolo. Siquidem pœnitentia ducti de facto priore, mutata voluntate alienati ſunt à Duce, & liberatum eſt caſtrum auxilio Eggonis de Sture & amicorum ſuorum. Et captiuatus eſt Waltherus, & in vincula coniectus, caſtrum, quod prius expugnabat, exul inhabitabat. Sic rurſus infirmata eſt pars Ducis in partibus illis. Siquidem Adolfus de Daſle cum matre Comitis peregrini & vxore eius reuerſus eſt, & inquietabat ciuitatem Lubecanã in multis. Pòſt adueniente Maio, vlciſci volens Dux de aduerſarijs ſuis, ordinauit acies in terram Holſatiæ per manum Bernhardi, Comitis de Raceburg, & per manum Helmoldi de Suerin & Iordanis Dapiferi. Et exeuntes de ciuitate Lubeca, non longè in fugam verſi ſunt, & captiuatus eſt Helmoldus & Iordanes Dapifer cum alijs multis. Sed & multi in flumine Trabane ſubmerſi ſunt. Comes verò de Raceburg cum alijs fuga elapſus eſt. Helmoldus verò & Iordanes in caſtro Sigeberg manicis ferreis cõſtricti ſunt. Poſtea verò à captiuitate ſoluti ſunt, Helmoldo perſoluente trecentas marcas denariorum, & Iordane, quia pecunioſus erat, quingentas marcas argenti.

*Expugnat & excindit Bardeuicũ.*

*Recipit Lubecam.*

*Occupat agrum Adolfi Holſat. & Lauenburgum.*

*Sigebergam per legatum obſidet.*

*Defectio Holſatorũ, indeq; ſecuta rerũ commutatio.*

*Adolfus Daſl.*

*Legatorum Henrici L. clades.*

*Mulcta.*

## CAPVT III.

*Henrici regis in Saxoniam expeditio.*

REx autem iuuenis audito reditu Ducis Henrici & filij eius, indignatus eſt, tum quia quaſi deſpiciens adoleſcentiam ſuam contra iuſiurandum ante tempus rediſſet, tum quia terram Adolfi Comitis ſibi vſurpauerat, qui cum patre ſuo, vt dictum, exulauerat. Impetu igitur quodam venit Brunſchwig, volens vaſtare eam. Quam cùm propter inſtantem hyemem obtinere non potuiſſet, abijt Limberg ad caſtrum Conradi de Rothe, volens obtinere illud. Sed cùm nec ibi profeciſſet, amaro animo reuerſus eſt in locum ſuum. Archiepiſcopũ tamen Bremenſem Hartuicum, qui huius perturbationis cauſa fuit, querimonia Bremenſium de ſede ſua diſturbat. Ille verò iram regis ferre non valens, in Angliam profectus, per annum ibidem degit. Pòſt reuerſus, ad Ducem ſe contulit. Dux tamen mediante Conrado, Archiepiſcopo Moguntino, & Philippo Colonienſi pro gratia regis laborare cœpit. Qui præfigens ei curiam in Fulda, ita eum in gratiam recepit, vt muros Brunſchwig in quatuor partibus deponeret, caſtrum Lawenburg dirueret, Lubecam verò ciuitatem dono regis dimidiam haberet, dimidietatem alteram Comes Adolfus cum omni terra ſua quietè poſſideret. Vt autem iſta pacis reformatio rata permaneret, filium Luggerum obſidem accepit, qui poſtea in ciuitate Auguſta mortuus

*Cõradus de Rothe.*

*Hartuicus Brem. tuba belli, pellitur in exilium.*

*Henrici L. apud regem interceſſores.*

*Conditiones reconciliationis.*

*Luggerus, Leonis F.*

mortuus est. Henricus verò filius ipsius senior cum eo Romam similiter & in Apuliam cum quinquaginta militibus iuit. Dux tamen nec Lawenburg destruxit, nec dimidietatem ciuitatis, sicut promiserat, Adolfo, qui adhuc peregrinabatur, restituit, nec terram ipsius infestare cessauit.

*Henricus iunior.*

## CAPVT IIII.

HIs autem ita dispositis, Rex cum manu valida Italiam intrauit cum Philippo Coloniensi & Othone, Duce Boiemię, & alijs multis. Cumq; appropinquaret Romę, (suscepturus Apostolicam benedictionem, Dominus Apostolicus Clemens mortuus est. Pro quo Dominus Cœlestinus in sede est sublimatus. Qui videns regē cum multa iactantia venisse, ad protelandam eius consecrationem suā distulit. Sed Romani exeuntes ad regem, sic ei locuti sunt: Fac nobiscum amicitias, & honora nos & vrbem iure nostro, quod exhibuerūt reges, qui ante te fuerunt. Insuper fac nobis iustitiam de castellis tuis, quæ sunt in Tusculano: quia sine intermissione nos inquietare non cessant: & erimus pro te ad Dominum Papam, vt coronā Imperij super caput tuum ponat. Qui in omnibus ad voluntatem Romanorū se promtum exhibuit. Insuper castrum vel ciuitatem, de qua conquesti sunt, dirui pręcepit. Romani verò accedentes ad Dominum Papam adhuc latente consilio dixerunt: Domine, oues tuæ sumus, tu pastor ouium & pater filiorū. Ideo rogamus clementiam tuam, vt parcas nobis, qui non parum afflicti sumus. Tu enim, vt melius nosti, cum magistro gentiū teneris flere cum flentibus & gaudere cum gaudentibus. Rex iste cum infinita multitudine terrā occupauit, & deuastat segetes nostras, vineta & oliueta. Quapropter rogamus, vt in hoc nobis subuenias, ne cōsecrationem ipsius vlterius differas, vt nō consumatur terra inopia. Ipse etiam pacificum se venire affirmat, & in omnibus vrbem nostram honorare, similiter & paternitati tuæ obœdire desiderat. His precibus vbi consensum præbuit Apostolicus, cum summo tripudio Rex vrbem ingreditur: sicq; Dominus Papa in die Paschæ solenniter consecratur, & proxima secunda feria cum summa pacis tranquillitate Dominus Imperator vnà cum Imperatrice benedicitur & coronatur.

*Henrici Regis iter Italicum.* *Techna Papalis.* *Rex seruit tempori.* *Inauguratur Cæsar Augustus.*

## CAPVT V.

IGitur Dominus Imperator percepta benedictione profectus est in Apuliam, accepturus totam terram Wilhelmi Siculi, quæ eum cum Imperatrice, vxore sua, contingebat. De qua tamen profectione animum Domini Papæ nō parum offenderat: quia alius rex, Tancradus nomine, à sede apostolica iam ibi ordinatus fuerat. Qui quidem rebellare parabat, sed impetum Imperatoris ferre non valebat. Siquidem Imperatore adueniente, territi habitatores terræ illius, omnes ciuitates munitas & castra firmissima in manu eius tradiderunt. Veniens autem ad montē Casinum, vbi B. Benedictus requiescit, cum summa beneuolētia ibi susceptus est. Ibi cùm esset apud S. Germanum in radice montis, filius Ducis Henrici eo non salutato discedens, Romam reuersus est. Vbi à quibusdā Romanis acceptis nauibus, per aquas euasit. Imperator verò dissimulata iniuria abijt via, qua cœperat, & ita prosperè venit Neapolin, & inuenit ibi manum validam, & obstinatos animos eorum qui intus erant. Imperator verò deuastans omnem terram, succidensq; vineta eorum & olivueta, obsidione maxima vallauit ciuitatem. Quod non multum attendebant, qui intus erant: quia per maritima intrandi & exeundi copiam habebant. Ipse verò de Pisa & alijs ciuitatibus cogitabat contrahere naues plurimas, & arctare ciuitatem terra mariq;. Inter hæc autem appropinquabant dies caniculares, & morsus continuos in exercitu faciebant.

*Inuadit in Apuliam.* *Tancradus rex.* *Benedictus Abbas.* *Hērici, Leonis F. fuga.* *Neapolis frustra obsessa.*

## CAPVT VI.

TVnc temporis mortuus est illic Episcopus Coloniensis, cuius corpus Coloniam translatum est, & ibi cum honore condigno tumulatum, & Otho, Dux Bo-

*Mors Philippi Colon. & Othonis Boiem.*

iemiæ, in quibus maximum robur consistebat, & alij multi tam de nobilitate quàm de vulgaribus. Imperator etiam propter nimiam caloris intemperiem cœpit ægrotare infirmitate maxima, ita vt hostes credẽtes eum mortuum esse, Imperatricem, quæ vlterius processerat, captiuarent. Sicq; obsidio illa soluta est. Imperator verò necdum perfectè recepta sanitate ad sua reuertitur. Sicq; loca, quæ Imperator obtinuerat, ab hostibus recipiuntur.

*Cæsaris morbus & receptus.*

## CAPVT VII.

INter hæc autem Comes Adolfus in peregrinatione constitutus, veniens Tyrum, cognouit terram suam à Duce Henrico occupatam. Et consilio multorum religiosorum dimissa peregrinatione, reuersus est Schawenburg. Cùm tamen in reditu esset, venit ad Imperatorem, qui tunc in Sueuia erat. Qui spem bonam de restitutione terræ suæ ei quidem in præsenti fecit, in omnibus promittens adiutorium, insuper ditans omni eum ope suorum munerum. Cùm igitur venisset Schawenburg, vidit ex omni parte præclusum sibi introitum Holsatię: quia Dux omnia circa Albiam loca tenebat, videlicet Stadium, Lawenburg, Boyceneberg, Suerin. Nec per Slauiam intrare poterat, quia Boruinus, gener Ducis, ei ibi insidias tetenderat. Abijt ergo ad Bernhardum Ducem & ad Othonem, Marchionem de Brandeburg, qui in manu valida eum Ertheneburg deduxerunt. Vbi occursans ei Adolfus, nepos ipsius de Dasle cum multitudine Holsatorum Sturmariorum, similiter etiam cum matre & vxore ipsius, excipit illum gaudens. Bernhardus quoque iunior, filius Comitis Bernhardi de Raceburg, quem Dux per dispensationem Domini Apostolici de clericatu ad militiam transtulerat, quia patri vnicus fuerat, timens perdere terram suam, veniens ad Ducem Bernhardum & ad Marchionem sub nomine Imperatoris, ad eos se transtulit, & alienatus à Duce Henrico, cœpit Adolfo Comiti in omnibus assistere. Pater verò ad Ducem Henricum diuertens, apud eum mansit diebus multis. Postea tamen infirmitate tactus, ad Raceburg claustrum non castrum reducitur. Vbi filio similiter & vxore curam ipsius agente, per aliquot dies ægrotans, exilij sui finem faciens, diem clausit extremum.

*Adolfus Holsat. è bello sacro redux. — Arcetur finibus. — Boruinus. — Bernhardus D. Otho Marchio. — Adolfus Dasl. — Bernhardus Raceburg.*

Nec moueat lectorem, si quædam præmittuntur, quæ postea repetuntur: quia alius est ordo naturalis, alius artificialis. Et inde etiam Poeta scriptorem monet, vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici Pleraque differat, & præsens in tempus omittat. Et ideo non obliuiscendum, imò memoriæ commendandum, quòd idem Bernhardus patrem habuit nobilem & illustrem virum, Henricum, Comitem de Badwide, qui tempore Conradi regis terram intrauit adhuc viuente Henrico, Duce Saxoniæ atq; Bauariæ, tunc temporis existente puero filio ipsius, Henrico Duce. Qui deficiente Henrico, patre Henrici Ducis, terram suscepit de filio ipsius Henrico adhuc tenello. Erat tamen guerra inter ipsum Comitem Henricum & Adolfum Comitem seniorem de Schawenburg, qui & ipse tunc in terra erat. Contra quem Henricus Comes Wagiram obtinere volens, multum laborabat. Præualuit tamen Adolfus Wagiram obtinendo. Henricus autem Raceburg in terra Polaborum stabili beneficio à Duce tenuit. Dux autem Henricus magnificatus tunc temporis ecclesias transalbinas fundare cœpit, & Euermodum, Præpositum in Magdeburg, ad parochiam Raceburgensem, auctoritate Episcopi eiusdẽ loci, Wichmanni, promouere studuit. Cui omnimodis cooperabatur Comes prædictus, & cooperante gratia Dei, ecclesia illa tunc valde tenella & rebus & personis inualuit. Idem etiam Comes filium habuit Bernhardum nomine, qui & ipse patre defuncto strenuè se gerebat, & Slauorum impetus non sine magna difficultate sępius sustinebat. Ipse tamen eiectis Slauis de die in diẽ in terra proficiebat. Qui Bernhardus vxorẽ nobilem duxit de Slauia, Margaretã nomine, filiã Ratibur, principis Pomeranorũ: sicq; hoc matrimonio terra cõsiderata in pace durauit. Genuit aũt ex ea filios, Volradũ, Henricũ, Bernhardũ, qui adulti facti sunt strenui, nec à paterna felicitate degenerauerũt. Volradus aũt & Henricus militari collegio applicati sunt. Bernhardus verò ad clericatũ promotus, in Magdeburg stipẽdiũ obtinuit

*Occupatio de stirpe familia Raceburg. — Henricus C. Badwid. — Bernhardus F. — Eius vxor. — Liberi.*

fuit in ecclesia maiore. Igitur Volradus quodam tempore aduersus Slauos bellum suscipiens, peremtus est, & ad Raceburg deductus, cum suis consanguineis sepulturam obtinens, tali epitaphio laudari meruit:

*Volradi epitaphium.*

*Dum premis hostiles cuneos, fortißime miles,*
*Heu, Volrade, ruis flenda ruina tuis.*
*Tu de morte patris, vltor patriæ quasi matris*
*Et defensor eras, præmia nunc referas.*

Frater autem eius Henricus in pace vitam finiuit. Sicq; deficiente patre Bernhardo, vt dictum est, Bernhardus filius relicto clericatu, dispensatione tamen, miles factus vxorem duxit nobilem Adelheidem, filiam Comitissæ de Alremund. Ex qua filium suscepit, suum ei imponens nomen. Qui postea molestia corporis tactus, in Raceburg diem clausit extremum. Quem post aliquot annos infans secutus immatura morte vitam finiuit. Adelheidis verò mater & vidua Adolfo, Comiti de Dasle, nupsit. Sicq; generatio illa tradita est.

*Bernhardus N.* *Bernhardus Pron.* *Adelheidis Alremundiæ altera nuptiæ.*

## CAPVT VIII.

DVx igitur Bernhardus cùm restituisset Adolfum, simul cum nepote suo Marchione ad sua reuertitur. Victualia tamen, quæ secum adduxerat, Adolfo Comiti & Bernhardo tribuit. Comes ergo Adolfus & Bernhardus statim circumdederunt ciuitatem Lubeke, vallantes eam obsidione maxima, vterq; consistens in terra sua. Quam homines Ducis Henrici constantissimè tenebant, cui etiam Dux præfecerat Luchardum quendam, filium Waltheri de Berge, virũ strenuum valde, qui in ipsa obsidione cùm constanter ageret, ipsam moriendo vsq; in hodiernũ diem seruat. Adolfus igitur videns ciuitatem non multum reputare obsidionem, quia liberam intrandi & exeundi per Trabenam facultatem habebat: multo labore sudibus siue trabibus maximis ipsum fluuium obstrui fecit, sicq; arctata est ciuitas valde. In ipsa autem obsidione abijt ad Canutum, regem Danorũ, salutans eum, similiter & gratias agens maximas, quòd tempore peregrinationis terra ipsius per eum pacem firmissimam habuisset. Quod tamen absq; causa non fuerat: quia frater regis, Dux Waldemarus, similiter cum Episcopo Waldemaro Slesuicensi post exitum Comitis in manu valida fines eius intrauerant, & à nepote ipsius Adolfo de Dasle, ipso tamen renitente, nec volente, obsides acceperant, ea tamen occasione, ne Thetmarchos, qui tunc sub ipsis consistebant, impeteret, nec aliud contra regnum Canuti regis faceret. Salutato ergo rege, Comes ad sua reuersus est.

*Bernhardus D.* *Adolfus Hols. et Bernhardus Raceburg. obsident Lubecam.* *Luchardus.* *Adolfi profectio in Daniam.* *Waldemarus, Canuti regis frater, & Waldemarus Slesuic. rebelles. Adolfus Dasl.*

## CAPVT IX.

INter hæc autem Dux Henricus compatiens ciuibus inclusis, contracto exercitu, direxit eum ad ciuitatem per manum Conradi de Rothe, qui tunc à Duce Stadiũ tenebat, similiter & Bernhardi, suprà dicti. Cumq; clanculo transissent Albiã versus Lawenburg prope Raceburg, venerunt & exterruerunt homines Comitis Bernhardi, qui prope ciuitatem excubias seruabant in loco, qui dicitur Hernenburg: qui fugientes, in Raceburg se receperunt. Sicq; soluta obsidione in partibus illis, ciues egressi de ciuitate rapuerũt spolia vel victualia, quæ illic inuenta fuerant: sicq; ingressi sunt ciuitatem cum lætitia magna. Postera autem die surgente aurora, assumtis armis egressi sunt de ciuitate, præcedente Comite Bernhardo & Conrado de Rothen, pugnaturi cum aduersarijs in medio terræ eorum. Illi autem licet impari numero occurrerunt eis non longè à ciuitate, & occupauerunt vadum, quod transituri erant, ad amnem qui Swartowe dicitur, ibique fortiter dimicantes, statim eos in fugam verterunt. Illi verò in ciuitatem se receperunt. Bernhardus autem iunior reuersus ad Raceburg cum omnibus quæ habuerat, similiter etiam cum Holsatis, in ipsa vespera castra metatus est prope ciuitatem ad meridianam plagam, mane cum eis, si illic egrederentur, dimicaturus. Quod præsentientes homines Ducis, qui in ciuitate erant, per noctem egressi ad septen-

*Cõradus de Rothe, Henrici L. legatus.* *Soluit obsidionem Lubecæ.* *Bernhardus Raceburg. pater.* *Bernhardus Raceburg. F.*

*Consectatur hostem. Adolfi morbus.*

trionem per alteram viam ad sua reuerti cogitabant. Et erat fluuius, qui Wochnize dicitur, inter eos: sicq; ad inuicem accedere non valebant. Bernhardus autem magis ac magis contracto exercitu insecutus est eos. Adolfus autem in castro Sigeberg infirmitate detentus erat. Cumq; essent prope Boyceneburg, iuxta littus Albiæ commissum est inter eos prælium, & cęsi sunt homines Ducis, plures tamen in captiuitatem tracti sunt, cæteri verò fugerunt. Adolfus autem audito tam læto nuncio, quasi ex infirmitate cōualuit, & cœpit cogitare, si fortè propicio Deo Stadium posset occupare. Nam plurimi ex Cometia Stadensi captiuati erant, quos in sua potestate tenebat. Nam eos, prudenti vsus consilio, à militibus, qui eos ceperant, dato precio liberauerat. Hi spem bonam ei fecerant, vt si eum placatum inuenissent, potius ei quàm Duci parati essent. Insuper in omnibus se subseruire promittebant, vt eorum consilio similiter & auxilio Stadium obtinere posset.

*Callidū cōsilium.*

## CAPVT X.

*Expeditio Stadensis.*

COmes igitur animatus vel potius instructus eorum verbis, contracto exercitu in Hammenburg, inuasit insulam vicinam, quæ Gorieswerder dicitur. Qui timentes aduentum ipsius, venerunt ad ipsum, & cum eo fœdus amicitiæ statuerunt. Congregatis autem nauibus, quæ tunc inueniri poterant, Comes cum omni multitudine nauigabat Stadium, & cœpit exurere quasdam villas in vlteriore ripa fluminis. Et rumor in excelsa iam dudum perstrepit aula, Comitem venire in manu valida, & timuerunt timore magno. Nondum enim consolationem de mortuis vel captiuis, quos perdiderant, receperant. Et dixit vir proximo suo: Melius est, vt seruiamus Comiti, per quem recipiamus captiuos nostros, quàm Duci, per quem talia passi sumus. Conradus autem videns quod futurum erat, timens seditionem populi, qui exacerbatus fuerat, stratis equis quasi pro quodam negotio se iturum simulans, & exhortans populum, & quasi regratians, quòd pro Domino suo Duce bene laborassent, relicta illic vxore & omni sua supellectile, non reuersurus celeriter abripitur. Tunc qui in castro erant, pacificè venerunt ad Comitem, seipsos ei & castrum offerentes. Cumq; obtinuisset castrum & vxorem Conradi cum omnibus quæ ipsius erant, in iumentis & plaustris deduci præcepit, in tanta liberalitate, magna, vt dicunt, delusus astutia. Quia mulieres in plaustris pro loricis virorum in saccis deferebant cumulos thesaurorum. Luneburgenses tamen acerrimè ei insistebant, & eruptiones sæpius facientes deprædationes & latrocinia in Cometia Stadensi continuè faciebant.

*Motus in vrbe.*

*Cōradus de Rothe fuga se subducit.*

*Stadii deditio.*

*Astus muliebris. Luneburgēsium excursiones.*

## CAPVT XI.

*Theodoricus, Episc. Lubec. Hartuicus Brem.*

INter hæc Dominum Episcopum Lubecensem, Theodoricum, non parum grauabant, Præposituramq; eius in Keneua continuè vastabant. Siquidem Hartuicus, Bremensis Archiepiscopus, qui tunc à Bremensibus eiectus Ducem sequebatur, Episcopo molestus erat. Quia idem Episcopus Bremensibus propter fidem Imperij familiaritate astrictus fuerat, de Brema etiam oriundus in ipsa ciuitate fratres & cognatos multos habebat, ipsumq; Archiepiscopum ex linea consanguinitatis contingebat. Archiepiscopus tamen consanguinitatis immemor ei non parcebat, volens à statu suo canonica eum iustitia deijcere, nec poterat. In Luneburg tamen positus, frequenter eum quasi ad audientiam per epistolas citauit. Quò cùm ille extra terminos episcopales inter homines aduersæ partis venire non auderet, peremtoriè eum citauit, sed non iudiciario ordine: quia prius citatus, cùm inducias ad determinatam diem ab eo accepisset, ipsum terminum Archiepiscopi citatio præuenit, & cùm nōn venisset, in colloquio Mindensi, quod inter ipsum & Bremenses celebrabatur, excommunicatum sinere se eum pronunciauit. Quam sententiam Bremenses aridam & exanguem clamauerunt, cùm nec Episcopus excommunicationem meruerit, & ipse quasi sui impos magis iudicari quàm iudicare venerit. Postea tamen per Dominum Cynchium Cardinalem,

*Einsdē malitia.*

*Hyacinthus Cardinalis.*

*Henricus, Leonis F.*

*Theodorici Episc. respectus ad suos.*

*Elogium.*

dinalem, qui delegatus in Daciam, & inde reuersus, Bremam venerat, ipsa sententia euacuata est. Post hæc Henricus Dux iunior, Henrici Ducis F. Cometiam Stadij cum expeditione intrauit, in cuius comitatu Archiepiscopus erat. Qui veniens ad ipsam ciuitatem, quadam fiducia introitum se habere arbitratus est. Sed cùm eum Stadenses non recepissent, primò quidem ipsam curiam Episcopi, quæ prope ciuitatem erat, quæ Hurst dicitur, vastari præcepit, deinde veniens Keneuam, omnia ferè mobilia, siue pecora, quæ homines eiusdem loci quasi ad domum refugij illuc adduxerant, auctoritate Archiepiscopi auferri præcepit, ita vt ancillæ Christi, quæ ibidem clausæ sponso suo cœlesti die noctuq; laudum resonant vota, nimia diu laborauerint inedia. Alio etiam tempore cùm adhuc Conradus de Rothe castrum teneret, eruperunt Bremenses in Cometiam, deprædationes facturi, & inter cętera, quæ rapuerunt, contigit etiam vt homines Episcopi spoliarent. Ipso autem complente Missarum solennia, venit qui diceret, homines suos à Bremensibus expoliatos, ipsosq; prædones cum præda iam longius elongatos. Quid faceret vir Dei? quo se verteret, ignorabat. Nam præter illa quæ extrinsecus erant instātia, fuit illi cotidiana solicitudo omnium afflictorū, meritoq; plus suorum, iuxta illud: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Depositis ergo sacerdotalibus ecclesiam egreditur, & iter arripiens, prædones insequitur, & ad milliare vnum ferè anhelus cucurrit, illos comprehendit, prædā tenuit, nec prius inde recessit, quàm sua suis restituit. Terrentur omnęs eius aduentu, se peccasse commemorant, & inter compassionem & constantiā & magnanimitatem viri considerant, caniciem puluere squalentem venerantur, & sacras manus cornua taurorū trahentes perhorrescunt: nec aliquid habebant contradictionis, quos terrebat auctoritas tanti Pręsulis. O virum misericordiæ visceribus plenum, compassionis affectibus deditum, cui pietas præripuit moram, vt non eques sed pedes sequeretur raptorem. Fuit etiam ad interueniendum strenuus, ad discordantium compositionem humilimus, ita vt nonnunquam cum pontificalibus aduolueretur ipsorum pedibus, quos ad reconciliandum acclamantium prohibebat animus: beatius credebat dare quàm accipere. Vnde in consecrationibus ecclesiarum magis omnes de proprijs sumtibus ac curatione studebat procurare, quàm sua iucunditate alios importunè grauare. In ordinibus verò clericorum tanto plus gaudebat, quanto magis ordinatorum numerositate domum suam impletam esse videbat. Hospes enim domi erat largissimus, hospes foris verecundissimus, pauperum procurator diligentissimus & cum ipsis in mensa propria conuiua iucundissimus. Nihil huic Pontifici virtutis deesse credimus, vt plenissimè de ipso dicere possimus, quòd pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit, & quietus vita, dum spiritus vegetauit eius corporis artus. Aduersitates enim suprà dictas tanta vicit patientia, vt nunquàm eum aliquis viderit irascentem, audierit clamantem, nec malum pro malo reddentem, sed cogitatum iactans in Dominum, dicebat cum Apostolo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sed hæc hactenus.

## CAPVT XII.

*Redit ad obsidionem Lubec.*

*Discordia oppidanorū.*

*Otho Marchio.*

*Adolfus rerum suarū satagit.*

QVia verò longius à ciuitate digressi sumus, nunc ad ipsam redeamus. Inter hęc ciues nostri diutina inclusione laborantes audierūt de mutatione, quæ in Stadio facta est. Et turbati valde, cœperunt de ciuitatis deditione cogitare. Facta est autem dissensio inter eos. Quidam enim dixerunt: Tradamus ciuitatem regi Danorum, vt gratiam ipsius inueniamus, qui ab omni nos infestatione eripiet, insuper negotiari nos in terra sua permittet, & quis est, qui nos inquietare poterit, si ipsum habuerimus protectorem? Alij autem dicebant: Non sic, quia ciuitas nostra sub ditione Romani imperij sita est, à quo si alienata fuerit, proscriptione Domini Imperatoris mulctabimur, & sic odibiles omnibus erimus. Sed si placet, tradamus eam Othoni Marchioni, & ipse eam quasi sub nomine Imperatoris accipiat, sicq; liberabimur à tyrannide istius Comitis, ne regnet super nos. Adolfus autem Comes hoc cognoscens, magis arctabat ciuitatem. Vnde territi ciues, ciuitatem ei

aperiunt, conditione tamen interposita, vt homines Ducis abirent illæsi. Capta autem ciuitate, Adolfus ad Imperatorem profectus est: qui pro labore suo omnes reditus ciuitatis liberalissimè ei permisit. Bernhardum etiam Comitem suis muneribus sæpius honorauit.

*Potitur vrbis prouentibus solus.*

*Bernhardus Raceburg.*

## CAPVT XIII.

*Auctoris gratiarum actio & confessio.*

Miserationum Domini recordabor. Cur inter hæc, quæ ad posteritatis memoriam scribo, opera misericordiæ Dei nostri, quæ diebus nostris innotuerunt, non recolo? eius memoriam omnibus præfero? quia recordatus est mei, & factus est mihi in salutem. Quia verè pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. In omnibus enim tribulationibus & angustijs meis respiciens eram ad auxilium, & non erat. Sed ipse miserator & misericors factus adiutor meus. Nemo vnquam principum, nemo magnatum patrocinatus est mihi, ac si inter angustias mihi diceret: Iacta cogitatum tuum in Domino: quia sufficit tibi gratia mea: nec sperabis in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus. Quid enim mihi cum principibus? cùm magis dicere expediat: Ego autē sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ego autem cum hominibus positus, inter homines non nisi quæ infirmitatis meæ sunt, potero gloriari. Nihil enim quod homines mirentur, in me inueniunt: quia non est exaltatū cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, &c. Illi autem quæ fortia sunt complectuntur, & quæ infirma sunt & contemtibilia huius mundi despiciunt, quæ tu Deus meus magis eligis, vt confundas fortia. Neq; enim eges fortiū, cùm tu Deus sis fortis, ideoq; magis infirmos eligis, vt fortes facias, vt dum perfectè cognouerunt, quia sine te nihil possunt facere, nomini tuo ascribatur victoria. Qui verò absq; te se potentem gloriatur & fortem, dicam illi: Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? De quibus ergo homines me reprobant, tu magis approbas. Illi me peccatorem despiciunt, sed quia tu pius es, ad te conuersus Deus meus, dico: Deus propicius esto mihi peccatori, & tu remisisti impietatem peccati mei. Illi à me sapientiam quærunt, sed tu scis insipientiam meam. Illi me secularia negotia detestantem detestantur, sed mihi adhærere tibi Domino, Deo meo, bonum est. Illi me personam nullam habentem fugiunt, sed tu Deus meus personarū acceptor non es. Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus tua. Non enim qui seipsum commendat, probatus est, sed quem tu Deus meus commendas. Meritò ergo miserationum tuarum recordabor, vt qui tua me præuentum gratia non ambigo, præueniar etiam in benedictionibus dulcedinis tuæ, in quibus epulantur iusti, Deus meus, in conspectu tuo. O pie, ô misericors, ô suauissime, ô amantissime, quas pro tuis miserationibus gratiarum actiones tibi referam? Quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? quæ laudes tibi sufficiant, cui cœlum & terra & maria non sufficiant? Sed quia in te cantatio mea semper, imò laus mea tu es, sufficiat tibi Deus meus qualiscunq; laus mea, quæ tu es, & vota nostra, quæ tu ipse & nemo alius præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Quid de mutatione dicā, quam operata est in me dextera excelsi? Vertit impium, & non erat. Ego enim aliquando sub lege præter legem vixi, adiutor legis non factor. Sub religione eram, sed totus penè irreligiosus: sub libertate ordinis liberè peccabam in ordine. Nam quod quasi de pietate mihi indultum erat, eo abutebar magis quàm vtebar. Et quia nec certū tempus lectionis vel laboris aut orationis seruabam, semper vagus, semper incertus nunquam in eodem statu permanebam. Nec regulariter abstinebam, nec regulariter ieiunabam. Et cùm ista mihi essent pro gratia, creuit exinde tamen superfluitas maxima, ita vt iam non quid liceret, sed quid liberet instanter cogitarem. Otium reputaui ordinem, intemperantiā abstinentiam, gulam sobrietatem, inuisitationem taciturnitatem, à verbositate vel nocte temperare, pœnam maximam. Quid ergo damno, reprehendo, ordinem? nō ordinem, sed ordinis superfluitates, quæ ex illo tempore cœperūt, ex quo facta est mutatio ordinis: Non quòd illi patres sancti & iusti non fuerint, sed vt verbis vtar Poetæ, libertas in vitium excidit, chorusq; turpiter obticuit sublato iure nocendi.

*Superstitiones Monachatus accumulata.*

Nam

Nam quod illis diſpenſatio, nobis mutationis eſt remiſſio. Ordo enim de die in die per plurimorum mutationes, quę non pro ordine, ſed contra ordinem diſpenſant, vergit ad occaſum, ita vt nūc in hoc tempore ferè nemo ſciat, quid ſit ordo, ſed ordinis præuaricatio. Ego verò cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Cùm autem tua gratia, Deus, factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli. Et cùm audirem regulam, quam non ſequebar, errare me intelligebam. Per quem? Per ſpiritum timoris tui. Ille me incitauit, per ſuam veritatem docens me omnem veritatem. Et intellexi, quòd in his obſeruationibus, quas prius multipliciter obſeruabam, labor eſt maximus & afflictio ſpiritus, nec ſtare poteſt ordo in talibus. Ordo enim ſimplex eſt, à te ſimpliciſſimo Deo ſanctis patribus inſpiratus: à quibus eum beatiſſimus pater noſter Benedictus accepit, & in ſcriptum redegit. Cuius mihi præcepta ſuper mel & fauum dulciora. Ibi enim eſt, quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Ideo Deus meus cantabiles mihi ſunt iuſtificationes tuæ, ita vt cantem in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini. Pro his beneficijs miſerationum tuarum recordabor, ita vt te laudans omnibus te laudabilem prædicem, commemorans opera miſericordiæ tuæ, quæ diebus noſtris facta ſunt, vt habeant præſentes & futuri, vnde glorificent nomen tuum: quod eſt benedictum in ſecula ſeculorum, Amen.

*ἐθελοθρησκείαι.*

## CAPVT XIIII.

PVella quædam in partibus Turingiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ęgrotabat. Quam dum ſacerdos ex more viſitaret, dans ei viaticum, ablutionem digitorum fecit in bicario mundo, ipſam aquam ad bibendum ei tradens, ſicq; diſceſſit. Illa verò bene ſuæ mentis compos dixit his, qui circa ipſam erant: Diligentiſſimè ipſam aquam operite: quia de digitis ſacerdotis vidi portiunculam euchariſtiæ in eam decidere. Quo facto cùm ipſa aqua ei poſtea ad bibendum fuiſſet allata, & tota mutata fuiſſet in ſanguinem, ipſa quoq; portiuncula, licet minimi formam accipiat digituli, verſa in cruentam carnem. His viſis terrentur omnes, fit clamor muliercularum accurrentium, clamantium, mirantium, ſtupentium, & de re tam inaudita ſic & ſic loquentium. Mittitur, ſacerdos vocatur, qui magis ſtupebat, qui ſuam in his negligentiam metuebat. Qui etiam timens officij ſuſpenſationem, celare rem voluit, hortans tanti ſacramenti exuſtionem. Sed celari non potuit, quod Deus miraculosè manifeſtari voluit. Communicatur res pluribus, fit conuentus ſacerdotum: qui in perturbatione non habentes conſilium, adierunt archidiaconum. Qui ſuper his timens aliquid diſpenſare, quæ geſta erant, per epiſtolam ſignificauit Domino Moguntino. Interea ipſum bicarium cum viuifico corpore & ſanguine opertum corporali ſuper altari ponitur, & videntibus cunctis qui aderāt, columba venit ſuper labium bicarij, & diu ſedit, non ſine admiratione cunctorum, quòd corporis ſui pondere ipſum vaſculum non euerterit. In partibus enim illis bicaria quaſi ductilia in inferioribus ſunt anguſta, in ſuperioribus verò ampliora. Vnde, qui viderant, non corporalem ſed ſpiritualem columbam arbitrati ſunt. Cùm ergo hæc circa feſtum B. Vincentij Martyris facta fuiſſent, in feſto annunciationis venit Dominus Archiepiſcopus in partes illas. Ipſam enim diem præfixerat omnibus Prælatis ſuis cum omni clero, ſimiliter & vniuerſo populo, vt omnibus in vnū poſitis, quid ſuper eodem negotio ageret, omnium cōſilio vteretur. Omnibus igitur conuenientibus ad villam, vbi ipſum ſacramentū repoſitum erat, ordinata proceſſione Prælatis portantibus ſanguinem Domini cum ſupplicatione letaniæ & populi deuotiſſima prece, omnes diſcalceatis pedibus ad ciuitatem ſuprà dictam veniunt, & primam in monte B. Cyriaci ſtationem faciunt. Quibus cum nimia humilitate occurſant ſanctimoniales eiuſdem loci cum genu flexione intima cantantes deuotiſſimè: Ieſu noſtra redemtio, &c. Vbi cùm Miſſarum ſolennia pro inſtanti articulo celebrata fuiſſent, procedunt ad montem B. Petri, vbi magnus & religioſus ab antiquo inſtitutus Monachorum eſt conuentus. Vbi ſimiliter cùm deuotiſſimè Miſſarum ſolennia celebrata fuiſſent, ventum eſt ad eccleſiam beatæ

*Oſtentū in pane myſtico.*

Dei genitricis semperq; Virginis Mariæ. Vbi Dominus Archiepiscopus pontificalibus indutus, inter diuina populum ad lachrymas & orationes est adhortatus, vt diuina clementia, semper humano generi amica, quæ ad euacuandum errorem infidelium, siue ad corroborandam fidem suorum fidelium, sacramentum, quod sub specie panis & vini benedicitur, sanctificatur, sumitur, verè suam carnem & sanguinem euidentissimis indicijs demonstrasset ad laudem & gloriam nominis sui, similiter etiam ad iucunditatem & exaltationem ecclesiæ suæ sanctæ, vt confiteamur nomini suo sancto, & gloriemur in laude sua, rursus in priorem substantiam panis & vini transformare dignetur: Vt sicuti ipse verè est panis vitæ & vinũ, quod spiritualiter lætificat cor hominis, ita verè sacramentum, quod ecclesiæ sub specie panis & vini vsurpandum dederat, in formam notam verteretur. Cumq; diu oratum fuisset, & sanguis & caro in formam priorem non redisset, Pontifex de nouis lapidibus nouum altare construi præcepit, vt in eo idem sanguis cum carne Dominica reuerenter conderetur. Verùm cùm inter ipsas orationes & exhortationes sæpius institisset, & transformatio facta non fuisset, venit subitò qui diceret, Dominum preces & gemitus filiorum Israel audisse, & priorem illam substantiam plenissimè redisse. His auditis, Dominus Archiepiscopus multis suffusus lachrymis, omnes ad gratiarum actiones hortari cœpit, ipse verò cum sermone exhortationis in laudes Domini nostri Iesu Christi prorumpens, sic omnibus locutus est: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. O redemtor, quis vnquã mortalium facta pietatis tuæ dignis efferat laudum præconijs? qui semper cogitas cogitationes pacis & non afflictionis. Et quia proprium est tibi, semper misereri & parcere, cuius natura bonitas, voluntas potentia, opus misericordia, tu facis quod tuum est, nos autem quod nostrum est. Tu antequam inuocemus, paratus es misereri: nos proni ad malum sumus à diebus adolescentiæ nostræ. Nos ingrati sumus tantæ pietatis, munificentiæ: tu verò nec ingratis beneficia subtrahis, qui solem tuum oriri facis super bonos & malos, & pluis super iustos & iniustos. Sed qui de terra est de terra loquitur: tu quoq; qui de cœlis descendisti, super omnes es: quia tu solus scis, vnde venias, aut quo vadas: qui ad firmandam plebis tuæ fidem, sacramentum hoc vertisti in cruentam carnem. Qui verè te panem viuum, qui de cœlo descendit, homini, ne deficiat in via huius peregrinationis, comedendum dedisti, quem sine fastidio continuè manducat Angelus in cœlo. Quem tamen ille manducat deliciosum, iste interim manducat ad remedium. Vterq; verè, sed nõ vterq; plenè. Apostolus enim dicit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Aliud

*Nota bene.* quippe est, sumere sacramentum, aliud rem sacramenti. Vinum est visibilis forma, aliud inuisibilis gratia. In his duobus duo comedendi sunt modi, vnus sacramentalis, alius spiritualis. Secundum vnum comedunt vniuersi, secundum alium tantùm boni. Ibi multi vocati, hîc pauci electi. Ideo dixi vterq; verè, sed non vterq; plenè: quia alius tantùm sumit sacramentum, alius autem & sacramentum & rem sacramenti. Alius enim deuotus & dignus cum sacramento visibili inuisibilem percipit & gratiam. Alius autem indignus sumens sacramentum, reus efficitur corporis & sanguinis Domini: quia iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Nunc igitur vt condignas persoluamus gratiarum actiones Domino nostro Iesu Christo, qui in hoc facto nos & terreri & consolari voluit, hoc suademus, præcipimus, statuimus omnibus sub nostra iurisdictione consistentibus, vt omnes à minimo vsq; ad maximum, à iuuene vsq; ad senem, & pueri & puellæ, incuruati adorent, laudent, magnificent Dominum nostrum Iesum Christum, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum, & honoremus almiflua eius sacramenta, vt non solùm sacramentum, sed & rem sacramenti fideliter percipiamus per gratiam ipsius, qui secundum ordinem Melchisedech sacerdos est, & sacrificium, quo nos sibi faciat populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Cumq; omnes respondissent, amen, Dominus Archiepiscopus

*Ostenti monumentum.* ipsam aquam transsubstantiatam in vasculo precioso ad posteritatis memoriam in ipsa ecclesia honorificè reposuit, bicarium verò secum Moguntiam detulit, vbi vsque hodie honore maximo veneratur. Omnes autem qui in omni diœcesi sua cõstituti

ftituti erant, ita deuotè ad laudem Chrifti incuruati funt, vt etiam infantuli, qui in cunabulis iacebant, incuruati gratias agerent, iuxta illud: Ex ore infantium & lactentium perfecifti laudem.

## CAPVT XV.

*Oftentū in baptifmo.*

ALiud etiam beneficium Saluatoris noftri narrabo, quod tempore Philippi Archiepifcop. Coloniæ celebratum eft. In fabbatho fancto Pafchæ cùm paruuli iuxta morem ecclefiæ baptizarentur, quidam Iudæus eiufdem ciuitatis quafi per curiofitatem cum alijs fpectatoribus huic fe negotio ingeffit. Et cùm infra actionem facrum chrifma capiti cuiufdam infantuli à pontifice imponeretur, aperti funt oculi eius, & vidit Spiritum fanctum in fpecie columbæ fuper ipfum infantulum defcendentem. Territus ille de tanta vifione, & mente confternatus, difceffit, & illuminationem quandam mentis concipiens, diuinum illud effe myfterium nec perfectè credidit, nec perfectè dubitauit. Audierat fæpius magnum Chriftianitatis effe facramentum, fed Iudaica repugnante perfidia quicquid inde mente concipere poterat, dubiè recipiebat. Conferuabat tamen omnia hæc, conferens in corde fuo. Sic totus reuoluitur annus, cùm iterum in parafceue, quod eft ante fabbathum, in Synagoga conftitutus, vifitationem pijffimi fenfit faluatoris. Siquidem Iudæis quædam eft deteftabilis confuetudo, vt implentes menfuram patrum fuorum, quouis anno ad contumeliam faluatoris imaginem ceream crucifigant. Quam dum more fuo contumelijs afficerent, & cætera, quæ in paffione eius leguntur, flagellando, colaphizando, confpuendo impleffent, & clauis manus & pedes perforaffent, tandem lancea latus eius perfoderunt, & continuò exiuit fanguis & aqua. Et qui vidit, teftimonium perhibuit, & fcimus, quòd verum eft teftimonium eius. Nam idem Iudæus diuinitus illuminatus, quæ vidit etiam credidit. Relicta enim Synagoga, ftatim ad Archiepifcopum cucurrit, quæ gefta effent, nunciauit, & abrenuncians infidelitati Synagogæ, in fabbatho fancto lauacrum regenerationis accepit, & non folùm angelis Dei, fed & hominibus de fua conuerfione gaudium fecit. Gaudemus & nos de benigniffima gratia redemtoris noftri, ita vt malis bene vtentes, ipfam nobis nequitiam Iudæorum vertamus in arma falutis, & quafi per eorum illuminati excæcationem, noftram ad Iefum exufcitemus deuotionem. Videamus quid fua illis faciat malitia, & verè credamus, quod ipfum apud Iefum faciat fides noftra. Illi implentes menfuram patrum fuorum, qui fibi fuifque imprecantes dixerunt: Sanguis eius fuper nos & fuper filios noftros: ipfum fub imagine fua contumelijs affectum crucifigentes, verè crucifigunt, non verbum vitæ, ficut patres eorum manibus nefarijs contrectantes, fed odiendo, execrando malitiæ illum manibus contingentes. Chriftus enim refurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Ipfe tamen per imaginem crucifigi potuit, qui ante paffionem tempore legis per agnum immolari potuit. Sed dicis: illud in figura factum eft. Affentior. Illos tamen, qui huic fententiæ diffidunt, ad auctoritatem ipfius fcripti mittimus, vbi à Iudæis in imagine Domini fimile quoddam perpetratum eft: Vbi inuenitur, quòd de latere eius exiuit fanguis & aqua, vbi multi cæci fuerant illuminati, claudi curati, leprofi mundati, & dæmones effugati. Veraciter igitur credamus, quia quod illis ipforum malitia, nobis faciat deuotio noftra. Annon qui deuota mente recolit memoriam paffionis Dominicæ, ita vt ad lachrymas compungatur, verè compatitur Chrifto? cuius membrum eft cum gloriofiffima matre eius Maria, cuius animam doloris pertranfiuit gladius, & cum pudiciffimo filio & miniftro fuo Ioanne, quamuis ille mortem non viderit, donec placidam fuæ carnis abfolutionem Domino fe vifitante percepit. calicem an non Dominicæ bibit paffionis? an non verè cum mulieribus plorat, quæ fedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum? an non qui in commemoratione talium in omnibus fe deuotos & compunctuofos exhibent, verè cum Nicodemo & Iofeph aromatibus eum condiunt, & linteo mundo inuoluunt? Verè tales, qui flent cum flentibus, gaudebunt cum

*Infanum Iudaeorum inftitutum.*

*Credenti omnia cooperantur in bonum.*

gaudentibus: quia sicut verè Christo compatimur morienti, sic verè conregnabimus resurgenti.

## CAPVT XVI.

*Bernhardi D. expeditio Lauenburg.*

BErnhardus Dux videns quòd Adolfus Comes prosperatus in via sua Lubecam obtinuisset & Stadium, sperans per eum plurimum præualere in terra, & nominis sui potentiam extendere, veniens in manu valida cum vxore etiam & omni supellectile circa cathedram B. Petri, obsidione maxima vallat Lawenburg. *Auxiliares.* Quem constanter iuuerunt Comes Adolfus & Bernhardus. Cumque diutina obsidione arctasset castrum, ita vt iam fame deficerent, qui in ipso erant, & Dux *Incuria.* quasi securus distracto exercitu solus excubias seruaret, venerunt amici Ducis Henrici, Bernhardus de Welpe, & Helmoldus de Suerin, cum his, quos contraxerant, aut victualia esurientibus laturi, si possent; aut si non possent, ipsos de obsidione liberaturi. Cùm verò transirent aquas, Dux primò quidem eos non attendebat, sed cùm multiplicati fuissent, inhibere eos volebat, nec poterat. Illi autem confortati viribus & armis cum his, qui in castro erant, dimicaturi cum hostibus campum petunt. Dux quid faceret, nesciebat, exercitus, vt dictum est, distractus erat, Adolfus aberat, & Bernhardus Comes Borsich castrum cum suis expugnabat. *Clades.* Ipse tamen constanter agens, arma corripuit, viriliter pugnauit, sed victoriam non obtinuit. Siquidem omnibus suis captiuatis, ipse vix captiuitatem euasit. Vxor verò ipsius, relicta omni supellectile, abijt Raceburg. Sicque præter spem liberata est Lawenburg, vel quia Ducem Bernhardum fortuna cæca deseruit, vel quia *Henricus L.* Duci Henrico aliquas reliquias transalbinas Deus reseruare voluit. Qui tamen vltionem de inimicis expetens, nunc à Slauis, nunc à Danis auxilium quærebat, & non erat.

## CAPVT XVII.

*Canuti Regis in Adolfum bellũ. Waldemarus Slesuic.*

REx tamen Danorum Canutus, exacerbatus à Comite Adolfo, fines ipsius in manu valida intrauit, terram eius incendijs & deprædationibus vastaturus. Siquidem Waldemarus, Slesuicensis Episcopus, Canuti regis filius, contra Canutum inimicitias pro regno susceperat, & auxilium regum Noruegiæ & Sueciæ sibi contraxerat, cui ex altera parte fauebant amici Imperatoris, Otho Marchio, & Adolfus Comes, & Bernhardus Comes de Raceburg. *Eiusdem cõplices.* Cùm igitur Waldemarus contra Canutum produceret exercitum, ipso tempore Adolfus Comes cum multitudine graui transiens Egdoram fluuium, omnem terram Regis vastauit vsque ad Slesuich, ibique accepto sinistro nuncio, ad sua cum præda multa reuersus est. Waldemaro enim à quibusdam amicis insidiosè persuasum fuerat, vt memor consanguinitatis & pristinæ familiaritatis ad gratiam regis veniret, quem ille procul dubio omni amicitia dignum, honoribus & diuitijs ampliaret. *Captiuitas.* Talibus consilijs acquiescens, volubilitatem fortunæ expertus, non solùm compedibus, sed & manicis ferreis fortissimè astrictus est. Pro tali commotione, vt dictum est, siue, vt quibusdam placuit, ad subueniendum Duci Henrico Rex fines Comitis cum armorum vasis intrauit. Cui Comes licet impari numero occurrit. Aduentum namque regis diu Comes præsenserat: vnde non *Otho Marchio.* solùm Othonem Marchionem, sed militum manum validam contraxerat. Sed moram rege faciente, Marchio cum multis abierat: cùm subitò Rex venit, & Comes exiuit obuiam ei. *Adolfus imparatus precio pacem redimit.* Computans tamen, quòd ex æquo occurrere illi non posset, legatione missa, rogat ea quæ pacis sunt. Sicque mille quadringentis denariorum marcis gratiam Regis obtinuit, & ille in locum suum reuersus est.

## CAPVT XVIII.

*Absolonis, Archiepisc. Lundensis mors. Laudes.*

HOc dierum curriculo ex hac vita subtractus est Dominus Absolon, Lundensis Archiepiscopus, vir religiosus & magni consilij siue discretionis & præcipuè honestatis. Huius industria omnes ecclesiæ totius Daniæ prius discordantes

vniformes

vniformes in officijs diuinis factæ sunt. In cathedrali sede crucifixum superaffigi præcepit, vt accedentibus & recedentibus reuerentia crucifixo magis quàm sibi fieri videretur. Præterea largè sua ecclesijs & monasterijs conferens, maximè cathedralem ecclesiam B. Laurentij martyris Lundis ditare & ornare studebat coronis preciosis & campanis maximis, vt nunc cernitur, & diuersis ornamentis. Et quia erat, vt dictum est, vir religionis amator, monasterium Cistercienſium Monachorum in Sora ædificare & ditare satagebat, vbi etiam circa finem dierum suorum molestia corporis tractus ægrotabat. Ordinatis autem ecclesiæ suæ rebus, in die B. Benedicti Abbatis diem clausit extremum. Cuius morte omnis Dania non parum indoluit, & quia multos discordantes ad pacem in vita sua reformauerat, ipsius exitum Iesu Christo, pacis auctori, commendabat. Cui successit Dominus Andreas, regalis aulæ Cancellarius, vir litteratissimus, nec minore gratia præditus. Erat autem à primo iuuentutis suæ tempore studijs deditus, & morum grauitate ornatus. Et cùm esset in negotijs regijs continuè occupatus, magna tamen abstinentia se constringebat. A qua nec in Romana curia negotijs deditus temperabat, vt omni sexta feria nihil gustans crucis Dominicæ baiulus existeret. Ordinatus autem ipsam morum grauitatem non deseruit, humilis & quietus & pudicus & abstinens permansit. Vnde æmulatione sua plurimos prouocauit. Doctrina etiam adeò insistebat, vt nonnullos tàm clericos quàm laicos diuini amoris flamma succenderet, & ipse eis candela existens scintillas verbi Dei vbique spargeret. Auaritiam quoque, quæ est idolorum seruitus, omnino detestans, nihil per vim rapere curabat, sed suis contentus, beatius dare quàm accipere docebat.

*Andreas Cācellarius successor.*

*Digna Episcopo virtutes.*

## CAPVT XIX.

NEc piguit, ad ædificationem aliorum, hîc ponere epistolam Conradi Cancellarij, quam scripsit nobis de statu Apuliæ & de operibus vel artibus Virgilij.

*Epistola Cōradi Cancellarij ad auctorem.*

*Conradus, Dei gratia Hildesemensis electus, imperialis aulæ & regni Siciliæ legatus, dilecto S. N. Hildesemensis Præposito Ecclesiæ, salutem & dilectionem quàm intimam.*

*¶ De hoc Cōrado Cancellario infrà lib. 7. cap. 2.*

QVomodo virtuosa Domini dextera serenissimi Domini nostri Henrici, gloriosissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & regis Siciliæ, imperium vsque adeò in ore gladij dilatauit, vt ea, quæ olim apud vos in scholis positi in ænigmate quasi in speculo aure tenus percepimus, facie ad faciem oculata nunc fide cognouerimus, vobis de his scribere non duximus superfluum, vt omnem de his, quæ vobis friuola fortè vel incredibilia videntur, de corde vestro dubietatis scrupulum auferentes, ad ea videnda quæ auditis, vestrum accendamus desiderium, vt ea quæ nunc demissa tantùm per aurem vobis sunt dubia, fide plena constent, & pateant occulta. Nec id vobis videatur difficile: terminos Imperij non oportet egredi, Teutonici orbem dominij non ducatis transeundum, vt ea videatis, circa quæ Poetæ multa consumserunt scribendo tempora. Inter hæc autem Alpium niuibus laborioso cursu superatis primùm occurrit nobis Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ. Quas ciuitates celeri cursu prætereuntes, Mutinæque labores, non sine admiratione astitimus parui Rubiconis ad vndas. Cuius paruitatem stupido intuentes obtutu, disertissimi illius Poetæ Lucani admirati sumus facundiam, qui de re tam humili tam grandiloquo intumuit eloquio. Nec minus admirati fuissemus, quòd tam minimus non fluuius sed riuulus tanti Ducis, Iulij Cæsaris scilicet, animo, nullis vnquam fracto periculis, timorem incutere potuit, vel transitus præbere difficultatem, nisi indigenarum didicissemus assertione, eundem Rubiconem instar perennis fluminis imbrium & torrentium auxilijs sæpius intumescere mendicatis. Quo sine difficultate transito, quod Iulio con-

*Cæsaris potentia.*

*Itinerariū Ital. & Sicul.*

*Rubico amnis.*

*Fallitur & fallit, vt in sequentibus creberrimè.*

tingere non potuit, transeuntes Pisaurum, quod à pensando aurum ab antiquis dictum est, eo quòd Romanis militibus, ad debellationem exterarum nationum proficiscentibus, ibi aurum ponderaretur & distribueretur, solidi scilicet, ciuitatem Fanum accessimus, vbi milites proficiscentes apud fana idolorum, quorum vestigia adhuc ibi sunt, orauerunt, & votiuas pro salubri reditu Dijs fecerunt promissiones, quas à debellatis victoriosi redeuntes hostibus ibidem cum gratiarum actionibus persoluerunt. Deinde montem non sine difficultate calcantes Apenninum, Sulmonem ad illius Ouidij patriam peruenimus, magis ex tanti Poetæ natione, quàm de suæ vbertatis laude famosum, cùm ipsum nullis diuitijs adeò copiosum quàm gelidis inuenimus vndis. Vnde idem Ouidius:

*Sulmo.*

*Sulmo mihi patria est, gelidis vberrimus vndis.*

Nec nos ipsum, vt verum fateamur, gelidis minus inuenimus niuibus copiosum. Occurrerunt circiter eundem locum nobis arbores miraculosæ, de quibus si quis, vt aiunt, ramum decerpit, aut eodem anno in fata concedit, aut longæ & acutissimæ febris non euadit insultum. In quas asserunt (si credere est dignum) sorores Phaetontis post lachrymosas fratris exequias miseratione superum transformatas. Deinde Thetin ciuitatem, vbi Thetis, mater Achillis, habitabat, prætereuntes Nympham à dextris reliquimus: vbi pro fontium amœnitate nymphæ fingebantur esse, & ibidem colebantur. Cannas etiam aspeximus, vbi tot nobilium Romanorum millia ab Annibale interfecti sunt, vt anulis occisorum duo modij implerentur, cùm anulis tunc temporis tantùm nobiles vterentur. Præterijmus deinde Iouianum ciuitatem, quæ quasi Iouis natio nuncupatur, eo quòd ibi Iupiter natus fuerit. Sub silentio etiam transire noluimus, quòd Pegaseum fontem, Musarum præterijmus domicilium, de quo nunc sine difficultate potare possetis & haurire, si vobis placeret, ad cuius gustum Poetæ longis quondam studijs & laboribus peruenerunt. Nunc ergo ad illum fontem gustandum vltra Sauromatas & ad extremos Indos non oportet peregrinari. Fons iste est in nostro Imperio. Ibidem non longè Parnassus mons occurrit, in quo Deucalion cum sua coniuge damnum humani generis iactu lapidum post diluuium reparauit. Ibidem est Olympus mons, tantæ celsitudinis, vt cæteros montes sublimes quidem sub pede longè relinquere videatur. Ibidem Caianum, quæ casa iam fuit, & ideo Caianum dicitur, præteriuimus, & locum, qui caput Mineruæ vocatur, eo quòd ibi Minerua coleretur, littus maris scopulosi prætereuntes, quòd Palinurus dicitur, eò quòd ibidem

*Arbores miraculosæ & fabulosæ.*

*Cannæ. Vide Florum.*

*Hippocrenen dicit in Helicone Bæotiæ.*

*De Parnasso & Olympo cõsule auctores classicos.*

*Nudus in externa iacuit Palinurus arena,*

Æneæ adhuc refricans infamiam, quòd ibidem emeritum peregrinis demersit in fluctibus Palinurum. Vidimus etiam operosum opus Virgilij Neapolin, de qua nobis mirabiliter Parcarum pensa dispensauerunt, vt muros ciuitatis eiusdem, quos cantus fundauit & erexit Philosophorum, imperialis iussionis mandato destruere deberemus. Non profuit ciuibus illis ciuitatis eiusdem imago, in ampulla vitrea magica arte ab eodem Virgilio inclusa, arctissimum habente orificium, in cuius integritate tantam habebant fiduciam, vt eadem ampulla integra permanente, nullum pati posset ciuitas detrimentum. Quam ampullam sicut & ciuitatem in nostra habemus potestate, & muros destruximus, ampulla integra permanente. Sed fortè quia ampulla modicum fissa est, ciuitati nocuit. In eadem ciuitate est equus æreus, magicis incantationibus à Virgilio sic compositus, vt ipso integro permanente, nullus equus possit redorsari, cùm tamen de vitio naturali sit illi terræ proprium, vt ante equi illius compositionem, & post eiusdem equi quantulamcunque corruptionem, nullus equus sine dorsi fractura possit equitem aliquandiu vehere. Ibidem est porta firmissima, instar castelli ædificata, valuas habens æreas, quas nunc satellites tenent imperiales, in qua constituerat Virgilius muscam æream, qua integra permanente, nec vna musca ciuitatem potuit introire. Sunt ibidem in castro vicino in supercilio ciuitatis, vndiq; mari incluso, ossa Virgilij, quæ si libertati exponuntur aeris, totius facies aeris obscuratur, mare funditus euertitur, & tumidis æstuat procellis, insperateque consurgit

*Neapolis.*

*Fabulosæ de Virgilio narrationes.*

strepitus

strepitus tempestatis, quòd nos vidimus & probauimus. Sunt in vicino loco Baiæ, *Baiæ.* quarum meminerunt auctores, apud quas sunt balneæ Virgilij, singulis passionibus corporis vtiles. Inter quas balneas vnum est principale & maximum, in quo sunt imagines hodierno tempore vetustate consumtæ, singulas singularum partium corporis passiones demonstrantes. Sunt & aliæ imagines gypseæ singulæ singulas balneas demonstrantes singulis passionibus profuturas. Ibidem est *Palatium Sibyllæ.* palatium Sibyllæ, operosis constructum ædificijs, in quo est balneum, quod hodiernis diebus balneum Sibyllæ nuncupatur. Est ibidem palatium, de quo *Nugatur.* Helena à Paride rapta perhibetur. Præteriuimus etiam Scyron insulam, in qua Thetis filium suum Achillem deposuit, dum fatorum minas & Græcorum insidias formidaret. Demum asperrima Calabriæ inuia cum labore transeuntes, *Scylla. Charybdis.* Siciliam adituri, Scyllam & Charybdin non sine timore nauigio transiuimus, quem nunquam alicui contigit sani corporis homini sine formidine locum pertransire. In principio ergo Siciliæ vidimus domum Dædali in vertice montis constructam, in quo Minotaurus inclusus matris infamiam vitæ tenebris redemit. Vnde adhuc locus Taurominium vocatur, à Minotauro, vel quasi Tauri menia, à cuius semine Pasiphae genuit Minotaurum. *Taurominii fabulosa notio.* Vbi radices & reliquiæ murorum domus illius intricatæ vestigia reliquerunt plurima, vt vidimus, intricata. Et mare adiacens Icarium mare nuncupatur, eo quòd Icarus ibidem ala- *¶ Mare Icarium habet Asia.* rum remigio aereas contra naturam hominis carpens vias, neglecto patris mandato, vitæ suæ diem lachrymabiliter consummauit extremum. Accessimus demum Ætnam montem, in quo Iouis faber Vulcanus cum suis conseruis Gigan- *Ætna.* tibus Iouis fulmina fabricauit. In eodem siquidem caminus ingentissimus ignisque exhalans horrendissimus pro scintillis saxa vomunt ingentissima in modum scoriæ ferri, quæ arbusta hodierna die & totam faciem terræ ad diætæ longitudinem circumquaque tegunt, vt tota illa prouincia necdum cultoribus sit idonea, sed sua multitudine prædicta saxa viatoribus transitum penitus negauerunt. Talibus siquidem eguit durus ille fulminum faber carbonibus, qui immanibus non possent follium de facili flatibus exsufflari. Est in latere prædictæ Ætnæ lo- *Fabula Cereris & Proserpinæ.* cus munitus & amœnus, cui dea Ceres de vnica prole solicita, vnicam non sine lachrymis filiam Proserpinam commendauit. Est ibidem scissura terræ non minima, quam horrendarum occupat obscuritas tenebrarum. Vbi Pluto rapturus Proserpinam fingitur erupisse. Prædictus autem caminus Ætnæ vsque ad tempora Agathæ virginis durauit, & dum solito fortius erumperet, vt vniuersæ terræ faciem *Legenda S. Agathæ.* occuparet, & multa hominum millia violentia flammarum interimerentur, Sarraceni, qui multa miracula viderant, quæ Dominus per merita B. Agathæ virginis operari dignatus est, velum eiusdem virginis prædictis flammis opposuerunt, & ipsa flamma tanquam ventorum impetum fugiens, in terræ viscera se recepit, nec vltra in Sicilia comparuit, sed ipse ignis se ad quendam scopulum in mari positum transtulit: Vbi hodiernis temporibus indesinenter glomeratus, flammarum & cineris turbo exhalat. Vnde idem scopulus vulgo Vulcanus appellatur, eo quòd faber Iouis, Vulcanus credatur à simplicibus se ab Ætna ad eundem scopulum contulisse. Est circiter eundem locum Syracusæ ciuitas, de qua dicit Virgilius:

*Prima Syracusio dignata est ludere versu*
*Musa, &c.* ————

Iuxta hanc ciuitatem oritur in littore maris fons Arethusa, quæ primo raptum *Arethusa.* Proserpinæ matri solicitæ per ordinem reserauit. Ad hunc fontem Arethusam vicinus præterlabitur Alpheus, surgens in Arcadia, & per medium maris vsque *Alpheus.* ad Siciliam defluit, & ibidem aquis Arethusæ nititur immisceri, pristinum seruans amorem: & quam viuam dilexerat, eiusdem aquis admisceri nititur post eiusdem transformationem. Vidimus ibidem thermas, quarum sæpius meminerunt auctores, vidimus Pelorum, Pachynum & Lilybæum, tria promontoria Siciliæ. Vidimus ibidem Sarracenos, qui solo sputo venenosa interficiunt anima- *Psylli.* lia, quæ virtus quomodo ipsis sit insita, breuiter tangemus. Paulus Aposto- *¶ Alter Acta Apostol. cap. 28.* lus naufragium passus, apud Capreas insulam applicuit, quæ in actibus Apo-

ſtolorum Mitylena nuncupatur, & cum multis alijs euadens, ab indigenis terræ benignè acceptatus eſt. Et cùm prædictis naufragis ignis de ſarmentis ab indigenis ſtrueretur, ſerpens, qui in ſarmentis latuerat, ignis calorem fugiens, exilijt, & manum Pauli morſu vulnerans venenoſo radicatu adhæſit dentibus. Quod videntes indigenæ, dicebant: Verè hic homo peccator eſt, & facinoroſus, nec vita dignus, quem de naufragij periculo vix extractum Deus in grauioris mortis pœnam poſuit. Paulus autem manum intrepidus excuſſit, & continuò manus ſanata eſt. Quod admirantes Sarraceni, Paulum venerari cœperunt. Vnde Pauli meritis in humanitatis ſuæ præmium hoſpiti Pauli & ſuis filijs & nepotibus vſque nunc collatum eſt, vt ſolo ſputo venenoſa interficiant animalia. Et quemcunque locum ſolo ambitu gyrauerunt, eum de cætero non introit venenoſum: nec aliquis ſerpens eos audet tangere. Vnde cùm generatur aliquis, filium ipſum ſolum cum ſerpente ponit in nauicula, & ſic diu nauiculam permittit fluctuare. Quòd ſi poſtea puerum recipit illæſum, ſe patrem eſſe cognoſcit, & puerum prauæ dilectionis viſceribus amplexatur. Si autem ipſum inuenerit vulneratum, continuò per membra fruſtratim diſcindit, & vxorem ſuam adulterij pœna condemnat.

*Commentū nugax.*

Cæterùm ad mentem reducimus, quòd apud Neapolin eſt quædam porta, quæ ferrea nuncupatur, in qua Virgilius omnes ſerpentes illius regionis incluſit, qui propter ædificia ſubterranea & cryptas, quæ ibi plurimæ ſunt, abundant, quam ſolam inter cæteras portas deſtruere timebamus, ne ſerpentes incluſi de carcere egredientes terram & indigenas moleſtarent. Eſt in eadem ciuitate macellum, ſic à Virgilio conſtructum, vt caro animalis occiſi in ipſo per ſex hebdomadas maneat recens & incorrupta, ſi exportetur, fœtet & apparet putrida. Eſt ante ciuitatem Veſeuus mons, ex quo ignis multos inuoluens cineres fœtidos intra decennium ſemel ſolet exhalare. Cui Virgilius oppoſuerat hominem æreum, tenentem baliſtam tenſam, & ſagittam neruo applicatam. Quem quidam ruſticus admirans, eo quòd ſemper baliſta tenſa nunquam percuteret, impulit neruum. Sagitta proſiliens percuſſit os montis, & continuò flamma proſilijt, nec adhuc certis vicibus cohibetur. Eſt ante eandem ciuitatem inſula, quæ vulgo Iſchya dicitur, in qua ignis cum fumo ſulphureo euomitur continuus, ita vt quoddam caſtrum adiacens ita paulatim, etiam ipſa ſaxa & ipſum ſcopulum conſumſerit, vt ibi veſtigia caſtri non appareant. Ibi firmiſſimè aſſeritur os eſſe inferni, & ibi eſſe loca pœnalia referuntur. Ibi etiam Æneas fingitur ad inferos deſcendiſſe. Videntur circa eundem locum qualibet die ſabbathi circa horam nonam volucres in quadam valle nigræ, & ſulphureo fumo deturpatæ, quæ ibi quieſcunt per totum diem dominicum, & in veſpere cum maximo dolore & planctu recedunt, nunquam niſi in ſequenti ſabbatho reuerſuræ, & deſcendunt in lacum feruentem. Quas quidem afflictas animas arbitrantur vel dæmones. Eſt ibidem mons barbarus, ad quem per viam ſubterraneam per medium maximi montis acceſſimus per tenebras infernales, tanquam ad inferos deſcenſuri. In quo monte in ipſius montis viſceribus maxima ſunt palatia & vici, quaſi maximæ ciuitates, ſubterranei, & fluuij fluentis aquæ ſubterranei, quos quidam ex noſtris viderunt, & ſub terra quaſi per ſpatium duorum milliarium proceſſerunt. Ibidem theſauri ſeptem regum aſſeruntur repoſiti, quos dæmones cuſtodiunt in æreis imaginibus incluſi, diuerſas terribiles imagines prætendentes, quidam arcu tenſo, quidam gladijs, quidam alijs comminantes. Hæc & alia plura vidimus, quorum non poſſumus per ſingula meminiſſe.

*Alia de Virgilio fabula.*

*Veſeuus.*

*Ænaria hodie Iſchya.*

*Ænea ad inferos deſcenſus.*

*Spectra auium.*

*Loquitur de Pauſilypo.*

## CAPVT XX.

DVx autem Henricus adhuc expetens auxilium regis, filium ſuum æquiuocum de Brunſchwig ad ipſum miſit, vt à ſuo latere non recederet, quouſq; per eum omnem terram tranſalbinam obtinuiſſet. Cui bonam quidem ſpem Rex fecerat, non tamen eam, quæ non confundit. Nam eadem de die in diem euaneſcens, nihil firmitatis propter regis negotia habere viſa eſt. Vnde idem filius Ducis quaſi

*Henrici L. irritus conatus.*

*Henricus F.*

quaſi deſperatus diſcedens, alia via vſus eſt, qua ad gratiam Imperatoris, non tamen ad reſtitutionem paterni veniret honoris. Nam quia erat præclarus genere, nobilis virtute, ſpecioſus forma, validus corpore, notus opinione, filiam Palatini de Rheno ſortitus eſt vxorem. Qui quoniam patruus Imperatoris erat, Imperator eum pro huiuſmodi copula vehementer arguebat. Qui propter ſe hæc acta affirmans, Imperatoris animum blanda calliditate lenire ſtudebat. Sed quia legitimus contractus diſſolui non poterat, paulatim mediante ſocero iuuenis Palatinus gratiæ Imperatoris appropiabat. Tunc denique temporis Imperator ſecundam in Apuliam expeditionem ordinauit: & quia in ipſa profectione idem Ducis filius in omnibus ad placitum ei deſeruiuit, non tantùm Imperatoris gratiam, ſed & omnem dignitatem ſoceri ſui de manu Imperatoris ſuſcepit iure beneficiario. Tunc noua lux in Saxonia orta eſt, pacis videlicet iucunditas; quia ex illo tempore tanta familiaritate Imperatori adhæſit, vt nihil de cætero contra ipſum moliri decreuerit. Sicque ex omni parte terra marique ceſſauerunt deprædationes, furta, latrocinia, & ingemuerunt latrones & viri ſanguinum: quia perijt maledictus fructus eorum. Benedictæ hæ nuptiæ, & eadem fœmina benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris eius: quia in ipſius copula terris ſociata eſt pax & lætitia, & diu clauſæ tunc patuerunt portæ ciuitatum & caſtrorum, ceſſauerunt excubiæ, & hactenus inimici ad ſe mutuo accedebant, negotiatores & ruricolæ liberrimè deambulabant. Dux autem ſenior varijs negotijs deditus, his videlicet, quæ ad ornatum domus Dei pertinerent, vel etiam aulæ propriæ in Brunſchwig, reſiduum vitæ ſuæ tempus quietus exegit. Imperator autem in Apuliam profectus eſt in via ſua: quia mortuo Tancrado, aduerſario ſuo, omne regnum Wilhelmi ad voluntatem obtinuit. Cuius aulam ingreſſus, lectos & ſedilia, menſas ex argento, & vaſa eorum ex auro inuenit puriſſimo. Reperit etiam theſauros abſconditos, & omnem lapidum precioſorum & gemmarum gloriam, ita vt oneratis centum quinquaginta ſomarijs auro & argento, lapidibus precioſis & veſtibus ſericis, glorioſè ad terram ſuam redierit. Cùm autem terras Teutoniæ attigiſſet, inſecutus eſt eum celeri curſu Imperatoris nuncius, qui in Apulia remanſerat, nuncians, inuentos eſſe omnes theſauros Rogerij regis. Vetula enim quædam apud Imperatricem erat, quæ de obſequio Rogerij fuerat. Hæc gazophylaceum regis de pauciſſimis nouerat, quod in muro antiquiſſimo conſeruatum diligentiſſimè linito pariete & ſuperducta pictura omnibus indagabile videbatur. Cùm igitur per ipſam proditum Imperatori manifeſtatum fuiſſet, ille Imperatrici mandauit, dicens: De ipſis theſauris, quod tibi videtur, facito: me autem ſcias hoc tempore Apuliam non repetere. Ipſe ſiquidem Imperator liberaliſſimus erat, quem Deus ampliare voluit, ideoque dedit ei theſauros abſconditos, quos infatigabiliter, non tamen prodigè, omnibus erogabat, non tantùm maioribus vel nobilioribus, ſed militaribus ſeu vulgaribus. Pauperum verò non ſegnis prouiſor erat, qui ſe in omnibus non ſolùm prudenter, ſed & religioſè cum grauitate gerebat.

*Eiuſdē matrimonium.*

*Reconciliatio cum Cæſare, & in ſoceri bona impetratã ſucceſſio.*

*Henricus L. ſe quieti tradit.*

*Cæſaris expeditio Italica.*

*Gaza capta.*

*Munificentia in omnes ordines.*

## CAPVT XXI.

EOdem tempore Dominus Hartuicus, Archiepiſcopus Bremenſis, à Bremenſibus eiectus, in ſedem ſuam reuerſus eſt cum conniuentia cleri, & miniſterialium quorundam aſtipulatione. Multum enim contra ipſum in curia Romana laboratum fuerat pro cauſis ſuprà dictis, ſimiliter & apud Imperatorem, vt & ab officio arceretur & beneficio. Sed eum aduerſarij caſſo labore reliquerunt: eo quòd Dominus Apoſtolicus Cœleſtinus manu eum teneret, & ſopita contentione ad pacem redijt eccleſiæ. In tantum ſiquidem contra ipſum excreuerat indignatio, vt Imperatoris aſſenſu tota eccleſia in perſonam Domini Sleſuicēſis Waldemari conueniſſet: cuius electioni in tantum conſenſerat, vt ſub ipſius nomine quædã negotia Bremenſes ordinarent, & in monetis ipſius imaginem & inſcriptionem repræſentarent. Ipſe tamen Waldemarus pro tali electione Canuto regi &

*Hartuicus Brem. reſtituitur in integrum.*

*Cœleſtinus III. Papa.*

*Waldemarus Sleſuic.*

*Canuti regis cum Cæs. simultas.*

amicis eius suspectus habitus est. Nam quia Canutus ab Imperatore dissentiebat, propterea Episcopum Imperatoris Archipræsulatum malignandi causa arrogare cogitabat. Et quia omne regnum diuisum desolabitur, ideo Waldemari regnum stare non potuit: quia cum rege de pace non sensit. Ciues tamen Dominum Hartuicum non libenter aspiciebant: quia ipsum non per Imperatorem, cuius animum offenderat, reuersum dicebant. Vnde ei reditus ciuitatis, quos Imperator in manibus eorum posuerat, impedire studebant. Ille autem non propria deliberatione, sed Imperatoris voluntate se intrasse affirmabat, & plenariè gratiam ipsius inuenisse. Ad argumentum huius assertionis Dominum Coloniensem Adolfum ad medium deducebat, qui fauens parti ipsius, hoc scriptis & nuncijs ita esse astruebat. Ciues verò, qui mandatum Cæsaris habebant, hæc immutari non posse sine veris litteris & nuncijs ipsius euidentibus contendebant.

*Adolfus Colon. stat ab Hartuico.*

## CAPVT XXII.

*Adolfus C. Hartuici studiosus.*

ADolfus ergo Comes audito ingressu Domini Hartuici, venit Bremam, congratulans de aduentu ipsius, similiter & certificari volens an vel per Imperatorem vel aliunde intrauisset. Ipse enim cùm idem Hartuicus exularet, omnibus modis per Imperatorem & per ipsam ecclesiam Bremensem laborauerat, vt ad statum pristini honoris rediret. Ideoque nunc magis exultabat, & pro hac vicissitudine aliquid gratiæ expectabat. Veniens igitur Bremam, auditis hinc inde partibus, displicuit quòd non per ostium intrauerit. Ideoque sic ordinatum est ab ipso & ciuibus & alijs amicis Domini Imperatoris, vt cùm Dominus Archiepiscopus aliqua in ciuitate ordinare voluisset, de ecclesiasticis tamen causis non nisi vna die vel ad maius duobus toleraretur. De reditibus tamen, qui sub interdicto positi erant, non vteretur, donec ista Cæsari insinuassent, & ipsius voluntatem cognouissent. Hæc autem ordinatio Domino Hartuico & suis valde displicuit, qui iam liberè se reditus episcopales inuadere putauit. Adolfum tamen Comitem, qui non tantùm Cometiam Stadij, sed & alias res Episcopij de mandato Imperatoris ex magna parte tenebat, grauiter arguere cœpit, eumque quasi inuasorem ecclesiæ denotauit. Adolfus autem videns se quasi ecclesiastica censura iniustè grauari, sedem Apostolicam appellauit. Exinde Dominus Archiepiscopus collecto concilio ecclesiastico, vsus est consilio, quod super his expediret, vel quid agendum ecclesia iudicaret. Sicque accepto responso, excommunicatis aduersarijs, non tantùm in cathedrali sede, sed & in omni sua diœcesi, suspendit diuina, & ita non tantùm grauata est ecclesia, sed & aduersariorum aduersus eum grauius ira efferbuit. Nam quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua, ipsum Hartuicum sua sententia grauare conati sunt. Adolfus enim veniens Bremam, absente tamen Archiepiscopo, post appellationem legitimè interpositam, iniustè se excommunicatum clamat, nec ideo se à reditibus ecclesiæ abstinere dixit, quos ipso adhuc in peregrinatione posito, Dominus Imperator sub interdicto posuisset, & post reditum ipsius in manu eius consignasset, nisi iterum sua hoc auctoritate Dominus Imperator immutasset. Se enim gratiam potius quàm iram meruisse dicebat, qui non modò Domino Archiepiscopo, sed toti ecclesiæ semper fidelis & deuotus extitisset, & per eius laborem B. Petrus non tantùm Stadium, sed & Thetmarcos, qui ad regnum Danorum se transtulerunt, recepisset. His altercationibus non mediocriter turbata est Ecclesia propter partes adulantium, hinc inde placere volentium. Nam qui de consilio Comitis erant, dicebant excommunicationem illam nihil habere virium propter appellationis remedium, & qui de parte Episcopi erant, contradicere non poterant, pro alijs tamen causis Comitem dicebant excommunicatum. Cùm igitur ciuitas Bremensis hac pestilentia diutius laboraret, & corruptio cadauerum, quæ inhumata in cœmeterijs iacebant, homines plurimum læderet, temperata est sententia, vt in maiori ecclesia fierent diuina, & ciuitas illuc conflueret. Sed cùm Comes cum Aduocato ciuitatis, & quidam

*Improbat eius reditũ, manetq; in fide Cæsaris.*

*Arcetur sacris.*

*Purgat se auctoritate Cæsaris & meritis suis.*

*Fructus iniusti anathematis.*

quidam de fortioribus, qui reditus colligebant, in banno perseuerarent, & nullus eis præsentibus diuina celebraret, nec hoc sine scandalo fieri potuit. Nam cùm hi in sua sententia perseuerantes se excommunicatos negarent, Comiti quidem sui non solùm in Hammenburg, sed & in omnibus parochijs & castris communicauerunt. Alij verò in Brema in forensi ecclesia populum detinentes, quia bursa vacabat, in facie Archiepiscopi & Canonicorum diuina peregerunt, & factus est nouissimus error peior priore. Quid de ipsis Canonicis dixerim? qui de proprijs domibus fugati, non nisi in ecclesia & officijs claustralibus permittebantur, propter eos, qui dicebant: Vos contra Imperatorem sentitis: vos ciuitatem tradere vultis: ideo vos in ciuitate non patiemur. Hæc omnia propter absentiam Imperatoris fiebant: quia tunc in Apulia erat: quoad rursus Dominus Archiepiscopus DC. marcis gratiam eius meruit, & Comes Cometiam Stadij in beneficio suscepit cum tertia parte redituum. Et omnis excommunicatio plenariè relaxata est.

*Hartuicus precio volũtatem Cæsaris recuperat.*

## CAPVT XXIII.

HOc dierum circulo Dominus Theodoricus, Abbas B. Michaelis Archangeli in Hildensheim, abijt Romam ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, omni deuotione ipsorum adorans memoriam, similiter etiam humilimis exposcens supplicationibus, vt per ipsorum vicarium, Dominum Papam Cœlestinum, & per auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ, Bernwardus, Hildensheimensis ecclesiæ quondam Episcopus, cœnobij verò B. Michaelis Archangeli primus fundator, nunc autem patronus apud Dominum, in catalogum transiret sanctorum: vtpote cuius sanctitatem iam dudum in sepulcro iacentis testati sunt dæmones effugati, cæci illuminati, claudi curati: Vt hac de causa eius sacrum corpus tota ecclesia veneretur & adoret de puluere translatum. Cuius deuotioni, imò iustæ petitioni S. Romana concurrens ecclesia, quæ omnibus rationabilia postulantibus pium præbet assensum, ipsum antistitem non iam propter Abbatis deuotissimam supplicationem, sed etiam propter Domini Cardinalis Cincij intercessionem canonizari præcepit, vt eius corpus de sepulcro leuatum inter memorias veneretur sanctorum, ipsúmque sacrosancta categorizet ecclesia, cuius apud Deum sibi patrocinari non ambigat merita. Idem enim Cardinalis pro quibusdam arduis negotijs delegatus in Daniam, cùm peracto negotio remearet, diuertit ad ipsam ecclesiam B. Michaelis. Et cùm ibi à memorato Abbate & fratribus eiusdem loci humanissimè tractaretur, cognouit sæpius ipsorum deuotionem de translatione corporis venerandi. Sicque ipsius consilio & auxilio diu exoptatum adepti sunt desiderium. Cùm igitur Cardinalis ipsum Abbatem cum sua ecclesia plurimum apud Dominum Papam commendaret, nõ solùm de translatione Antistitis, quod voluit, obtinuit, sed etiam quadam prærogatiua à Domino Papa honorari meruit. Denique mitram & anulum pontificalem, quo in solennitatibus vteretur, ab eo accepit, & priuilegia liberalissima ecclesiæ suæ de omnibus, quæ desiderauerat, obtinuit. Taliter honoratus à summo Pontifice, accepta epistola de translatione memorati sancti, post multas itineris difficultates ad sua tandem cum gaudio remeauit. Veniens igitur in præsentiam Domini Bernonis Episcopi & totius capituli, epistolam Domini Papæ in medium produxit. Quæ cùm recitata fuisset, laudabatur ab omnibus, placuit vniuersis non tantùm pro tanti thesauri reuelatione, sed & pro viri deuotione & pro gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ ciuitatis glorificatione. Coadunata igitur ecclesia, de translatione reliquiarum agitur, & tali negotio dies certa præfigitur. Sed omnium bonorum inuidus ne præteriret innocuus ad suæ damnationis cumulum, hoc impedire conatus est negotium. Nam cùm Dominus Episcopus cum senioribus hoc decreuisset, vt mane aperto sepulcro, tumultum populi præueniens, reliquias decenter colligerent, vt processionis tempore sine impedimento procederent, mutato consilio ante auroram cum Abbate & admodum paucis Monachis clàm ad tumbam accessit, memoriam

*Theodoricus Abbas Hildesheim.*

*Bernvvardus Episc.*

*¶ At Gregorius Theol. horribile & atrox in primis esse pronunciat νεκύων λείψανα σέβειν.*

*Honores Theodorico & successoribus à Papa concessi.*

*Berno Episc.*

*¶ Imò, Non hæc sine numine Diuũ Euenere, vt idololatria fieret manifestior.*

reſerauit, oſſa virtutis plena in linteo mundo collegit, ſicq́; ſub cuſtodia relinquens ad ſua receſſit. Mane quod factum fuerat, innotuit, vnde commoti fratres maioris capituli, dixerunt: Non eſt nobis pars in reliquijs iſtis, quæ nocturno tempore oſſibus mortuorum corruptæ ſunt. Et dixit vir amico ſuo: Quis me certificabit, ne pro veris reliquijs caput vel ſcapulas vel tibias alicuius potatoris aut cuiuſlibet peccatorum accipiam? nihil nobis cum ſolennitate iſta, reuertamur ad noſtra. Ad Epiſcopum autem: Quia defuiſtis, aiunt, nobis in facto iſto, & nos deerimus vobis hodie in ſancto veſtro. Huiuſmodi contradictionibus protelabatur tranſlatio, & populus, qui de longè venerat, grauabatur tædio, ita vt quidam deſperantes diſcederent, alij verò non ſine ſcandalo remanerent. Hæc tamen anticipatio tali, vt reor, ex cauſa extitit. Fuerũt aliquando in eodem monaſterio quidam ſimpliciores fratres, qui virtutes beati Pontificis ſcientes, quam tam in vita quàm poſt mortem patrauerat, ipſius memoriam in magna veneratione habebant, indeq́; ipſum tranſferri digniſſimè iudicabant, & eius reliquijs ditari ſuper aurum & topazium ardẽtiſſimè cupiebant. Vnde conſilio habito cum cuſtodibus eccleſiæ clàm ſepulcrum aperiunt, reliquias auferunt, & eas in ſuis loculis condentes, pſalmodijs, miſſis ſeu alijs oratiunculis venerantur, honorant, adorant. Vbi verò talis veneratio percrebuit, cognita diſplicuit, nec iam deuotio ſed grauiſſima iudicatur præſumtio. Terrentur reliquiarum cultores, & quod factum fuerat, non iam factum, ſed omnino mutatum eſſe volentes, theſaurum, quem abſconditum habuerant, abſconditè & diligentiſſimè repoſuerunt. Hæc ſcientes Monachi cum ſolennitate timuerunt reliquias adire, ideoq́; cum ſolo Epiſcopo hæc peregerunt. Ipſum tamen cùm eorum lateret intentio, ſimpliciter quod fecit operatus eſt, vt transferentium vitaretur oppreſſio. Tali machinatione, vt dictum eſt, commẽtor fraudum tranſlationem ſanctarum reliquiarum penè impedierat, quod ante aliquot dies per energumenum quendam ſe facturum iactauerat. Sed religioſis viris, quorum illic multitudo confluxerat, mediantibus, concordia, mater virtutum, in ſuis obtinuit, Domino tamen Epiſcopo ſacramentaliter confirmante, non niſi pro quiete eccleſiæ ſe quod faceret, feciſſe, Monachis quoq; iurantibus non niſi veras reliquias ſe protuliſſe. Prolato igitur theſauro beati corporis, commune fit tripudium, reſonat concentus populorum, certatim dona ferentium, & tanti patroni ſuffragium poſtulantium. Deferuntur Præſulis reliquiæ in ſanctam eccleſiam B. Virginis Mariæ, in qua idem Præſulatus ſui tempore ipſam reginam glorię diuino iubilo glorificauerat crebèrrimè. Et quia ipſam, vt decuit, glorificauit, ipſa eum in eccleſia Dei magnificauit. Peractis igitur Dei laudibus, cum gloria caput & brachium dextrum in ſcrinijs eiuſdem eccleſiæ eſt repoſitum, & caput quidem exquiſitiſſimo opere gemmis precioſis & auro fuluo adornatum, corpus verò reliquum ad eccleſiam B. Michaelis Archangeli fuit relatum. Facta autem eſt hęc tranſlatio non ſine virtute ſignorum à Domino Bernone Epiſcopo anno Præſulatus eius ſeptimo, anno verbi incarnati M. C. LXXXIIII. Romæ, præſidente Dn. Papa Cœleſtino, Pontificatus ipſius anno quarto, Henrico verò Imperatore, anno regni eiuſdem à morte patris, qui in peregrinatione Hieroſolymitana glorioſè obierat, ſeptimo, imperij verò quarto, anno quoq; depoſitionis ſancti memorati C. LXXXVIII. Et laudatur & glorificatur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti à populis omnium nationum, qui ita in ſuis ſanctis noſtris in temporibus magnificari voluit. Cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum.

*ἀποθέωσις Bernvvardi.*

## CAPVT XXIIII.

*Bernonis Epiſc. Suerin. mors.*

*Conſtantia in functione muneris.*

HOc dierum circulo mortuus eſt Dn. Berno, Suerinenſis Epiſcopus, primus eiuſdem tituli antiſtes. Qui enim nũc eſt Suerinenſis, olim tempore Othonum dicebatur Magnopolitanus. Vnde eadem ſedes propter timorem Slauorum tranſlata eſt: à quibus idem antiſtes ſæpius contumeliatus. Qui à Duce Henrico Epiſcopus eis præfectus, primus noſtris in temporibus doctor illis catholicus extitit, alapas, colaphos ab eis pertulit, ita vt frequenti ludibrio habitus ad ſacrificia dæmonũ

arctaretur.

arctaretur. Ille tamen per Christum confortatus, culturas dæmonum eliminauit, lucos succidit, & pro Genedracto * Godehardum Episcopum venerari constituit, ideoq; bono fine cursum certaminis terminasse fidelibus placuit. Post cuius discessum Dn. Bernhardus, eiusdem ecclesiæ Decanus, pontificali honore sublimatus est. Circa ipsos dies mortuus est famosus ille Dux Henricus in Brunschwig, & cum Salomone de vniuerso labore suo nihil consecutus est, quo laborauit sub sole, nisi memorabilem satis sepulturam, vnà cum coniuge sua Mechthilde in ecclesia B. Blasij, Episcopi & martyris. Vnus enim, vt idem Salomon testatur, interitus est omnium, & idem occasus sapientis & stulti, & moritur doctus similiter vt indoctus. In omnibus autem & super omnia benedictus Deus excelsus, quia ante solem permanet nomen eius.

*Bernhardus successor.*

*Henrici L. mors. Inhumatio.*

*Versus epitaphii.*

*Princeps laudande, iam lætus ad æthera scande.*
*Cultor pacis eras, nunc diuitias tibi veras*
*Reddat rex regum, qui solus regnat in æuum.*
*Enituit latè virtus tua cum pietate,*
*Nobilitas morum cum flore decorus eorum.*
*Ad cultum Christi tu Slauos perdomuisti,*
*Qui per Doctores, Sathanæ spreuere furores,*
*Adq; Dei cultum satagunt attollere vultum.*
*Structor multarum sic crederis ecclesiarum.*
*Non est gens, quæ te non miretur, bona de te*
*Dum recolit ritè. Te nouerat vltima Thyle.*
*Quæ sua donauit, te Græcia magnificauit.*
*Ierusalem tota tua conspiciens pia vota,*
*Te colit econtra cum rege suo Patriarcha.*
*Non aberat tristis liuor virtutibus istis:*
*Sed pro pressuris seclis potiere futuris.*
*Coniuge coniuncta maneat merces tibi multa,*
*Quæ Christo gratum pia depromsit famulatum.*
*Excelsi donis durat benedictio prolis,*
*Et nutu Christi regnant modò quos genuisti.*

# ARNOLDI, ABBATIS LVBECENSIS,

## CHRONIC. SLAVORVM LIBER V.

### CAPVT I.

*Threni auctoris cū inuocatione.*



IN omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Siquidem propter peccata nostra, quæ cotidie accrescunt super nos, nōdum venit tempus miserendi. Nam Sion captiuata, & adhuc à gentibus est conculcata. Sed tu exurgens Domine, misereberis Sion, & vtinam coram te veniat tempus miserendi eius. Præsumendum est tamen de tua misericordia, pijssime pater, quòd citò veniat tempus miserendi. Quanti enim filij tui, Domine, in peregrinatione priori pro Sion redimenda deuoti fuerunt, quanti reges, principes, gloriosiq; & sublimes sua seq; dedentes exilium & mortem propter te sustinuerunt? & licet non omnes pari deuotione perseuerauerunt, inuenisti tamen de tuis, quos elegeras, holocausta gratuita. Quid de ordine gloriosorum Pontificum dixerim? qui omni deuotione in hac peregrinatione de-

ſudauerunt, & multis exemplum facti tam prædicatione quàm operatione eos animauerunt. Sacerdotes quoq; ſuis miniſterijs & exhortationibus ſalutares offerentes hoſtias cum numeroſitate Canonicorum populum Dei plurimum roborauerunt. Placeat tibi, Chriſte, deuotio ſponſæ tuæ, ſanctæ videlicet eccleſiæ, placeant tui fideles, in quibus etſi minus perfecta ſunt opera, inueniſti tamen fidem in Iſrael. Nos autem alium Dominum non habemus pręter te, Domine, in quem ſperamus: quia etſi iuſtè ad tempus iraſceris, propter temetipſum tamen propicius eris, nec in ira tua miſericordias tuas continebis. Nunc ergo quiq; terrigenæ & filij hominum, ſimiliter in vnum diues & pauper, placate Dominum, ſumite armaturam Dei, ſignũ videlicet victorioſiſſimæ crucis, ad expugnandos ipſius hoſtes tam viſibiles quàm inuiſibiles. Audite pſalmographum exhortantem hodie: Si vocem Domini audiueritis, nolite obdurare corda veſtra. Hanc vocem, vt ſperamus, audiuit pius Imperator Henricus. Qui licet publicè cruce ſignatus non fuerit, per viſcera miſericordiæ ſpiritualiter tamen fuiſſe ſignatum non ambigimus. Nam ſicut pater eius priorem, ita ipſe ſecundam deuotus ordinauit peregrinationem. Qui apud Argentinam in curiali colloquio acceptis epiſtolis Dn. Papæ Cœleſtini à venerabili Cardinale Gregorio, omni deuotione ſe huic peregrinationi obſecuturũ affirmauit. Ordinauit etiam legatos honoratos in Apuliam ad Dominum Conradum Cancellarium, qui tunc ibi erat negotijs imperialibus detentus, mandans omni ſtudio impenſas præparari peregrinationi, quæ ſequenti anno futura erat, in auro, frumento, vino & nauibus plurimis. Cuius zelo plurimi accenſi tam magnates quàm militares, ſignum Dominicæ paſſionis in remiſſionem peccatorum ſuorum tunc temporis ſuſceperunt, Henricus videlicet Palatinus de Rheno, & Otho Marchio de Brandeburg, qui tamen ipſam peregrinationem non peregit, ſed per Dn. Papam diſpenſatione eam dimiſit, Henricus, Dux Brabantiæ, Hermannus, Landgrafius de Turingia, Walrauen, Comes de Limburg, Adolfus Comes de Schawenburg, Dux de Oſterreich, Hartuicus quoq; Archiepiſc. Bremenſis & Rhudolfus Verdenſis & alij quàm plures. Multi etiam acceptis litteris exhortatorijs Dn. Papæ à Cardinale memorato, in ciuitates & parochias plurimas eas detulerunt. Quibus perſpectis, nonnulli cœlitus inflammati pro defenſione terræ ſanctæ triumphale ſignum Dominicæ paſſionis & ipſi ſuſceperunt. Inter quos in ciuitate Lubeca de valentioribus circa quadringentos viros ſignati ſunt. Feruente itaque zelo Chriſtianæ deuotionis, omnes in vnum, diues & pauper, ad peregrinationem futuræ æſtatis ſe præparabant. Ipſe quoq; Imperator in propria perſona eandem peregrinationem ordinaturus in Apuliam properauit, tanto deuotior, quanto aduentantibus peregrinis eſſet paratior. Sed perplexitate teſticulorũ Leuiathane hoc impedire conante, intolerabilis guerra ibidem exorta eſt. Nam vxore Imperatoris ab ipſo diffidente, grandis conſpiratio à primoribus terræ, à conſanguineis etiam ipſius Imperatoris, contra eum exorta eſt. Quam ex ordine proſequi nõ poſſumus: quia ad alia tendimus, id hiſtoriographis cenſentes relinquendum.

*Cæſaris bellum ſacrũ.* *Conuentus Argentin.* *Mãdata ad Conradum Cancell.* *Socii principes.* *Polones plebeii.* *Diſſidium cum vxore.*

## CAPVT II.

*Religioſorũ crucigerorũ profectio.*

IGitur adueniente tempore, quo ſolent reges ad bella procedere, gens ſancta, videlicet Chriſtianorum, genus regium, regale ſacerdotium contra legionem Sathanæ expeditionem ſeu peregrinationem deuotè ſuſcepit, alij quidem nauali, alij terreſtri pergentes itinere. Nauales quidem diuina fauente clementia ſecundo vento fruebantur: terreſtes autem regia via proſperè ferebantur. Venientes igitur in Italiam & ad regionem Beneuentanam, nonnullam gratiam apud habitatores illius regionis inuenerunt: quia forum venalium & cætera commoda largè quidẽ eis præſtabant, clanculo eis tamen derogare non ceſſabant. Quidam etiam eis in faciem exprobrabant, dicentes: Superſtitioſa & Deo odibilis eſt via, quam pergitis, qui facie quidem peregrinos & religionis cultores vos oſtenditis, re autem vera intus lupi rapaces eſtis. Non enim pro Imperatore cœleſti ſed terreno militatis, & vnà cum ipſo omnem Apuliam & Siciliam ſpoliare venitis. Quid facerent Chriſti mili-

*In eoſdem ſanna.*

ſti mili-

sti milites, an recederent seu redirent, dubitabant. Talibus enim verbis dissoluebatur cor multorum, vt cera, quæ fluit à facie ignis. Timebant sanè traditiones, ne si procederent, vita simul & rebus spoliarentur. Non tentatoris numen tamen abfuit illis. Nam pius Dominus seruis non defuit, sed in suo proposito constantiam ipsorum roborauit.

*Cæsaris res aduersa.*

Eodem, vt dictum est, tempore in Apulia erat Imperator, varijs aduersitatibus & prælijs detentus. Nam de traditione Imperatoris & aliorum nobilium illius terræ ei constabat. Quapropter infinitum in stipem militiæ erogans aurum, omnem virum fortem & validum sibi sociauit. Contigit tamen vt ipsos aduersarios suos comprehenderet, & dignam de eis vltionem caperet.

*Animaduersio in aduersarios.*

Et illi quidē, quem contra se regem creauerant, diademate imposito clauis acutissimis cum ipso diademate caput transfixit, filios autem aut suspendio aut incendio aut alijs damnauit supplicijs. Post hæc generalem curiam in Palerma * ciuitate regia edixit, & procedens in concionem omnibus locutus est:

**Panormo.*

*Conuentus Panormitanus.*

Scimus quidem omnibus vobis constare de nostra impia traditione: sed quia annuente Deo ipsos erroris capitaneos, qui nostram circumuenerant clementiam, comprehendimus, conuicimus, conuictos & maiestatis reos damnauimus, suggerit animo imperialis serenitas hoc vobis sufficere, nec vllam vlterius vltionem super hoc capere. Remittimus ergo ex animo in commune toti regno consensum prauæ conspirationis, quā in nos feceratis, regem contra nos suscitando & animæ nostræ insidiando. Tantùm de cætero filij pacis sitis, & vobiscum sit Deus pacis. Talibus alloquijs multam gratiam illius regni inuenit, & de cætero terra quieuit.

*Morbus.*

Infirmitatem tamen nimis grauem tolerabat, quæ eum vsq; ad mortem vexabat.

*Adolfus C.*

Inter hæc exercitus Christianorum appropiabat, & Comes Adolfus cum melioribus eum salutare veniebat. De quorum aduentu nimis lætatus, iucundissimè eos suscepit, & humanissimè tractauit.

*Classis German.*

In ipso temporis articulo classis peregrinorum, quam Dominus per tædiosissimam viam, & longissimos tractus maris, illæsam conseruauerat, prosperis ventis & velis plenis cum quadragintaquatuor nauibus ad Messanam ciuitatem Siciliæ cum gaudio applicuit. Quorum aduentus tam Imperatori quàm omnibus Teutonicis, qui illic pro instanti guerra confluxerant, abundantiorem fecit lætitiam. Imperator sanè ad vltionem inimicorum suorum infinitum contraxerat exercitum de Sueuia, Bauaria, Franconia & alijs nationibus vsq; ad sexaginta millia.

*Conradus Cancell.*

E quibus omnes meliores, & ipsa Imperatoris familia tota cum Dn. Cancellario Conrado deuotissimum illud peregrinationis iter vnanimes susceperūt. Qui quoniam in Apulia diutius erat, ad ipsum iter summo apparatu se præparauerat.

*Eiusdem apparatus & thesauri.*

Nam præter aliam suam supellectilem & thesauros amplissimos, quos largè postea erogauit, in mensa cotidiana vasa aurea & argentea, quibus cibi & pocula inferebantur, ad mille marcas sunt appreciata. Ipse verò Cancellarius in eadem profectione ordinatus sacerdos & Episcopus, alacri animo profectus est, multas gazas portans secum tironibus ab Imperatore deputatas, qui prælia Domini viriliter exercerent. Circa festum igitur B. Ægidij de Messana ciuitate profecti, ad portam Accon in festo B. Mauricij cum summa tranquillitate & salute, integroq; nauium numero, applicuerunt. Cancellarius tamen cum Comite Adolfo, alijsq; amicis apud Cyprū adlittauit, regem eiusdem insulæ coronaturus diademate, à Dn. Imperatore transmisso.

*Rex Cypri cliens Imperij.*

Sanè idē Rex sub ditione Constantinopolitani Imperatoris prius subsistens, ad maiorem gloriæ suæ dignitatem à gloriosissimo Romanorum Augusto coronari desiderantissimè expetijt. Illuc itaq; gloriosè veniens, gloriosius suscipitur, lautissimè detinetur, expletisq; instantis negotij rebus, exquisitissimis ditatus muneribus, omnibusq; suis, pro vt cuiusq; exigebat magnificentia, repedatis nauibus, Accon prosperè velificabat. Ibi tamē adhuc cōsistens, tristi perculsus est nūcio de morte Henrici, Comitis Campaniæ, regis verò Hierosolymæ, qui paucis antè diebus subita & inopinata morte excessit. Siquidem Sarraceni eruptione facta ciuitatem Ioppen vallauerant. Quo audito prædictus Rex subitò arma corripuit, vt præsidio fieret ciuitati.

*Clades Ioppensis.*

Christiani autem qui intus erant, plus in sua animositate quàm in Domino confidentes, apertis portis hostes cædere cœperunt. Quibus illi acrius insistentes, ad fugam eos compulerunt. Cumq; in ciuitatem se recipere voluissent,

qui intus erant hostium timentes impetum, valuas concluserunt, & innumeram fratrum suorum iacturam pertulerunt. Illis cadentibus, Sarraceni ciuitati insistentes ipsam cœperunt, & omnes qui intus erant Teutonicos trucidauerunt. Sicq́; factum est, vt & intus & foris Teutonici tantùm caderent. Quod traditione, vt aiunt, factum illorum qui ibi erant de Italia vel Anglia, Deo dignam eis vltionē reddente: quia etsi peccatores ad vitam seruati sunt, possessionibus tamen & rebus sunt priuati, illi autem in sua morte victores sunt reputati. Videns autem Rex tantorum neglectam salutem, Accon reuertitur, domum propriam ingreditur, & dum solus cum solo super exedras, pro captando aere staret, subitò cecidit, & fracta ceruice expirauit. Dicunt tamen quidam, eum à Deo plagatum, eo quòd de aduentu Teutonicorum doluerit, & eis liberationem terræ sanctæ, si sic Domino complacuisset, inuiderit. Sub eodem igitur tempore peregrini applicantes Accon, audita perditione fratrum, arma corripiunt, si fortè Christo mediante hostes fundere vel prædam excutere possent. Illi autem destructa ciuitate cum captiuis & præda multa ad sua repedarunt, nec minus isti Accon sunt reuersi.

*Henrici regis Hierosol. mors.*

*Inuidentia.*

## CAPVT III.

*Christianorum mutua gratulatio.*

Congregatis itaque nauibus, & conuenientibus Dei filijs in vnum, factum est gaudium non modicum de coadunatione & deuotione tantæ ecclesiæ ibidem in Christo congregatæ. Audiuit enim Sion & læta est, & exultauerunt filiæ Iudæ. Non tamen Sion terrena, quam adhuc captiuabat misera Babylonis filia, sed Acconitæ & Tyrij, non quondam Dei populus, nunc autem Christi cohæredes & Dei filij. In hymnis & confessionibus benedicebant, Dominum orantes & deprecantes, vt accepta ipsorum deuotio, & de inimicis crucis digna fieret vltio. Econtra hostes turbabantur, timore non modico timentes, ne ipsorum deiectio & terræ sanctæ fieret liberatio. Vnde etiam multa loca munita, quæ fiducialiter inhabitabant, audito ipsorum introitu, deserta relinquentes ad tutiora commigrabant. Coadunato igitur exercitu, vt dictum est, omnes pariter adierunt Tyrum. Ibi contemplatis viribus suis & armis, ordinauerunt acies aduersus Sidonem. Equestres quidem terrestri via vsi sunt, cæteri verò nauali itinere perrexerunt. Venientes itaque ad Sidonem, sine habitatore & rebus eam inuenerunt. Videres illuc domos lapideas & cedrinas, diuersis ornatibus cultas, quas inhabitare gloria, destruere verò erat miseria. Quanti illic erant, qui de lignis cedrinis aut equos stabulabant, aut ex eis cibaria decoquebant? Destructa itaque Sidone, ad Sareptam Sidoniorum iter conuertunt. Vbi similibus perpetratis, ad fontem hortorum perueniunt, inde ad Baruth facies conuertunt. Cuius habitatores ciuitatem quidem neglectam reliquerunt, castrum verò nobilissimum, ciuitati contiguum, viris fortissimis munierunt, repositis illic cibarijs & armorum vasis plurimis. Videntes igitur castellani terrestrem contra se venire exercitum, nauali adhuc latente, apertis portis omnes eis obuiam procedunt. Hoc viso, nostrates auxilium de cœlo inuocantes, contra illos se animauerunt. Factis igitur discursibus, modò hac modò illac volubilis se fortuna trahebat. Comes autem Adolfus cum quodam nobili Bernhardo de Horstemer latenter insidias tetenderat, donec exitum rei animaduerteret. Vidit igitur principem ipsius castri in feruido equo, quem dextralium dicunt, eminus venientem, & gloriosum gloriosè multorum interitum minitantem. Explorata igitur opportunitate, cominus venientem, de latebris consurgens, impetu valido in transuersum facto, tam equum quàm sessorem ad terram deiecit. Illo subitò cadente, subitò extra se rapitur, & mentis impos circumspexit, & non fuit auxiliator. Tandem ad se reuersus, vires resumere conatur, & nihilominus impetu valido equinis pedibus ad terram conculcatur. Quod cùm tertiò fieret, resumtis animis & viribus, ipsum equum brachijs & viribus detinere conatur. Ille autem tertio casu supinatus, circa vmbilicum lorica nudatur, nec mora imminens hostis vibrata hasta validè illum transadigit, nec secundum vulnus apposuit. Inter hæc fit tumultus hostium, auxilium

*Terror hostium.*

*Tyrus.*

*Sidon.*

*Sarepta.*

*Berythus.*

*Obsessorum in equites eruptio.*

*Adolfus C.*

*Eiusdem in hostium Ducē impetus.*

auxilium ferre certantium. Quibus cùm Comes cum suis viriliter resisteret, captiuati sunt de ipsis aduersarijs duo insignes, & cessauerunt ab eis. Magnificatus est autem Comes Adolfus, Domino auxilium ferente, ipsoque se periculo submittente. Cùm hæc agerentur, naualis exercitus prosperè velificando vrbi desolatæ appropiabat, in qua tamen captiui Christiani remanserant. Qui videntes vela quadrangula, Christiana intellexerunt agmina. Vnus autem ex eis accedens ad turrim, quæ cæteris excelsior erat & fortior, instrumento quodam ostium clanculo reserabat, & suspensis vestigijs, repressoque habitu ascendens, custodes carceris pausantes inuenit, irruensq; super quietos, repentino interitu soporem illorum morte sociat. Arreptoque signo nutu, quo poterat, nauales ad subuersionem vrbis inuitabat. Quod videntes Dei miraculum intelligebant, & celerius applicantes, certatim littus apprehendunt. Cancellarius verò, quia cum ipsis erat, quantocyus ipsum castrum apprehendebat. Hostes ergo territi sinistro omine, quòd maxima spes illorum periisset in casu principis, & in perditione turris, fortitudinis omni fiducia perdita, per loca deserta & inuia fugere cœperunt, nullum vitæ præsidium nisi montes & scopulos & petrarum fissuras opinantes. Serui autem Christi ciuitatem & castrum gaudentes intrauerunt. Et castrum quidem omnibus diuitijs repletum inuenerunt. Vinum autem & triticum & cætera, quæ ad victum pertinent, abundantissimè illic repererunt, vt ad tres annos habitatoribus illis sufficere potuissent. Est enim Baruth nobilissima ciuitatum & fortissimum præsidium illius regionis. Quæ quia in optimo portu est maris sita, omnibus præbet introitum & exitum, nec vlla ibi potest nauis aut galea præterlabi, quin sponte aut inuita ipsa portui addatur. Vnde factum est, vt ab ipso Syriæ excidio vsque tunc decem & nouem millia captiuorum Christianorum de eodem castro Saladini curiæ sint præsentata. Habet etiam talem prerogatiuā eadem ciuitas, vt omnes reges illius terræ ibi coronentur. Vnde Saladinus cùm eam cepisset, ibi coronatus & rex Hierosolymæ siue Babyloniæ salutatus est. Moram autem ibi exercitu faciente, & muros ciuitatis destructæ suscitante, sinistra fama de morte Imperatoris illuc peruenit. Quæ non paruam populo Dei fecit tristitiam. Dissoluebantur enim manus virorum fortium: quia sicut in tali mutatione fieri solet, alius cogitabat perdere dignitatem suam, alius beneficium, alter patrimonium, sicque fluctuabant cogitationes ferè omnium. Alteri fortè sua dictabat conscientia, si domi esset, sibi peruenire Imperium. Alius timebat principatum sibi contrarium, & qui maior erat destructo, plus dissensionem sperabat quàm pacis vnionem, vt factis partibus suis quoquo modo prospiceret euentibus. Inter has fluctuationes non defuit suis spiritus consilij, qui colligationes impietatis in eis dissolueret, & in suo proposito constantes faceret. Nam principes celebrato colloquio, hoc statuerunt, vt omnes regni primores ibi præsentes sacramentaliter fidem facerent Imperatoris filio. Et conquieuit commotio. Aliud quoque ibi habuere consilium, quis regno Hierosolymitano dignè prospiceret: quia, vt dictum est, rex vita discesserat. Visum est igitur omnibus regem Tyri ad talem sufficere principatum. Qui vocatus, ad eos honorificè venit, ibique sociata sibi regina vidua, rex Hierosolymorum est ab omnibus declaratus. His omnibus deuotè cooperabatur princeps Antiochiæ, qui cum multis copijs de finibus suis eò venerat, & bene prosperatus, Genuam reditum maturabat. Volens autem suos præscire quod factum esset, dimisit columbam. Hîc quiddam dicturus sum non ridiculum, sed ridiculè à gentilibus tractum, qui quò sapientiores filijs lucis in generatione sua sunt, multa excogitant, quæ nostrates non nouerunt, nisi fortè ab eis didicerint. Solent enim exeuntes ad quælibet negotia secum asportare columbas, quæ domi aut oua aut pullos nouiter habent creatos, & si in via fortè accelerare volunt nuncium, scriptas litteras sub vmbilico columbæ subtiliter ponunt, & eam auolare permittunt. Quæ cùm ad suos fœtus properat, celeriter amicis desideratum nuncium apportat. Hac arte vsus princeps memoratus, quod factum erat, per columbam celerrimè suis nunciauit. Qui cognoscentes Sidonem destructam, & Berythi captam, eruptione facta attentare volebant, si & ipsi hostibus dominari possent. Cùm igitur princi-

*Victoria.*

*Captiui Christiani animositas.*

*Conradus Cancell.*

*Fuga hostiū.*

*Berythi encomium.*

*Saladinus.*

*Mors Cæsaris, inde q[ue] secuta rerum commutatio.*

*Principes iurāt in verba Friderici II.*

*Rex Tyri designatur rex Hierosolym.*

*Princ. Antiochiæ.*

*Columbæ tabellariorum vicem præstantes.*

*Lystra.* pibus salutatis ad sua Princeps Antiochiæ remearet, & expansis velis Lystris propiaret, cœlitus exterriti habitatores ciuitatis, arrepta fuga montes camposq; petierunt. Princeps verò eam intrauit, collocatisq; ibi militibus, Christianorum præsidium fecit. *Gebal.* Habitatores autem Gebal cognito aduentu Antiochenorum, simili stuporis genere confusi, relictis suis sedibus, fuga elapsi sunt. Princeps verò superueniens ipsam ciuitatem terminis addidit Christianorum.

## CAPVT IIII.

IGitur Domino populum suum confortante, & sermonem confirmante, quem suis per Prophetam dixerat: Sicut vir consolatur filios suos, ita consolabor vos: serui Dei in magna fuerunt exultatione de spirituali congratulatione. Siquidem illud propheticum verè in illis fuit completum: quia omnia illis in bonum cooperabantur, ideoq; tota terra liberè fruebantur. *Christianorum res secunda.* Nam quia omnia tenebant maritima, non fuit locus, quo non discurreret exercitus in tota Syria, maximaq; fuit spes omnibus, in proximo se habituros ciuitatem sanctam. Sed longè secus venit, & hoc peccatis nostris præpedientibus. Quod quidem meminisse piget. Sed ad executionem ordinis ipsa ratio perurget. Instaurata igitur ciuitate Beryth, vel, vt alijs placet, Baruth, ordinatisque eius habitatoribus, Domini exercitus via, qua venerat, reuersus est Tyrum. *Berythus instaurata.* V bi transacto aliquo tempore, consilio siue præcepto Principum conuersa est tota expeditio ad castrum nomine Chorutum, quod quidem non longè erat, sed quasi itinere vnius diei à Tyro distabat. *Choruti obsidio.* Illuc itaq; venientes, maxima obsidione vallauerunt ipsum castrum. Et quia locus ille præruptus erat nimis, & quasi inaccessibilis, nouum genus expugnandi, hostibus verò omnino incognitum, sunt aggressi. Fuerunt sanè ibi nonnulli de Saxonia, quibus erat notum, qua arte excauatur mons argentarius, qui apud Goslariã multis est cognitus. *Cuniculi metallicorũ Goslariensium.* Multo igitur labore expensaq; plurima opus illud aggressum est, præfectis quidem operis vigilantius insistentibus, cooperatoribus verò castrorum in gyrum reciproca vice sese alternantibus. Cumq; tali arte montem cauarent, appositoq; igne, pro vt libuit, muros cadere facerent, hostes exterriti, nesciebant quid agerent, dum castrum subrui quasi sine tormento murorum viderent. Ipsi tamen simili arte fodere cœperunt, sed laborantes nihil profecerunt. Cumq; per mensem opus instanter vrgeretur, hostibus verò nulla ars euadendi inueniretur, consternati mutuo dicebãt: *Obsessi de deditione agunt.* Viri fratres, quid faciemus? hoc genus mortis qualiter effugiemus? Taliter fratres & consanguinei nostri in Accon perierunt, quando sub oculis nostris vna die quatuor millia sententiam decollationis acceperunt. Prouideamus igitur nobis & paruulis nostrorum. Nam genus est hominum hoc nimis pertinax & iracundum & nostri sanguinis auidissimum. Consultum igitur nobis videtur, vt dextras petamus, si aliqua conditione vitæ nostræ prospicere valeamus. Cumq; turbati in consilijs suis sæpius ista reuoluerent, vno dierum stantes in muro loquebantur his, qui excubias seruabant: Rogamus, vt sub pacis conditione copiam nobis detis loquendi vobiscum. Quod cùm factum fuisset, dixerunt: Obsecramus, vt nobis dicatis, quæ sine simulatione quærimus. Quisnam est Dominus vester, aut cuius sunt castra, quæ opposita habemus. Qui responderunt: Castra, quæ videtis, sunt Henrici Palatini de Rheno, filij Henrici Ducis, nominatissimi principis, & nos serui illius. *Hẽricus Palatinus Rheni.* Ad hæc illi: Vellemus, aiunt, si fieri posset, loqui Domino vestro. Quid, inquiunt, cum Domino nostro loqui velletis, cùm pacis disturbatores sitis, & circumuentores veritatis. At illi: De veritate quidem loqui volumus, & de pacis vnione. Quid plura? ad petitionem illorum Palatinus venit, dextras dedit & accepit. Ad quem illi: Coarctamur nimis in hac obsidione, ideoq; rogamus te, princeps gloriose, vt tuo conductu in cœtum Principum veniamus, vt de castri deditione & de nostra salute cum eis disponamus. Illis responsum paucis ita reddidit heros: Præsumimus quidem de gratia Principum, quod sine liuore ductu nostro ad præsentiam ipsorũ venire possitis: sed quia sapientis est, omnia consultè facere, communicato eis hoc verbo, quantocyus ad vos reuertar. *Dux Bra-* His dictis abit, & æquiuoco suo, Duci

videlicet

videlicet Brabantiæ, qui ab omnibus princeps super exercitũ ordinatus fuerat, voluntatem illorum aperuit. Cùm ergo cognouissent illorum propositum, & eis constaret, quòd de castri deditione agere vellent, data fide, principes ipsius castri septem secum in castra deduxerunt, conuocatisq; Principibus, hi vt pro se loquerentur, copiam eis fecerunt. Rogamus, aiunt, clementiam vestram, vt patientiam in nos habeatis, & Christianæ religionis memores, quæ, vt dicitis, omnem exercet pietatem, ipsam, vt decet religiosos, in nobis quoq; manifestetis. Nos enim, licet Christiani non simus, non tamen sine religione viuimus: nam vt speramus, Abrahei sumus, ideoq; à Sara vxore ipsius Sarraceni dicimur. Si verò credendum est, quòd Christus vester verus Deus & homo in cruce vos liberauerit, ideoq; formam crucis vos habere gloriemini, ipsam quoq; in nobis aduertere potestis. Vnde constat, etsi dispar sit religio, vnum nos habere factorem, vnum patrem, ideoq; constat nos fratres esse, non professione, sed humanitate. Quapropter patres, attendite fratribus, parcite: omnia nostra sunt vestra, dummodo viuendi vobiscum sit copia nobis. Iam nihil est, quod nobis arrogare possimus: de statu tamen nostro, qualis huc vsq; fuerit, vobis hoc aperimus: In castro, quod videtis, principatum habemus: quia inter nostros de meliore prosapia sumus. Vnde placeat vobis, vt captiui vestri simus: quia nostra liberatione non iam thesauros plurimos, sed & Christianos infinitos recipere potestis captiuos. De his autem qui in castro sunt, si placet, talis fiat conditio, vt relictis omnibus suis egrediantur, nihil præter simplicem vestitum, & ipsum tenuissimum, secum portantes. Quòd si inuentus fuerit quisquam aurum vel gemmas aut vestem preciosam vel aliud quid ferens, præter id quod determinatum est, sine omni mora capite plectatur. Hæc vobis gratanter offerimus: quia nihil nisi viuere quærimus. Istius castri vestra sit possessio, dummodo nobis sola cõtingat euasio. Placuit Principibus talis oblatio, hoc apud se tractantes, quòd in vnius castri deditione duo quoq; collateralia facilius obtinere possent, quorum vnum Baufort Gallicè, Latinè bella fortitudo, aliud verò *. Firmataq; est pax inter ipsos & castrum, vt res cœpta meliorem haberet processum. Missum tamen fuit ad Dn. Cancellarium, vt suo complacito firmaretur hæc ordinatio. Ille tamen propter corporis debilitatem excusatum se haberi petijt. Nec vnius pacis indictio rata permansit. Fuerunt enim qui huic dispensationi contradicerent, & hostes vi obtinere proponerent, Si istos, inquientes, violenter expugnauerimus, nullos de cætero aduersarios habebimus: quia firmissimi castri deiectio, maximi timoris erit incussio, ita vt tinniant aures omnium nobis resistere volentium. Sic quidam dicebant. Plures tamen de bono pacis exultabant. Laborabat tamen pacis vnitas, quia in omnibus non regnabat caritas. Inter hæc autem Comes Adolfus terrere volens animos aduersariorum, ipsos, qui hæc inter principes loquebantur, ad fossata deducebat, vt plenariè perspicerent, quæ parata eis supplicia imminerent. Cùm hæc fierent, & sic ab inuicem dissentirent, fuerunt qui ad arma conuolarent, & balistis & machinis castellanos impeterent. Qui se lædi videntes, nihilominus & ipsi iactis lapidibus & sagittis quosdã vulnerauerunt, alios verò necauerũt. Sic alijs pugnantibus, alijs verò paci vacantibus, isti flebant cum flentibus & illi gaudebant cum gaudentibus. Rursus tamen pax inualuit, & sæua commotio quieuit. Cumq; per aliquot dies hæc tractarentur, firmata est pacis conditio, hoc dispensante Cancellario, vt obsides darent, quo vsq; promissa persoluerent, & ad sua remearent.

*[Margin: bant. imperator exercitus. — Sarraceni à Sara. — Baufort. — Conradus Cancell. — ¶ ἐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. — Adolfus C. — Temeritas. — Pax sequestra.]*

## CAPVT V.

His ita dispositis, cùm illi suis hanc seriem exponerent, displicuit talis conditio. Et grauis facta est inter eos altercatio. Alij dicebant, ista se persoluere non posse, alij verò alios animabant, dicentes: Nonne castrum firmissimum tenemus, munitum viris fortibus & armis? stemus simul vt vim vi repellere possimus. Scientes etiam discordiam, quæ versabatur inter Principes, non parum sunt roborati vt promissa immutarent, nec promissæ pactioni starent. Euacuata igitur pace, arma corripiunt, nec ad persoluendum sed ad dimicandum se erigunt. Econ-

*[Margin: Obsessi pacẽ bello commutant.]*

tra noſtrates ad reſiſtendum ſe præparant, ad machinas cæteraque bellica inſtrumenta conuolantes. Caſtellani verò neglectis obſidibus ex illo die, omni ſe virtute defendere nitebantur. Noſtrates verò minus proſperè agebant, hoſtes verò magis ac magis contra eos inualeſcebant. Nimia enim pollentes aſtutia, ipſum foſſatum, de quo plurimum confidebant, deſtruxerunt, & plures in eo aut ſuccenderunt, aut gladio necauerunt. Quoſdam etiam viuos extrahentes, ablatis capitibus, de muro præcipitauerunt. En quo diſcordia ciues perduxit miſeros? Illi enim vnanimes perſeuerabant, iſti autem diſſidentes partim pugnabant, partim diuerſis negotijs vacabant. Et quia cæcitate, refrigeſcente mente, reuerſi ſunt in Ægyptum, ideo Ægyptios, id eſt tenebrarum filios, contra ſe ſentiebant erectos. Nam propoſitum, ſecundum quod vocati ſunt ſancti, plures reliquerant, ideoque vitijs inſidiantibus eneruiter iacebant. Quanti enim fuerunt, qui pro Chriſto legitimas ſuas reliquerant, qui ibi meretriculis adhærebant? Has enim ad ſua miniſteria ſub ſpecie religionis quaſi ex neceſſitate admittebant. Poſtea Moabitas ſentiebant, quæ olim peccare fecerunt Iſrael, quando irato Domino coram hoſtibus cadebant. Quanti illic ſpecie recti decipiebantur, qui nauium ſuarum precio ditati, plus auaritiæ quàm Chriſti militiæ ſtudebant? Quid de talibus dixerim? qui arrogantiæ dediti, ſuis conſimilibus in vana gloria ſe præferebant, & quos domi conſortes habuerant, eis pacificari in peregrinatione nolebant. Et cùm Dominus dicat: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, quomodo per tales vincere poſſet, qui ſpiritum timoris non habentes, ſpiritu ſuperbiæ pleni, plus ſe hoſtibus Chriſti quàm ſuo condiſcipulatui conformarent? Sed veniam peto: non enim, vt quenquam confundam, hæc ſcribo, ſed dilectos in Chriſto moneo. Nunc ordinem perſequamur. Deficiebant inter iſta populo Dei cibaria, & neceſſe habebant Tyrum mittere pro victualibus comparandis. Propter timorem tamen hoſtium, non paucorum fuit iſta legatio, ſed plurimorum. Dimidiabant ergo exercitum, cùm alij irent, qui caruani dicebantur, alij verò in excubijs remanerent. Tunc itaque temporis exierant, nec erat parua expectatio de illorum reditu: quia alij cibis indigebant, alij verò de periculo eorum metuebant. Auditum ſanè fuerat in caſtris, Saphatinum eis imminere cum infinita multitudine de Perſia & Media & Damaſco, vt ipſos deſtrueret, & caſtrum liberaret. Inter has autem fluctuationes perſonuerunt buccinæ in caſtris Cancellarij, nunciantes veniſſe caruanos. Tum verò gaudebant omnes, excipiẽtes ſuos cum gaudio. Scientes ergo Principes imminere ſibi hoſtes, conſilio habito in vigilia purificationis B. Virginis, enunciari fecerũt in caſtris, vt omnes mane parati eſſent confligere cum hoſtibus. Fit igitur omnibus commune gaudiũ, commune tripudium, mutuis ſermonibus ſe exhortantium, pro Chriſto aut vinci aut vincere volentium. Cumque omnes craſtinam lucem ſperarent, & ad certandum ſe deuotè præpararent, ſubitò ſermo exiuit inter fratres, quòd tota familia Cancellarij & aliorum Principum, omnibus rebus ſuis iumentis impoſitis, verſus Tyrum iter arriperet. Qua nouitate omnes exterriti, cœperunt & ipſi properanter ſua colligere, iumentis imponere, certatim poſt ipſos equitando vel peditando properare. Fiunt igitur tumultuationes fugientium, de tali mutatione mœrentium, & rerum ſuarum diſtractione dolentium. Quanti illic relicti ſunt ægroti? quanti vulnerati? qui hoſtibus ludibrio facti cœleſtibus ſunt adunati. Nec minus tamen iſtorum fuga exterriti, fugiebant & ipſi. Vtrobique timor & puſillanimitas: hi ſpiritum fortitudinis perdiderant, illi verò ſua cæcitate per deuia trahebantur. Iſtis fugientibus Dominus parcere volebat, illos verò ipſius indignatio exagitabat. Nec inter iſta defuit ſpiritus procellæ, tonitruis & coruſcationibus & pluuiarum inundationibus & grandine de cœlo fugientes infeſtando. Cùm ergo ſoluta obſidione apud Tyrum & Accon ſe recepiſſent, propter rumores, qui eos de morte Imperatoris terruerant, cœperunt de reditu diſponere, & de ſtatu eorum, qui remanere diſponebant, ordinare, & victualia vel arma, quæ ſibi ſuperabundabant, indigentibus erogare. Igitur aduenient Martio, aſcenſis nauibus, fauente Zephyro, omnes ferè principes cum melioribus populi ad ſua redierunt.

*Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maxima dilabuntur.*

*Flagitia in Chriſtianorum caſtris.*

*Penuria cõmeatus.*

*Saphadinus Saladini F.*

*Faſtũ Principum commentum.*

*Fuga.*

*Tumultus & terror militum.*

*Tempeſtas.*

*Cauſa fugæ.*

Remansit Dominus Moguntinus & Dominus Verdensis & quidam de nobilioribus cum populo Dei, misericordiam ipsius & consolationem expectantes. Moguntinus tamen tunc aberat, in Armenia constitutus pro coronando rege eiusdem terræ, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus fuerat, qui, vt dictum est, in Cypro similia perpetrauerat. Sed cùm esset apud Baruth, visum est principibus, vt remanente Cancellario, Moguntinus vicem eius suppleret, & ipsum regem diademate imposito ad titulum Romani imperij coronaret. Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad ipsorum introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriosè multa loca munita obtinuissent, missis nuncijs honoratis cum muneribus non paucis, ipsos Principes deuotè salutauit, & quanto desiderio ipsorum aduentum expectauerit, per scripta simul & verba amplissima intimauit: paratissimum se dicens Romano subdi imperio, si coronam diu desideratam ab ipsius mereretur suscipere nuncio. Glorietur ecclesia Romana, quæ non solùm in spiritualibus, sed etiam fauente Christo dilatatur in temporalibus, vt etiam reges transmarini hoc titulo affectent insigniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem quàm Romani orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur, vt diximus, gloriosè expleto hoc negotio, ipsum regem Armeniæ & Principem Antiochiæ ad pacis concordiam reformauit, quorum dissensione non modicum ecclesia Dei in partibus illis turbata fuerat.

*Moguntinus & Verdensis proposits tenaces.*

*Rex Armeniæ fit cliens Rom. imperii.*

*Conciliatur Principi Antiochiæ.*

# ARNOLDI, ABBATIS LVBECENSIS,

## CHRONIC. SLAVORVM LIBER VI.

### CAPVT I.

IN omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Denique Principibus de peregrinatione reuersis, Sion quidem, peccatis nostris præpedientibus, captiua remanebat, nec minus ecclesia in occiduis partibus bellis intestinis laborabat. Deficiente sanè Imperatore glorioso Henrico, per quem Deus terminos Imperij, vt dictum est, multum dilatauerat, neglecta fide, siue electione in filium ipsius facta, duo soles, id est, reges exorti sunt, qui radijs inuicem discordantibus Romani Imperij fines non modicè perturbabant. Siquidem Colonia Agrippinæ in regnis inclyta, colloquio celebrato cum regni primatibus, de electione noui regis tractare cœpit. Huic colloquio intererat Adolfus, Coloniensis Archiepiscopus, Conradus Moguntinus, qui tamen præsentialiter aberat, transmarinis negotijs, vt prædictum est, occupatus, cuius vicem in omnibus negotijs ordinandis ipse Coloniensis tenebat, nec minus Dominus Treuirensis talibus se negotijs non absentabat. Intererat quoq; Palatinus de Rheno, Henricus, cum multis nobilibus, qui omnes vnanimi consensu Othonem, Henrici, nobiliss. Principis & Ducis, filium, in Pictauio adhuc constitutum, in regem & Romani Imperij principem elegerunt, missisq; legatis, eum cum summo honore Coloniam vsque perduxerunt. Nec defuit inter ista beneuolentia auunculi sui Richardi, regis Angliç, cum maximis copijs thesaurorũ ad tantam vocationẽ eum amplissimè promouendo. Cõfirmataq; electione regis Othonis, ipse collecto robore militum, aspirantibus suis electoribus, obsidione maxima Aquisgranum vallauit, quæ contra eum, fidem adhuc seruans Imperatori mortuo,

*Motus in Imperio post mortẽ Henrici VI.*

*Comitia Colon.*

*Hẽricus Palat. Rheni Otho IIII. Cæs. designatus.*

*Richardus rex Ang.*

*Electores.*

*Aquisgranum.*

ſiue ipſius fratri Philippo, nimis obſtinata erat. Quam tamen non ſine difficultate & expenſis plurimis, ſeptuaginta videlicet marcarum millibus, violenter obtinuit, vnctusq́; in Regem ab Adolfo memorato Archiepiſcopo, in ſedē Imperij eſt ſublimatus, & Romanorum Auguſtus ſalutatus. Talis igitur electio, ſiue regis ordinatio, per legatos honoratos à Dn. Colonienſi, ſiue ab alijs Archiepiſcopis & Principibus primoribus, Dn. Innocentio, Romanę ſedis ſummo Pontifici, inſinuata eſt, omnibus obnixè poſtulantibus, vt electionem ſiue ordinationem regis Othonis approbaret, ipſamq́; ſua auctoritate confirmaret. Qui nimis gauiſus eſt, & non ſolùm ipſius electionem approbauit, ſed ipſum Othonem imperio digniſſimum iudicauit, eumq́; filium ſuum dilectum declarauit, miſſisq́; epiſtolis, omnibus Prælatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, regalia tenentibus, obtentu obœdientiæ, vt regi electo ſeruirent, mandauit.

*Othonis inauguratio.*

*In eundem Papæ studium.*

## CAPVT II.

INter hæc Philippus, qui imperialia tenebat, fratri ſuccedere aſpirabat, quē multorum copia iuuabat Saxonum, Francorum, Sueuorum, Bauarorum, vtpote qui omnia loca munita, ciuitates, caſtra, tenebat: & cùm ſola Colonia & pars quædam Weſtfaliæ Othoni faueret, totum robur Imperij Philippo adhærebat. Coadunata igitur multitudine Prælatorum & Principum de Franconia, Saxonia, Sueuia, Bauaria, Turingia apud Moguntiam, conſenſu & fauore omnium in regem eſt electus, & à Dn. Tarentino Archiepiſc. conſenſu cleri & conniuentia Capituli maioris ſine præiudicio Dn. Moguntini Conradi, qui, vt ſæpe dictum eſt, tunc aberat, cum magna ſolennitate Rex conſecratur, & Romanorum Auguſtus ſalutatur. Ibi quoq́; Regina regio diademate non tamen coronata, ſed circulata proceſſit, quæ de Græcia oriunda Philippo nupſerat, & eius dignitatem non modicè in ſuis partibus auxerat. Boiemo etiam maior dignitas acceſſit, vt cùm antea Ducatum teneret, titulo regio à Philippo ſublimatus, ibi & ipſe procederet coronatus, & gladij regij baiulus. His regibus non conregnantibus, ſed diſcordantibus, turbatur Eccleſia, oriuntur ſchiſmata, diſſenſiones, partes adulantium, hinc inde placere volentium. Apoſtolicus Othonem conſtanter firmabat, Prælatos auctoritate ſua ei ſubdebat, Archiepiſcoporum nullum pallio pontificali induebat, niſi Othonem omni fidelitate deuotionis honoraret. Sicq́; fit, vt clerus ex magna parte paſtoris timens ſententiam, Othoni faueret. Philippus autem faſtu ſeculari ſublimatus, in temporalibus magis prę ualebat: Quamuis nonnulli Pontificum, neglecto mandato Apoſtolici, quibuſdam tergiuerſationibus ſeruire Othoni diſſimularent: quidam verò palàm ei contradicentes, vſq́; in finem vitę inobœdientes perſeuerare nō timerent. Philippus igitur accepta benedictione, cum iiſdem copijs, Boiemo comitante, per deuexa Rheni & Moſellæ partibus Coloniæ appropiare cœpit. Cui Otho cum ſuis animoſus obuius erat. Qui quoniam potens erat viribus, audax animo, rugiens vt catulus leonis, ſuſcitatus ad prædam, ad bella paratus, aut vincere aut vinci affectabat. Philippus verò, cui plus roboris erat, aſtutia magis quàm congreſſionibus vincere ſtudebat. Cùm ergo exercitus Philippi regis Moſellam tranſire pararet, qui de parte Othonis erant, ei violenter reſiſtebant, & facta ſtrage, ex vtraq́; parte non pauci cecidere. Sicq́; Philippo redeunte, Boiemus ad ſua reuerſus eſt.

*Philippus Henrici VI. frater.*

*Renunciatur & inauguratur Cæſar Mogunt.*

*Boiemi regis honores.*

*Factiones in Imperio.*

*Papa Othonis propugnator.*

*Contentio Imperatorum.*

## CAPVT III.

CIrca dies illos Moguntinus Conradus vita exceſſit, & ſtatim in tam nobili ſede ſchiſma non defuit. Fautores ſiquidem Lippoldum eccleſiæ Moguntinæ præficiunt, eccleſiaſtici verò viri ſententiam Apoſtolici timentes ad tantam dignitatem Sifridum elegerunt. Ille imperialia à Philippo tenens, ciuitatibus & caſtris militari manu longè lateq́; præualebat: iſte ſpiritualibus confirmatus, ſibi ſubditos quiete regebat.

*Conradi Mogunt. mors. Lippoldus & Sigefridus ἀντικάνονοι.*

CAPVT

## CAPVT IIII.

*Ludolfi Magdeburg. mors.* *Albertus successor.*

TVnc temporis Ludouicus, Magdeburgensis Archiepiscopus, vita excessit, & Dn. Albertus, eiusdem ecclesiæ maior Præpositus, in sedē sublimatus est. Qui quoniam in electione sua quosdam æmulos habuit, per semetipsum ad Dn. Apostolicum excedens, sicut in Præpositura ita & in Episcopatu ab ipso confirmatus cum honore ad sua reuersus est, ita vt Othoni regi faueret, & eius principatui non contradiceret. *Philippi expeditio Brunsuic.* Exinde Philippus de multis copijs præsumens, Othonem iteratò impetijt, & cōtracto exercitu veniens Brunschwig, ciuitatem arctare cœpit. Tunc temporis Otho rex defuit: *Henricus Palat.* sed frater eius Henricus Palatinus ciuitatem constanter tenuit. Aduersarij tamen ipsam ciuitatem circa monasterium B. Ægidij intrantes, & pontem occupantes, ipsam ferè ciuitatem irruperant. Quod cognoscentes, qui intus erant in alio latere ciuitatis occupati, vbi cum maiore robore Philippus rex esse videbatur, subitò ad resistendum conuersi, hostes in fugam conuertunt, ipsosq; balistarum iaculis longè repellunt. *Direptio monasterii AEgidiani.* Interea quidam latrunculi domum B. Ægidij, quæ contigua erat, irrumpunt, & quadam barbarica ferocitate Monachos inuadunt, vestibus exuunt, officinas claustrales, dormitorium, culinam vtensilibus suis priuauerunt, ita vt ipsi oratorio non parcentes, securibusq; ostia succidentes, ornamenta ecclesiæ diripere conarentur. Quæ tamen tutante Deo quorundam Monachorum industria conseruata sunt, qui ostium sacrarij quibusdam instrumentis astutè celauerunt, ita vt paries solidus videretur. Et sic, vt in diebus Rachelis, solicitudo quærentis delusa est. Cancellarius tamen Conradus audita direptione ecclesiæ cum multitudine superuenit, & seditione sedata, raptores iniustos procul abegit. *Pœna sacrilegis.* Nec defuit vindicta Dei. Nam sequenti die vnus illorum, qui præ cæteris violentior fuerat, in amentiam raptus, coram omnibus miserè vitam finiuit. Nec mirum. *Legenda miraculorum AEgidii.* Quantæ enim virtutes ab antiquis diebus in eadem domo per misericordiam Dei orationibus B. Ægidij celebratæ sunt? quanti dæmones ab obsessis corporibus fugati, cæci illuminati, claudi, paralytici curati, & de diuersis laqueis & compedibus siue carceribus diuersis in locis afflicti, liberati? qui ad ipsam domum B. Ægidij cum hymnis & laudibus Dei confluentes, liberationis suæ memorias, vt nunc videri potest, cum gaudio reliquerunt. Non tamen aliquibus in scandalum veniat, si fortè peccatis latentibus, ipsa domus tantarum virtutum à filijs Belial, Deo permittente, ad tempus afflicta est: cùm ipse Dominus virtutum & rex gloriæ in nostra redemtione positus à manibus impiorum se teneri & crucifigi passus sit. Creuit tamen ciuitatis obsidio per aliquot dies, sed qui intus erant, confortabantur, exteriores verò affligebantur. *Difficultates obsidentium.* Interiores ciborum affluentijs fruebantur, exteriores verò fame & inedia torquebantur. Othonis sanè homines, qui exteriores excubias seruabant, in rupibus & vallibus & syluis latitantes, plaustra cum victualibus, de diuersis locis & ciuitatibus venientia, impetu valido præpedientes, hominibus occisis, quibusdam verò captiuatis, rebus & equis ablatis, ipsa victualia in dispersionem dederunt. Videres illic fluctuantes riuos cereuisiæ seu vini, qui destructis vasis cum inundatione vehementi terram irrigabant. Taliter hostes afflicti, magis abesse quàm adesse volebant. Conditione tamen quadam pacis interposita, obsidio soluta est, & illi sine honore discesserunt, nec vltrà ciuitatem impetere adiecerunt. *Auctor Treuir. Brunsuicensium numen tutelare.* Est enim non parua spes ciuitati illi de suffragijs B. Auctoris, Archiepisc. Treuirensis, cuius corpus ibi requiescit, quod Gertrudis Marchionissa, Ecberti Marchionis coniux, cùm tempore viduitatis suæ ipsum monasterium fundasset, à Treuirensibus multis supplicationibus obtinuit, & in eodem monasterio cum alijs corporibus Thebeorum martyrum, vt nunc cernitur, in sarcophago honorificè collocauit. *Gertrudis, Ecberti M. Vxor.* Et quia idem Pontifex, cùm terra sua ab Hunnis vastaretur, qui sanctas virgines Coloniæ trucidauerunt, ciuitatem Treuirorum, quam tunc regebat, orationibus suis illæsam protegebat, ipsam adhuc virtutem apud Dominum habere creditur, vt ciuitatem, in qua nunc requiescit, suis orationibus ab hostium incursu protegat & defendat. *Ambarbia cū Auct. reliquiis supplicationes.* Vnde mos inoleuit Brunsuicensibus, vt, cùm timore obsidionis arctantur, reliquias memoratas circa ambitum suę ciuitatis cum litanijs & Dei laudibus & eleemosynarum largitionibus deuotè circumferāt,

& infra ipſum ambitum nullos hoſtium incurſus perferant. Res eſt probata, & in liberatione eorum ſæpius experta.

## CAPVT V.

*Othocari Boiemi cũ vxore diuortiũ. Theodoricus March. Myſn. Theobaldus Theobaldi F.*

SEquenti anno Odackerus Boiemus legitimam ſuam repudians, aliam de Vngaria duxit vxorem. Vnde commotus frater repudiatæ, Theodoricus, Marchio Myſnenſis, vnà cum Duce Bernhardo, qui Philippi regis familiares fuerunt, hoc apud ipſum obtinuerunt, vt regnum ſiue Ducatum Boiemiæ Odackero adultero auferret, & ad Theobaldum puerum, qui tunc Magdeburgi ſtudebat, Theobaldi filium, transferret. Quod & factum eſt. Vnde commotus Boiemus, à Philippo alienatus, Lantgrafio Thuringię Hermanno confœderatus eſt, qui contra Philippum ſentientes, multa contra eum machinari cœperunt. Hermannus ergo, qui filius ſororis Friderici Imperatoris fuerat, immemor conſanguinitatis & iuriſiurandi, ad Othonem regem ſe tranſtulit, ita vt Northen & Mulenhauſen ab ipſo in beneficio ſuſciperet, & cum eo, adiuncto Boiemo, exercitum cõtra Philippum produceret, & propriam terram hac occaſione irrecuperabiliter vaſtaret. Philippus enim cum manu graui, Lippoldo Moguntino auxilium ferente, & alijs multis copijs Turingiã intrauit, & Erpisfordiæ conſiſtens, totam terram in circuitu vaſtabat. Nec minus, qui de foris erant, prouinciam vaſtabant. Sunt enim Boiemi natura praui, actu ſcelerati, & nunquam expeditionem ſuſcipere volunt, niſi liberam habeant poteſtatẽ vaſtandi ſancta cum non ſanctis. Nec defuit ibi illud perditiſſimum hominum genus, qui Value dicuntur, crudelitates ſuas & nequitias exercentes, de quibus loqui non eſt ędificatio, ſed miſeria. Cùm igitur aduerſarij cum Philippo congredi timerent, vt dictũm eſt, omnia peruagantes, rebus multis Turingiam ſpoliauerunt. Sedecim ſanè eccleſiæ conuentuales religioſorum tam virorum quàm mulierũ, cum parochijs CCCL. à Boiemis deſtructæ ſunt, & cum cęteris mobilibus ipſa ornamẽta eccleſiarum à ſceleratis inquinata ſunt. Videres illic peſſimum quenq;, quod dictu nefas eſt, pro camiſia indutum alba, accinctum ſtola, alium pro tunica vti Dalmatica, tertium pro chlamyde amictum caſula. Alterius cuiuſlibet ſcelerati equus palla altaris diſcurrebat opertus. Et quod ſine lachrymis & gemitu dici vix poteſt, religioſas & nobiles Deo dicatas fœminas, ad ſtrepas equorum ligatas, quaſi captiuas trahebant, templa Dei non manu facta libidinosè polluebant. Inter quas nonnullæ hoc genere tormenti ad mortem vſq; vexatæ ſunt. Quid iſtas niſi inter martyres deputare poſſumus? Abſit enim à Chriſti fidelibus, vt eas ſponte à tam turpibus, vt ita dicam, canibus credant voluiſſe inquinari. Cùm igitur caro vim ſit paſſa, proculdubio ſperamus, quòd ſpiritu reluctante anima Deo dicata permanſerit inuiolata. Nonne in primitiua eccleſia, quando perſecutio inſtabat martyrum, hoc genus mortis ſanctis & nominatis virginibus, vt in paſſionibus earum legimus, ab impijs iudicibus ſiue tortoribus ſæpius intentatum eſt? Sed ſi à pio ſponſo earum, Ieſu Chriſto, qui idololatras illos in his præualere nolebat, ab omnibus miſericorditer & miraculosè ſunt liberatæ, non minus iſtas in conſortio illarum ſperandas credimus, quę tempore eccleſię à fidei profeſſoribus non cultoribus talia ſuſtinuerunt, in caſtitatis profeſſione perſeuerantes. Nonne huic ſimile inuenitur de ſancta virgine & matre Irene? quæ peſſimo iudici ſcortum ſibi minanti ſic reſpondit: Non reputo quàm crudeli, quàm turpi mortis genere corpus deficiat, dum ſpiritus tormentis nõ cedens, nec carnis illecebris conſentiens, intactus & illibatus Deo permaneat. Nunquid polluti ſunt martyres de ſacrificijs idolorum, quibus tu ſanguinem dæmonibus immolatum violenter ore aperto infundi iuſſiſti? Non ſunt polluti, imò pro his & alijs irrogatis ſibi pœnis & iniurijs æternaliter ſunt coronati. His & alijs exemplis inſtructi, credimus & has coronatas, quæ caſtitatẽ veraciter profeſſæ, nolentes non conſentientes hoc genere mortis defecerunt. Boiemus autem vſq; Halam procedens, enormia perpetrans, per terram Marchionis, vt de eo vindictam expeteret, ad ſua reuerſus eſt, non ſine graui iactura ſuorum, qui ſtragem non paruam diuerſis in locis perpeſſi ſunt, Deo eis reddente ſecundum nequitias operum

*Hermãnus Landgr. Turing. Mulhuſiũ.*

*Philippi expeditio Turing.*

*Boiemi ab auctore notati.*

*Eorundem rapina.*

*Militaris impietas.*

*S. Irene.*

*Hala.*

*Boiemorum per Myſn. hoſtilis reditus.*

operum suorum. Rex autem Otho reuersus ad sua, nondum dimisso exercitu, ędificauit castrum firmissimũ Harlungenberg. Vnde Goslarienses nimis afflicti sunt, ita vt multis de ciuitate exeuntibus, ipsa ciuitas ex magna parte desolata videretur. Siquidem ipsa ciuitas inedia & fame laborabat, in oriente quidem oppositum habens castrum nouum, in occidente verò castrum Lichtenberg. Nec permittebantur intrare ciuitatem plaustra seu vehicula, quæ ciuibus inclusis necessaria afferrent. Medio tamen tempore Lichtenberg ab Hermanno, Comite de Hartesburg, insidiosè capta est, & ciuitas de tanta obsidione partim soluta est. Postea tamen occasione eiusdem castri Goslaria desolata est.

*Harlungeberg.* *Goslaria vexata.* *Lichtenberg.* *Hermãnus Com. Hartesburg.*

## CAPVT VI.

ALiquantulum temporis fluxerat, & rursus Philippus cum militum manu partibus Othonis appropiabat. Qui cùm Brunschwig consisteret, collecta militum multitudine vel etiam ciuium, qui propter continuas bellorum exercitationes gladijs & sagittis & lanceis non parum præualent, obuiam ei processit prope Goslariã castra metanti. In comitatu eius erat frater eius Palatinus cum copijs non paruis, quas de Aldenburg & de Stadio & ministerialium suorum numero contraxerat. Cumq; fratres vallati tantis exercitibus prope villam, quę Borchtorp dicitur, consisterent, repentè quædam inopinata discordia emersit, quæ semper suos ciues miseros facit iuxta illud Poetę: En quò discordia ciues perduxit miseros, &c. Et illa cõgregatio in stuporem & mœrorem versa, infecto negotio soluta est. Palatinus sanè, qui partes fratris instanter iuuabat, continuas minas à Philippo audiebat, quòd dignitatem Palatij, quam circa Rhenum habebat, perderet, nisi à fratre recederet. Dicebat enim se nolle tolerare, quòd rebus Palatij grauaretur, quas ipse & non alius dispensare videretur. Durum igitur visum est Palatino, vtrobiq; dispendium pati, in fratris seruitio sua expendere, & neglecto Philippo, Palatij dignitatem perdere. In ipso igitur congressionis articulo, frater regis ita locutus est clanculò: Frater, ego quidem tibi seruire dupliciter teneor, & iure cõsanguinitatis & fide regiæ maiestatis. Vt igitur plenariè tibi possim assistere, æquum est, vt aliquid emolumenti debeam à te accipere. Dimittas ergo mihi ciuitatem Brunschwig & castrum Lichtenberg, vt his munitionibus roboratus, omnibus aduersarijs tuis circumquaq; resistere sim paratus. His auditis frater Rex nõ sine indignatione respondit: Nõ sic, frater mi; magis expedit, me primum regni gubernacula potenter possidere, & te omnia quæ volumus vnà mecum æqualiter tenere. Nolo, vt quadam formidine territus, aliqua modò facere videar, quæ fortè in posterum quasi pœnitens mutare compellar. Quid plura? sine deliberatione, sine necessitate, Palatinus, relicto fratre, multis mirantibus, vel etiã lachrymantibus, ad Philippũ transijt, & Otho in Brunschwig redijt. Inter hæc tamen Goslarienses à Brunsuicensibus continuas oppressiones seu dilapidationes tolerabant: quia eos frequenter foris negotiantes vel captiuabant, vel casulis eorum argentarijs destructis supra modum damnificabant.

*Philippus in armis.* *Brunsuicenses bellicosi.* *Goslaria.* *Hẽricus Palatin. Rheni.* *Borchthorp.* *Mina in Hẽricũ Palat.* *Eiusdem irrita petitio.* *Transfugiũ ad Philippum.* *Hostiles in Goslarienses iniuria.*

## CAPVT VII.

POst hęc Guncelinus, dapifer regis Othonis, ipso rege in Colonia morante, cùm castrum Lichtenberg requirere vellet, quia Brunsuicenses de eodẽ castro multas infestationes patiebantur, conuocatis amicis, castrum obsedit. Sed quia nimis erat munitum, casso labore in obsidione defecerunt. Consilio ergo habito, Goslariam se conuertunt, & impetu valido ipsam impugnare cœperunt. Et quia, vt dictũ est, ex magna parte desolata erat, nec militum manu munita, subitò ab hostibus capitur, & direptionem maximã patitur. Præsidio tamen erat Hermannus cum paucis de Hartesburg: qui quoniam resistere nõ valebat, irruentibus hostibus, fugiens cum suis euasit. Depopulata est igitur ciuitas opulenta valde, ita vt captiuatis ciuibus, & plaustris innumeris de diuersis locis adductis, per octo dies spolia deferrentur ciuitatis. Inter quæ erat tanta copia piperis & aromatum, vt modijs ea & acer-

*Guncelinus dapifer Othonis.* *Lichtebergа.* *Goslaria capta diripitur.* *Hermãnus Com. Hartesburg.* *Manubia.*

uis maximis diuiderent. Et quia ipsa ciuitas diu cōtra Othonem steterat, alij ipsam igne supposito succendere volebant, alij ecclesias destruere parabant. Quidam etiā ecclesiam B. Matthiæ armati intrantes, coronas aureas & cætera ornamenta innumera, à regibus largè collata, deferre parabant. Sed diuinitus hac voluntate mutata, obsides ciuium accipiunt, & ciuitatem vsq; ad aduentum regis relinquunt. Placuit hoc regi, & cùm eam securius possedisset, quædam ablata ciuibus reddidit, & ipsam de cætero subiectam tenuit.

*Das Munster.*

## CAPVT VIII.

*Philippi iterata in Turing. expeditio. Weissensee. Othocarus Boiemus. Orlemunda. Conradus, Marchio Landsperg.*

POst hæc Philippus rex expeditionem secundam in Turingiam ordinauit, & obsidione maxima ciuitatem Weissensee, quæ in medio terræ Lantgrafij sita erat, vallauit. Cumq; per aliquod tempus creuisset obsidio, Hermannus Landgrafius nimis afflictus erat, qui regi resistere non valebat. Venit tamen confœderatus suus Boiemus, auxilium amico laturus. Qui cùm esset circa Orlemunde, intelligens virtutem Philippi expauit, & qualiter euaderet, animo tractare cœpit. Contulit tamē dolosè cum Conrado, Marchione Landespergensi, qualiter ad gratiam regis, ipso mediāte, venire posset. Cumq; Marchio id se agere fideliter spopondisset, dicebat Boiemus, quia tunc tempus instabat prandij: Vos ad castra reuertamini: sciatis tamen, me finaliter ad gratiam Philippi regis velle venire, & nullo modo hinc recedam, nisi per vos faciem eius videam. Cùm igitur Marggrafius ad castra remeasset, ilicò Boiemus, relictis omnibus suis cum castris, excepta ferula, qua Boiemi vti solent, ascensis caballis fugam inijt. Quem cum quadringentis viris Otho, Palatinus de Wittelsbach, persecutus est vsq; ad syluā, quæ Behemerwald dicitur. Quod videns Landgrafius magis timuit, & nullum videns subterfugium, nulla prorsus conditione interposita, ad pedes Philippi supplex venit. Qui cùm diutius in terra iaceret, & eum Rex de perfidia & stultitia mentis argueret, tandem circumstantium alloquijs admonitus, eum à terra leuauit, & in osculo recepit. Odackerus autem à Philippo in tantum est humiliatus, vt dimidietatem Ducatus vix obtineret, reliquā partē Theobaldus suprà dictus possideret. Nunc his omissis ad nostra reuertamur.

*Othocari fuga. Otho Palat. Wittelsbach. Hermānus Landgr. Philippo supplex. Theobaldus Othocari æmulus.*

## CAPVT IX.

*OthonisBrā deburg. in Danum bellum. Odera. Rugiani. * Episc. Roschildēsi, vt infrà cap. 13. & 17. Episcopi captiuitas.*

INterea nō defuerūt noua in Dania & Nordalbingia. Siquidem Otho, Marggrafius de Brandeburg, infestabat Canutum regem, subijciens sibi quosdā Slauos, quos Rex suæ ditionis esse dicebat. Vnde commotus Rex expeditionē contra eum ordinauit, & classe terram suam intrauit per aquam, quę Odera dicitur, quę in mari descensum habet. Cui occurrerunt Rugiani, seu Rani, cum Polabis & Obotritis. Rex tamen in insula Mone consistebat, Petro * Cancellario exercitum ducente. Cumq; eis Marchio occurrisset in multitudine militum & Slauorū, ex vtraq; parte vulnerati ceciderūt. Inter alios frater Episcopi Durbernus cecidit, & Cancellarius vulneratus in captiuitatem iuit. Sicq; expeditio illa soluta est. Episcopus autem in graui custodia ab Othone tenebatur, sperante se per eum multos captiuos recipere, vel multam partem Slauiæ possidere. Aliquantulum temporis fluxerat, & episcopus in custodia tenebatur. Cumq; de vulnere accepto ægrotaret, ipse callidus & astutus maiorem infirmitatē de se simulabat, vt quasi seipsum desperaret. Marchio igitur quadam humanitate ductus, timens etiam infamiam, ne Episcopus in custodia nimis dura deficeret, eum indulgentius habere cœpit, deputato sibi custode quodam Ludolfo nomine. Episcopus igitur nactus opportunitatem, cum suo custode de sua liberatione tractare cœpit. Et quid plura? Custode consciente & cooperante Episcopus de custodia eripitur, & ad sua reuertitur, & Ludolfus non parua mercede remuneratur.

*Morbus simulatus. Fuga.*

## CAPVT X.

*Alterū Brādeburgici in Danum bellum. Ieromarus.*

PRoxima verò hyeme, quæ fluuios & paludes durius constrinxerat, Otho Marchio coadunato exercitu, Adolfo Comite auxilium ferente, totam Slauiam vastauit, nec terræ Ieromari, quæ Tribuses dicitur, pepercit, ita vt ipsam Rugiam vastasset,

ſtaſſet,ſi glacies ſtagni,quod terras diuidit,ſoluta nõ fuiſſet. Vnde Adolfus grauem Regis indignationem pertulit,& de cętero gratiæ illius alienus extitit. Sępius enim regem offenderat, tum quia Slauos ſæpius impetebat, tum quia cum Waldemaro Epiſcopo contra eum quandoq; ſenſerat.

*Danus Adol fo C. iratiſſimus.*

## CAPVT XI.

INſtante igitur æſtate, Canutus Rex contra Adolfum exercitum perduxit ad Egdoram in loco qui Reinoldesburg dicitur. Cui Comes occurrit cum innumera militũ multitudine, auxilium ferente Othone Marchione cũ armatorũ multitudine. Aderat ibi Simon, Comes de Teckenburg, Bernhardus de Wilipia, Mauricius de Aldenburg,& alij multi. Dominus quoq; Hartuicus, Bremenſis Archiepiſcopus, huic collegio non defuit. Hos omnes Comes de ſuis ſumtibus copioſè procurauit diebus non paucis, non ſine admiratione multorum, quòd tantis expenſis Comes ſufficere potuiſſet. Cùm igitur aqua eos ab inuicem diuideret, & Rex ad iſtos tranſire diſſimularet, nec iſti eum impetere audebãt: Rex tandem caſtra mouens, ad ſua reuerſus eſt. Et ita expeditio illa ſine pacis conditione ſoluta eſt.

*Bellum Danicum.*

*Adolfi auxiliares.*

*Mauricius Com. Oldẽburg.*

## CAPVT XII.

TRanſacta hyeme, ſtatim Adolfus Comes caſtrũ Reinoldesburg antiquum reædificare cœpit, ſperans ſe hac munitione impetum Regis euadere. Sed rex non immemor ſuarum iniuriarum, adueniente Maio, coadunato exercitu cum multitudine graui ad Egdoram venit: nec minus Comes cum ſuis affuit. Qui cũm impetum Regis ferre nõ valeret, conditione pacis interpoſita, ſic ad regis gratiam venit, vt ipſum caſtrum regi cederet, & Comes ſua quietius poſſideret. Rex autem ipſum caſtrum ampliando firmiter ædificauit, collatis illic viris & armis plurimis, pontemq; latiſſimum ſuper Egdoram ſterni fecit, & exinde liberum exitum & introitum in terram Comitis habuit, ſicq; paulatim ſimultates & occaſiones contra Comitem exortæ ſunt. Comes tamen vnà cum æquiuoco ſuo Adolfo, Comite de Daſſe, Lawenburg obſidere cœpit, ædificato caſtro Hardenburg, per quod ipſum caſtrum nimis arctabat, ita vt caſtellani nec introitum, nec exitum habere poſſent. Creuit igitur obſidio: quia Comes copiam nauium de Hammenburg adduxerat, quas viris & armis & machinis optimè munierat. Cumq; caſtrum & per aquas & per terras arctaretur, & Dux Henricus, qui & Palatinus, illud liberare non poſſet, deficientibus iam victualibus, viri caſtellani de deditione caſtri agere cœperunt. Miſſis igitur clanculo legatis ad Canutum regem, ei caſtrum offerunt reſignandũ. Qui gauiſus eſt, & gratias agens caſtellanis, miſit ad eos Rudolfum quendam, virũ illuſtrem de Holſatia, vt ipſi caſtrum loco ſuo reſignarent, & vexillo regio ſibi illud intitularent, promittens ſe breui venturum, & caſtrum de hoſtibus redemturum. Quod intelligentes nepotes, ipſum caſtrum arctius impugnare cœperunt. Et quia victualia defecerant, ipſum ſibi citius potenter ſubiugauerunt. Hoc audiens Rex, & callidè diſſimulans, ipſos Comites amplius exoſos habere cœpit. Poſtea tamen mediantibus amicis, Comes Adolfus ad gratiam Palatini venit, & facti ſunt amiciſſimi, ita vt Dux patrimonio ſuo, quod circa fluuium, qui Camme dicitur, habebat, eum inbeneficiaret, & Comes ſeptingentas marcas ei perſolueret.

*Reinoldeſburgum inſtauratum.*

*Dani in Adolfum expeditio.*

*Pacificatio.*

*Adolfus Daſſ.*

*Lauenburgi obſidio.*

*Henricus Palat.*

*Obſeſſorum irrita cum Dano pactio.*

*Deditio.*

*Adolfus reconciliatur Henrico Palat.*

## CAPVT XIII.

INter hæc Henricus, qui & Boruinus, & Nicolaus, nepos ipſius, qui & Niclotus, de voluntate regis Canuti expeditionem in terram Comitis Adolfi de Daſſe ordinauerunt, quibus idem Comes occurrit ad locum qui Warskowe dicitur. Cumq; acies ordinaſſent, Nicolaus prior inſultum in hoſtes faciens, interfectus eſt, vir bonus & prudens, cuius ruina tota Slauia in mœrorem eſt verſa, ita vt in vltionem ipſius multi perirent. Nam cognito caſu tanti viri, hoſtes armis inſiſtunt, & innumera ſtrage Teutonicos proſternunt, vt vix Comite cum quibuſdam militibus euadente, ſeptingenti viri gladio interirent. Heu heu quot viduæ gemitus lachrymaſq; dedere. Deficientibus ſanè viris terra ſpatioſa quaſi inculta manebat, & ſpi-

*Boruinus et Niclotus Dani emiſſarii.*

*Pugna Varſcouienſis.*

*Nicloti cædes.*

nas & tribulos germinans, nec aratra nec iuga boum sentiebat. Exinde autem Comes prædictus minus gratus terræ suæ fuit, vtpote qui tantæ ruinæ auctor extitit. *[Adolfus Dasl. & Adolfus Holsat. suorum odia incurrunt.]* Ipse enim cum nepote suo Adolfo Thetmarciã, quæ regi subdita videbatur, intrauerat, quam non parua cæde affecerat. Nõ minus autem Comes Adolfus insidias suorum tolerabat, propter quosdam, quos pecunia mulctauerat, videlicet Henricũ cognomine Busche, quem etiam captiuatum in vincula coniecerat, Eggonẽ quoque de Sturgia, Brunonem de Tralowe. *[Duces cõspirationis.]* His congaudentes illi erant, quos Comes de terra eiecerat, & apud Ducem Waldemarum in Iutia exulabãt, videlicet Scacco & fratres eius, Widdagus & Radulfus, Vbbo, Timo cum fratre Marquardo, omnes consanguinei Marcradi præfecti, *[Marcradus.]* qui à Comite præfato de terra eiectus, ibidem exilio cum vxore, Ida nomine, *[Ida vxor.]* defecerat. Hi cotidie per se ipsos & per internuncios continuè zizania discordiæ in terra Comitis præfati seminare non cessabant, ita vt iam instante guerra, quosdam in suam partem allicere tentarent, videlicet Emmekonem de Viscow & Vergotum de Sibrandesdorp. Qui ad ęmulos Comitis transeuntes, manifestas inimicitias aduersus Comitem Adolfum iam tũc exercere nisi sunt. *[Largitionis corruptela.]* Quidam etiam promissionibus beneficiorum in partem Regis & fratris sui Waldemari sunt inclinati, quidam etiam pecuniarum muneribus sunt inuitati. *[Waldemari Ducis cõtra Adolfum expeditio.]* Cùm igitur omnes meliores in partẽ Regis & fratris Ducis inclinati fuissent, circa tempus piscationis, quæ in Scania fieri solet, quas ciues nostri frequentãt, vbi etiam ipso tempore cum nauibus suis & rebus sunt detenti, ita etiam vt quidã eorum in captiuitatẽ irent circa exaltationem S. Crucis, Waldemarus Dux cum expeditione graui terram Comitis intrauit. Cui Comes cum suis occurrit ad locum, qui Stilnowe dicitur. *[Victoria.]* Congressione autem facta, pars Comitis infirmata est, ita vt multi gladijs perirent, alij verò captiuitatem subirent. Comes autem fuga elapsus, in Hammenburg se recepit. *[Successus.]* Ipso tempore Dux Etzeho obtinuit, Sigeberg & Trauenemunde obsideri fecit, Pluneq́; quod magnum præsidiũ videbatur, à suis hominibus capta est. Videns autẽ Dux, quòd fortuna fauente introitus sibi terræ pateret, circa festũ Simonis & Iudæ rursum instaurato exercitu, vnà cum Petro, Rochildensi Episcopo, *[Petrus Episc. Roschildensis.]* prudente & magni consilij viro, terram intrauit. Et quia prædictus Comes iam terram exierat, venit Hammenburg. Vbi occurrentibus prouincialibus, honorificè susceptus est à clero & ab omni populo. Sequente verò die castra mouens, venit Bergerstorp, & altera die processit Lawenburg. Comes autẽ de Dasle cognita virtute Ducis, *[Adolfi Dasl. fuga.]* timens traditionem, propter causas suprà dictas, nec minus & ipse terram exierat. Qui autem remanserant, timentes impetum Ducis, accepto consilio, Duci apud Lawenburg obuiam venerunt, & ei castrũ Raceburg & introitum terræ obtulerunt. Dux autem videns, quòd Lawenburg capere non posset, reædificato Haddeburg, relictis ibi militibus & armis cũ victualibus plurimis, processit Raceburg. *[Wittẽburg. Godebusch. Lubeca eiusq́; deditio.]* Sicq́; potito hoc castro de Wittenburg & Godebusch & ipsi dextras dederunt. Dux igitur prosperè agens, applicuit ad ciuitatẽ Lubeke famosam, sciens nomen suum dilatari, si tantæ ciuitati dominaretur. Ciues autẽ propter captiuos suos suprà dictos, & propter naues in Scania detentas, animaduertẽtes quoq́; quòd ex omni parte tota terra in conspectu Ducis parata esset, ita vt nullum introitum vel exitum nec per terram nec per mare habere possent, necessitate compulsi, consilio habito, nominatiores Duci, cùm apud Breteuelde esset, occurrerunt, & ciuitatem ei dediderunt, sicq́; suos captiuos cum nauibus & omnibus ablatis receperũt. Dux igitur acceptis obsidibus tam de hac ciuitate quàm de alijs ciuitatibus & castris, ad sua cum gaudio reuersus est, præficiens castro Sigebergensi Aduocatum Timonem, quod tamẽ per ipsum adhuc in obsidione laborabat. Fratres quoq́; eius deputauit Trauenemunde, quod adhuc homines Comitis tenebãt. *[Scacco Com. Ditmarsiæ designatus.]* Scacconem etiam Comitem Thetmarciæ declarauit, & fratrem eius Widdagum Plune præfecit. Radulfum quoq́; in Hammenburg locauit: vt qui propter ipsum exulauerant, per eum maiora reciperent.

## CAPVT XIIII.

*[Adolfi irriti conatus.]* POst hæc Comes Adolfus de Schawenburg dolens de perditione terræ suæ, circa festum B. Andreæ contractis nauibus & copijs de Stadio, quod adhuc tenebat, occu-

bat,occupauit Hammenburg. Vnde territi homines Regis ſiue Ducis cum Radulfo Aduocato fugā inierunt. Comes verò ſperans ſe proſperè agere propter caſtra, Lawenburg videlicet & Sigeberg & Trauenemunde,quę adhuc cum ipſo ſentiebant,& propter quoſdam prouinciales, qui ſpem bonam, in dolo tamen, ei faciebant, in ipſa ciuitate vſq; ad natiuitatem Domini, ſiniſtro tamen omine, perdurauit. Siquidem Waldemarus Dux, audito introitu Adolfi Comitis, impiger ad expeditionē ſe præparans,euocatis omnibus amicis de Nordalbingia, Slauia, Thetmarcia,ad obſidionem eiuſdem ciuitatis properauit. Nec defuit Comes Guncelinus cum Henrico Boruino, auxilium deuotè ferentes. Comes autē ſeductus à referentibus,qui eum fraudulenter circumuenerunt, nullatenus Ducem venturum propter feſtum Natiuitatis,quod Dani feſtiuis potationibus honorare ſolent, hac inquam fiducia ſeductus, repentè circa vigiliam Natiuitatis Ducem cum infinitis ſenſit adeſſe. Sed tunc effugium non patebat: quia horrore hyemis tota Albia & Halſtera conſtricta erat. Comes igitur in arcto poſitus,quid faceret, quo ſe verteret, ignorabat: quia ex omni parte inimicorū rabies eum vrgebat. Tractabat cum ſuis,ſi fortè nocturno tempore, alijs quieſcentibus, ad arma conuolans, violenter exire poſſet. Sed nec hæc ſtare poterant, propter maximas copias, quæ vndiq; per circuitum ordinatæ erant. Cumq; dies B. Stephani aduenißet, ſic ordinatum erat, vt Comes Lawenburg Duci redderet,& ipſe cum ſuis liberè abiret. Ad hoc negotium deputatus eſt Guncelinus,Comes de Suerin, qui Comitem ſub pacis conditione Lawenburg conduceret, vt promiſſum Comes fideliter perſolueret. Cùm autem cognouiſſent Thetmarci,Comitem de ciuitate egreſſum in caſtris Guncelini conſiſtere, ſiue ex deliberatione propria, ſiue inſtinctu aliorum in vnum conglobati,rupto pacis fœdere,Comitem occidere conati ſunt. Facto igitur tumultu, Guncelinus cum ſuis fortiter reſiſtebat. Sicq; ſuperuenientes principes Ducis, Adolfum Comitē de occiſione liberauerunt,qui tamen arctius cuſtodiebatur. Dux igitur caſtra mouens, cum Adolfo venit Lawenburg, vt promiſſum perſolueret. Qui cùm caſtellanis ſuppliciter ſatis loqueretur, vt ſui miſerentes, caſtrum pro ſua liberatione redderent, illi nulla ratione acquieuerunt. Et exinde Comes compedibus & vinculis conſtrictus eſt. Sicq; non ſine contumelia per omnia loca,quibus antea dominabatur,deductus,Daniam captiuus intrauit. Dani autem cognita captiuitate ſui inimici, in omnibus ciuitatibus & vicis, vt tempore Saul Philiſtæi fecerunt, omnibus ad plauſum & exultationem hoc nunciauerunt. Inter hæc Lawenburgenſes ſæpius erumpentes,terram ſatis inquietabant.

*Circumuentio.* *Obſidio.* *Deditio.* *Periculum.* *Captiuitas.*

## CAPVT XV.

NOn autem obliuiſcendū,quòd Dn. Canutus Rex, in beneplacito fratris Waldemari,ſororem ſuam Helenam cum magna ſolennitate Dn. Wilhelmo, filio Ducis Henrici, ſociauit. Vnde lætati ſunt omnes amici Ducis, & omnis terra Holſatorum Sturmariorum, ſperantes eum cum ſorore Dn. Regis totam terram habiturum. Sed fefellit opinio. Ipſe tamen gener Regis ſæpius à rege & fratre Duce in multis honoratus, dignitatem ſui nominis multis præferebat. Proxima æſtate Dn. Canutus Rex venit Lubeke, & glorioſè ſuſceptus eſt à clero & ab omni populo. Ad cuius introitum deditum eſt caſtrum Trauenemunde, quod Regi non paruam fecit lætitiam. Prouinciales quoq; accurrentes, omni alacritate obſequio regis ſe exhibuerunt. Rex igitur procedens Mulne, & acceptis obſidibus prius neglectis, ad ſua reuertitur, fratre Duce procedente Lawenburg. Quòd cùm capere nō poſſet, reædificato caſtro Haddenburg, quod Lawenburgenſes deſtruxerant, firmatiſq; præſidijs, ad propria reuertitur.

*Dani cum Wilhelmo Leonis F. affinitas.* *Aduentus in Germaniam.* *Mœllen.*

## CAPVT XVI.

HIs ita geſtis, Dux videns, quòd ſui in obſidione Sigebergenſi deficerent, eo quòd caſtellani propter munitionem loci ſæpius villanis porcos vel boues vel

*Waldemarus Dux obſidet Sigebergam.*

*Obsessorum strategema. Deditio. Mors Canuti regis. Waldemari successio & inauguratio.*

quælibet alia, quæ ad victum pertinent, violenter auferrent, nonnullos etiam resistentes grauiter sæpius vulnerarent, ipse per semetipsum impatiens otij castrum vallauit, & omni eruptione ablata, grauiter inarctauit. Cumq; pro diutina obsidione victualia castellanis deessent, nimis arctati, sperantes liberationem, longa famis inedia castrū viriliter tenebant. Et cùm nihil esurientibus superesset, ipsi tamen non minus instrumētis ferreis molares cædebant, vt crederent aduersarij, farina & panibus eos abundare. Tamen pertæsi tanti laboris & obsidentes & esurientes, castrum deditum est ea conditione, vt castellani patrimonia sua, seu beneficia, vt antè possiderent, & cum omni pace omnem supellectilem, vel quicquid in castro possiderent, liberè deferrent. Cumq; Dux castrum suis locasset, & ad sua cum gaudio remearet, repentè sinistrum accepit nuncium, videlicet fratrem regem mortuū. Vnde exterritus, velocius accelerat reditum, vtpote fratris accepturus regnum. Cumq; multa concordia regnum adeptus fuisset, in natiuitate Domini percepta benedictione regali à venerabili Lundensi Archiepiscopo Andrea in ipsa ciuitate in regni sedem gloriosè sublimatus est.

## CAPVT XVII.

*Profectio in Germaniā. Tituli. Comitatus. Expeditio Lauenburg. Pacificatio cum hoste. Obsides pro Adolfo.*

HIs ordinatis, circa Augustum rex Waldemarus cum magna gloria & infinita multitudine venit Lubecam, ibiq; cum multa iucunditate Rex Danorum & Slauorū & Nordalbingiæ Dominus salutatur. Sicq; prosequente Archiepisc. Lundensi, & fratre ipsius Petro Rochildensi, cum cæteris Episcopis, Præpositis, primoribus Nordalbingis, Thetmarcis, Slauis, Rugianis, maxima virtute vallat castrum Lawenburg. Cumq; castra metatus fuisset, erexit machinas multas siue alia castrorum tormenta. Viri quoq; balistarij & sagittarij continuè castellanos inquietabant, & vicissim vulnera dabant & accipiebant: nec deerant inter has alternationes funera morientium. Cumq; diutius hæc fierent, & Rex castro dominari non posset, eò quòd castellani viri bellatores essent, & castrum nimis munitum fuisset, tandem conditione pacis interposita, colloquium regis castellani exposcebant, in quo de liberatione Comitis tractatum est. Et sic mediante Archiepiscopo, & fratre eius Cancellario, cęterisq; Episcopis & primoribus, definitum est, vt castellani castrum dederent, & Comes datis obsidibus à captiuitate solueretur. Dedit igitur Comes duos filios suos, & filium cognati sui, Ludolfi de Dasle, & filium Comitis Henrici de Dannenberg, prætereà octo pueros ministerialium suorum. Et iureiurando firmatum est, vt obsides post decem annos liberi essent. Si verò Rex intra hos annos deficeret, non minus hoc fieret. Sic castrum redditur, & Comes gaudens Schawenburg reuertitur.

## CAPVT XVIII.

*Waldemarus Slesuic. Dimittitur è vinculis. Insimulatur periurij.*

INterea tamen concaptiuus eius Waldemarus Episcopus in vinculis perdurabat. Sed pietate Dn. Andreæ Archiepiscopi & aliorum, qui pro ipso mouebantur, à captiuitate tandem hoc modo liberatus est. Quia enim idem Waldemarus vir nobilis erat, regis Canuti filius, magni patrimonij hæres, & contra Canutum regem & fratrem Waldemarum tunc Ducem, nunc autē Regem, senserat, suspecta multis eius videbatur liberatio. Vnde consilio habito, ipsum negotium communicatum est Dn. Apostolico. Ipso ergo per suos nuncios mediante, Dn. Waldemarus tali modo liberatus est, vt nunquam in tali vicinia esset, vbi regi Waldemaro, cognato & æquiuoco, importunus existeret. Et hoc ab ipso Waldemaro Episcopo sacramentaliter firmatum est. Rex igitur datis expensis, ad Dn. Papam eum misit, vt apud ipsum consisteret, quousque eum episcopio excellenti sublimaret. Waldemarus tamen hoc ex parte non persoluit, & medio tempore Philippo regi se coniunxit, & iniuriatum se à Waldemaro rege conquestus est.

Vnde quidam eum peierasse contendunt.

CAPVT

## CAPVT XIX.

NVnc his omnibus omiſſis ad Græciam tranſire cogimur, vt noua & mirabilia, quæ illic Domino operante, ſiue permittente, facta ſunt, & præſentibus & poſteris, pro vt nobis de veritate conſtat, inſinuemus. Magna quidem & præclara & relatu digna ibi à Latinis geſta ſunt. Sed vtrum Dei facta ſint an hominum, necdum dignus finis declarat. Ideoq; Deo permittente præmiſſum eſt: quia ſæpe videntur aliqua fieri in eccleſia magis ex Dei permiſſione quàm operatione, licet ipſa Dei permiſſio rectè ipſius intelligi poſſit operatio. Ipſe enim Sathana expetente Iob affligi permiſit, licet ipſius afflictio Sathanæ fuerit deiectio, & viri ſancti glorificatio. Operante enim Deo, quaſi ipſius permiſſione tentatus eſt Iob, vt virtus patientiæ Deo ſoli cognita electis proficeret in morum doctrina. Quod bene intelligens vir ſanctus, poſt damna rerum, poſt occiſionem pignorum, ſic ait: Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. Diabolus enim ex quo veritatem deſeruit, & à Deo & angelorum conſortio, quibus prælatus erat, ſe elongauit, ſicut nihil habet proprietatis præter malitiam propriam, ita per ſe nihil habet poteſtatis. Cùm igitur aliqua permiſſus facit, ipſe quidem agit quaſi vaſtator, Deus autem quaſi miſerator, cuius voluntati dum quaſi ex malitia ſubditur, ipſo nolente quod Deus vult, perpetratur. Nos tamen hac ſerie poſtpoſita, veniamus ad promiſſa. Circa tempora dierum illorum talis epiſtola de partibus Græciæ Dn. Othoni Regi fuit directa.

*Digreſſio ad hiſtoriā de rebus Græcis. Vide annales Nicetæ.*

*Dei permiſſio.*

*Excellentiſſimo Dn. Othoni, Dei gratia Romanorum Regi & ſemper Auguſto, Balduinus, Flandrenſis & Henneg. Ludouicus, Blezenſis & Clar. & Henricus S. Pauli Comites, cæteriq; Barones & milites exercitus ſignatorum in Stolio Venetorum cum amoris plenitudine & honoris, paratum ſemper obſequium.*

*Epiſtola ad Othonem.*

QVanta fecerit nobis Dominus, imò non nobis ſed nomini ſuo quantam gloriam dederit his diebus, quanta poſſumus breuitate perſtringamus, ipſo prænotantes initio, quòd ex quo vrbem tranſgreſſionis exiuimus (ſic enim Iaderam nominamus, cuius excidium vidimus, dolentes quidem & neceſſitate compulſi) nihil inter nos ordinatum eſſe meminimus, quod communiter ad vtilitatem pertineret exercitus, quin illud in melius prouidentia diuina mutauerit: ſibiq; totum vendicans, ſtultam fecit ſapientiam noſtram. Hinc eſt, quòd eorum, quæ facta ſunt apud nos glorioſè, omnem à nobis gloriam iure repellimus: quippe qui operis adhibuimus parum, conſilij nihil. Vnde neceſſe eſt, vt, ſi quis ex nobis voluerit gloriari, in domino glorietur, non in ſe vel in altero. Fœdere igitur Iaderæ confirmato cum illuſtri Conſtantinopolitano quondam Imp. Iſaaci filio, Alexio, cùm victualibus omnibus & rebus egentes, terræ ſanctæ videremur grauamen potius allaturi, ſicut alij ex nobis, qui nos præceſſerant, quàm leuamen aliquod allaturi, nec terræ Sarracenorū in tanta egeſtate nos crederemus applicare poſſe, veriſimilibus omnino rumoribus & argumentis inducti, quòd dicti Alexij ſuſpiraret aduentum regiæ ciuitatis pars potior & pondus Imperij, quem electione cōcordi cum ſolennitate debita imperiali diademate ſublimaſſet, contra conſuetum ordinem temporis, aura fauente, obœdientibus Domino ventis & mari, ad vrbem regiam præter omnem ſpem proſperè applicuimus. Sed nec aduentauimus improuiſi, qui vſq; ad ſexaginta millia equitū, præter pedites in vrbe reperimus. Et tranſilientes loca tutiſſima, pontes, turres & flumina ſine damno noſtrorum, terra mariq; obſedimus ciuitatē, & Tyrannū pariter, qui commiſſo in fratrē parricidio, faſces imperij diutina incubatione polluerat. Contra omniū ergo opinionem, vniuerſorū ciuiū mētes contra nos inuenimus obfirmatas, nec aliter contra Dominū ſuū ciuitatē muris & machinis obſeratam, quàm ſi aduentaſſet populus infidelis, qui loca ſancta polluere, & religionem Chriſtianam inexorabiliter euellere proponeret. Imperij ſiquidem crudeliſſimus maculator, Domini & fratris ſui proditor & orbator, quiq; eundē carcere perpetuo ſine crimine condemnaſſet, idem filio eius illuſtri Alexio

*Alexius Angelus iunior.*

*¶ Is fuit Alexius Angelus maior.*

factурus, ſi non eundem à manibus eius felix eripuiſſet exilium, præhabita in populo deteſtabili concionè, potentes ſimul & plebē ſermonibus adeò infecerat venenatis, vt ad ſubuerſionem libertatis antiquæ Latinos aſſereret aduentare, qui Romano Pontifici locum & gentem reſtituere, & Latinorum legibus Imperium ſubiugare properarent. Hæc profectò res ſic omnes contra nos animauit pariter & armauit, vt contra nos & exulem noſtrum viderentur omnes pariter coniuraſſe. Sæpius ergo per nuncios, imò per exulem noſtrum & Barones noſtros, ſeu etiam noſmet ipſos, à ciuibus poſtulantes audiri, nec aduentus noſtri cauſam nec petitionis modum explicare potuimus, ſed quoties terra vel mari ſtantibus in muro ſermones obtulimus, toties retulimus tela pro verbis. Conſiderantes igitur, quòd præter ſpem noſtram cuncta contingerent, in eum ſtatum neceſſitatis impacti, vt ſtatim neceſſe haberemus aut perire aut vincere, cùm obſidionem ipſam nulla ratione in quindecim dies protelare poſſemus, quos victualium omnium incredibilis vrgeret anguſtia, non ex deſperatione quidem, ſed inſpirata quadam ſecuritate diuinitus ſuſpirare cœpimus ad bella promtiſſimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere. Ad conflictum etiam campeſtrem ſæpius ordinati, inæſtimabilem multitudinem fuga ignominioſa in vrbem concluſimus. Aptatis igitur interim terra mariq; bellicis inſtrumentis, die obſidionis octaua violenter ciuitas introitur, graſſatur incendium, diſponit in campo contra nos aciem Imperator, & paratis nobis excipere venientes, conſtantiam noſtram cum paucitate miratus, ignominioſè frena reflectit, & in vrbem retrogreſſus ardentem, ipſa nocte fugam cum paucis aggreditur, ſuamq; in vrbe reliquit vxorem & paruulam prolem. Ea re comperta, Græcorū proceres in palatio congregantur, & exulis noſtri ſolennis celebratur electio, ſeu potius reſtitutio declaratur, inſperatamq; lætitiam copioſa in palatio luminaria proteſtantur. Mane facto, procedit in caſtra in-

*Alexii iunioris imperium.*

ermis Græcorum procerum multitudo, ſuumq; cum gaudio quærit electum, reſtitutam ciuitati aſſerit libertatem, & regredienti filio ad faſces Imperij cum gaudio inæſtimabili ſubleuatū de carcere caput patris Iſaaci, quondā Imperatoris, oſtendunt. Præordinatis itaq; quæ neceſſaria videbantur, ad eccleſiam S. Sophiæ nouus Imperator cum ſolenni proceſſione deducitur, & exuli noſtro ſine contradictione imperiale reſtituitur diadema cum plenitudine poteſtatis. His peractis, ad ſolutio-

*Gratitudo erga Latinos.*

nem promiſſorum proſilit Imperator, & promiſſa rebus accumulat, victualia ſeruitio Domini profutura nobis omnibus præbet in annum, ducenta marcarum millia nobis ſoluere pergit, & Venetis ſuiſq; ſumtibus ſtolium nobis in annum: ſeq; iu-

*Stipulatus.*

ramento obſtringit, quòd exire nobiſcum debeat regale vexillum, & in paſſagio Martij nobiſcum ad ſeruitium Domini proficiſci cum quantis potuerit millibus armatorum: & ſub eadem promiſſione concludit, quòd eam reuerentiam præſtare debeat Romano Pontifici, quam anteceſſores ſui Imperatores catholici prædeceſſoribus ſuis pontificibus quidem impendiſſe noſcuntur, & eccleſiam orientalē ad hoc idem pro viribus inclinare. Tantis igitur vtilitatibus prouocati, ne ſalutem, quam dederat Dominus in manibus noſtris, ſpernere videremur, & vertere in opprobrium ſempiternum, quod ad honorem nobis incomparabilem ceſſiſſe videbatur, promta deuotione conſenſimus, & ibidem hyemem, Deo dante, facturi, ad partes Ægypti proximo paſſagio tranſmeare tam certo propoſito quàm irreuocabili, quantum in nobis eſt, promta voluntate ſumus aſtricti. Et nūc ſi quid ex his, quæ acta ſunt vel agenda, meriti vel gratiæ vel etiam gloriæ præſtolamur, ſerenitatē ve-

*Soldanus Babyloniæ ſeu Memphiticus.*

ſtrā in Domino deſideramus eſſe participē, imò & principem. Nos interim Soldano Babyloniæ, terræ ſanctæ impio detentori, præmiſimus nuncios noſtros, qui ex parte regis ſummi Ieſu Chriſti Nazareni, & ſeruorū eius, dicti videlicet Imperatoris, & noſtra regaliter debeant intimare, quòd deuotionē populi Chriſtiani, incredulæ genti ſuæ, Deo donante, in proximo proponamus oſtēdere, & ad contritionē infidelitatis de cœlo nos expectare virtutem. Hæc autem fecimus de veſtra potius ſub Domino, & aliorum Chriſtiani nominis zelatorū, quàm de noſtra virtute confiſi, qui cōſeruos noſtros eo deuotius ac vehementius nobis deſideramus adiungi, quo meliores & plures regis noſtri miniſtros nobiſcum viderimus decertare; ne

Iudæis

Iudæis pridem traditus, sed iam assumtus in gloria, illudendus de cætero gentibus relinquatur.

## CAPVT XX.

HÆc de primo introitu Latinorum in Gręciam cognouimus per epistolã, quam audistis regi directam. Nunc de acquisitione terræ & principatu Balduini, Imperatoris Constantinopolitani, quàm potenter sibi terram subiecerit, & thesauros absconditos & arcana secretorum, quæ Deus illi ostenderat, quanta largitate distribuerit, per subiectam epistolam cognoscere potestis.

*Pergit enarrare res Græcas.*

*Epistola Balduini Imp. Byzant.*

*Balduinus, Dei gratia fidelissimus Imperator Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanus moderator & semper Augustus, Flandrensis & Hennegouiensis Comes: Vniuersis Christi fidelibus, Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, Primoribus, Præpositis, Decanis, cæterisq; ecclesiarũ Prælatis, ecclesiasticisq; personis: Baronibus, militibus, Sarziantis, omniq; populo Christiano, ad quos præsens pagina peruenerit, in vero salutari gratiam & salutem.*

AVdite, qui longè estis, & qui propè admiramini, & laudate Dominum, qui magnificè fecit, qui antiqua miracula nostris dignatus est renouare temporibus, & non nobis quidem, sed nomini suo dedit gloriam, omnibus seculis admirandã. Nam mirabilibus eius circa nos semper mirabiliora succedũt, vt etiam infidelibus dubium esse nõ debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil à nobis speratum aut prouisum antè contigerit, sed tunc demum noua nobis dominus procurauit auxilia, cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si benè meminimus, per litteras, vniuersitati nostræ transmissas, nostri progressus & status narrationem eo vsq; deduximus, vt vrbe populosa capta violenter à paucis, Tyranno fugato, & Alexio coronato, mora nostra promissa fuerit, & ordinata per hyemem, vt potenter obtinerentur, si qui resistere valerent Alexio. Sed nos, ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris aduersa barbaries, de ciuitate exeuntes, ex aduerso ciuitatis, interiacente Ponto, ad preces Imperatoris castra posuimus. Verùm sicut non hominum opera fuerunt, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum, sed dæmonum, quæ cum Imperatore nouo Gręcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Imperator siquidem ex insperato Gręcorum seductus perfidia, à nobis recessit animo, cui tanta beneficia contuleramus, & in omnibus cum patre Patriarcha & mole nobilium nobis promissis periurus & mendax tot incurrit periuria, quot nobis præstitit sacramenta. Vnde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur in cassum, & nauigij, quod ipsum adduxerat & sublimauerat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli fraudatur, Domino nos protegente. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia & rapinę. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur. Æmulum ei eleuãt Græci Imperatorem, ea occasione captata, quia ad auxilium nostrum tunc nullum sanguine sibi propinquum possit habere refugiũ. Cumq; euadendi spes vnica restaret in nobis, iuratum sibi quendam Murzuflum nomine, de quo super alios omnes pro impensis ei beneficijs confidebat, mittit ad exercitum nostrum: imperiale palatium, Blachernæ dictum, nobis sub Imperatoris & suo iuramento promittit in obsidium, donec cuncta nobis promissa reddantur. Accedit ad accipiendum palatium nobis Marchio Montisferrati cum militibus nostris. Sed Græci nostris illudunt, &, quos super hoc promisso iam nobis dederant, sumtis obsidibus, consueta periuria non verentur. Nocte insecuta Murzuflus, Domino suo & nobis periurus, reddendi nobis palatij reuelat arcana, & ex hoc perpetuam ipsis eripi libertatem, & contra hoc veniendum modis omnibus esse, declarat, si deijciatur Alexius. Huius itaque proditionis merito

*Necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxiliũ.*

*¶ Coniunge cũ hisce annales Nicetæ, qui non parum variat.*

*Alexius Ducas, cognomento Murzuflus.*

Imperator à Græcis acclamatur. In Dominũ ergo ſuum dormientem, & rei neſciũ, ſacrilegas mittit manus, & in carcerẽ vnà cum Nicolao quodã, quem inſcium, proditione Imperatorem traditum, vi populus apud S. Sophiam *, ſimul deiecit, ſibiq; coronam imperialem vſurpauit. Modicumq; poſt hæc Dn. Iſaacius, pater Alexij, diem clauſit extremũ, qui animũ filij ſui à nobis præ omnibus, vt dicebatur, auerterat. Græcis autem ſanguinem noſtrum tantùm ſitientibus, acclamante pręcipuè clero & populo vniuerſo, vt de terra in breui toleremur, pręlia contra nos proditor iam dictus inſtaurat, vrbem machinis in propugnaculis munit, quorum ſimilia nemo vidit vnquam. Cumq; murus miræ latitudinis in altum valde conſurgens turres haberet ampliſſimas, pedibus circiter quinquagenis paulo minúſve diſtantes, inter quaſlibet duas ex parte maris, qua noſter timebatur aſſultus, turris lignea erigitur, ſuper murum ſtationibus tribus aut quatuor, multitudinem cõtinens armatorum. Nec minus inter duas turres qualibet ſeu paterca ſeu magnellus erigitur. Turribus autem ſupereriguntur ligneæ turres altiſſimæ ſtationum ſex, ſuperq; ſupremam ſtationem aduerſum nos porriguntur ſcalæ, appoditiones ex vtraq; parte & propugnacula continentes, paulo minus excelſis ſcalarum capitibus, quantum iacere poſſit in altum arcus à terra. Murum etiam ipſum murus circumcingit inferior. Duxitq; foſſatum, ne muris vlla applicare poſſent ingenia, ſub quibus poſſint latitare foſſores. Interim terra mariq; nos tentat perfidus Imperator, ſemper nos Domino protegente, ſuoſq; fruſtrante conatus. Nam præter ordinationẽ noſtram ad prædam victualiũ procul exeuntibus noſtris vſq; ad mille animas pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine graui. Sed primo congreſſu diſſipatur omnino, cæſis captiſq; non paucis ſine damno noſtrorum: & fuga ignominioſa cõſulens ſibi, clypeum abijcit, arma deponit, & vexillum imperiale dimittit, ſimulq; nobilem, quam ſibi præferri faciebat, iconem, quam Ciſtercienſium ordini dedicauere victores. Poſt hæc naues noſtras flammis aggreditur, intempeſtæq; noctis ſilentio quindecim naues ſuas incenſis velis ſuis in altum colligatis, & inferius ad proram, flante fortiter auſtro noſtras mittit in naues. Sed Domino faciente, cum multo labore noſtrorum cuſtodimur indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis, catenas habentibus, noſtrorum remigio trahuntur in pelagus, & ſic ab imminentis mortis periculo à Domino liberamur. Nos quoq; terreſtrem eum prouocamus ad pugnam, & ponte atq; amne tranſmiſſo, qui exercitum noſtrum ſeparabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portã diu ſtetimus regiæ ciuitatis, præcedente cruce viuifica, in nomine Domini agminum Iſrael parati ad prælium Græcos excipere, ſi eis placuiſſet exire. Sed vnus tantùm nobilis quiſpiam pro militiæ exercitio egreſſus eſt, quem noſtri pedites membratim dilaniauerunt, ſicq; in caſtra reuerſi ſunt. Terra mariq; ſæpius prouocamur: ſed dante Domino ſemper triumphaliter obtinemus. Mittit ergo ad nos pacis fictæ legatos perfidus occupator Imperij, poſtulat & obtinet cum Duce Venetorum colloquium. Cumq; eidẽ Dux obieciſſet, quòd nulla cum eo poſſit eſſe ſecuritas, qui Dominum ſuum carcere concluſiſſet, poſtpoſita iuriſiurandi religione & fidei ac fœderis, & ipſi præripuiſſet Imperium: & bona fide conſuleret, vt Dominum ſuum reſtitueret, & humiliter veniam poſtularet, noſtras etiam pro ſe mittens preces, & quòd cum eodem Domino ſuo miſericordiã agere, ſi vellet, deberemus, & quicquid egerat contra nos venenoſè, ſi rediret ad animum, imputare vellemus ætati lapſuíve conſilij: Ille vana verba ſubintulit: quia quæ reſponderet rationabiliter, nõ habuit. Obœdientiam Romani Pontificis & ſubuentionem terræ ſanctæ, quam iuramento & ſcripto confirmarat Alexius imperiali, adeo refutat, vt vitam amittere præeligeret, Græciamq; ſubuerti, quàm quòd Latinis Pontificibus orientalis eccleſia ſubderetur. Nocte igitur ſequenti Dominum ſuum latenter ſuffocat in carcere, cum quo ipſa die prandium ſumſerat. Inde & claua ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & coſtas inaudita crudelitate confringit, caſuque vitam, quam laqueo extorſerat, confringit exemtam. Propalatum omnibus ſcelus funeris honore diſſimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec manibus noſtris ſtabiliter aptatis, & inſtrumentis bellicis præparatis, nos & noſtra recipientes in nauibus, V. Idus April. hoc

*Marginal notes:* * Locus eſt mendoſus. Vide Nicetam. — *Iſaacii Angeli mors.* — *Byzantii munitiones.* — *Alexius iunior ſtrangulatur.*

April. hoc eſt ſexta feria ante paſſionē Domini, vnanimiter pro honore S. Romanæ eccleſiæ, & ſub veneratione terræ ſanctę, nauali prelio inuadimus ciuitatem. Et eo die, ſine multo tamen noſtrorum ſanguine, ſumus tanta perpeſſi, vt inimicis noſtris in opprobrium verteremur, quorum eo die pars fuit per cuncta deterior, adeò vt tracta in terrā bellica noſtra machinamenta Græcis compelleremur relinquere, & infecto negotio ad ripam cogeremur redire aduerſam, ea die, vt videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum & contriti, & demum in Domino corroborati, definito conſilio rurſum inſtauramur ad pugnam, & quarto die, prid. Id. April. hoc eſt, ſecunda feria poſt paſſionem Domini, flante Borea, rurſum applicamur ad muros, ſcalis nauium trium applicatis, cum multo labore noſtrorum, & permultum reſiſtentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios ſenſere noſtrorū, belli durat anceps euentus. Duæ ſiquidem naues colligatæ, quæ pariter noſtros Epiſcopos, Sueſſionenſem ac Trecenſem deferebant, quarum erant inſignia paradiſus & peregrina, primæ ſcalis ſcalas turrium attigerunt, & felici auſpicio peregrinos pro paradiſo certantes hoſtibus admouerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, miniſtriſq; ſecretorum cœleſtium prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur noſtris, Domino iubente, cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis, noſtri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cùm Imperator, qui non procul à muris in tentorijs ſtabat armatus, conſpicaretur ingreſſum, ſtatim tentoria dereliquit & fugit. Noſtri cædibus occupantur, capitur ciuitas populoſa, recipiuntur in palatijs imperialibus, qui noſtrorum enſes effugerunt, multaq; cæde facta Græcorum, noſtri ſeſe recolligunt, aduesperaſcente iam die, arma feſſi deponunt. De aſſultu craſtino tractaturus ſuos recolligit Imperator, & craſtinam hortatur ad pugnam, aſſerens, quòd noſtros in poteſtate nunc habeat, intra murorum ſepta concluſos. Sed noctu latenter dat terga deuictus. Quo comperto, Græcorum plebs attonita, de ſubſtituendo Imperatore pertractat. Et dum manc facto ad denominationem cuiuſdam Conſtantini procedunt, pedites noſtri non expectata deliberatione maiorum, ad arma proſiliunt, & terga dantibus Græcis, fortiſſima & munitiſſima relinquuntur palatia, totaq; in momento ciuitas obtinetur, diripitur equorum innumera multitudo, auri, argenti, ſericarum precioſarumq; veſtium atq; gemmarum, & omnium eorū quæ ab hominibus inter diuitias computantur, tam inæſtimabilis abundantia reperitur, vt tantùm tutò latitans non videretur poſſidere. Et qui pauca antè negauerant, cuncta nobis diuino iudicio reliquerunt: Vt ſecurè dicamus, quòd maiora his mirabilia circa bellorū caſus nulla vnquam narret hiſtoria: vt impleta prophetia manifeſtè videatur in nobis, quæ dicit: Perſequetur vnus ex vobis centum alienos. Quia ſi inter ſingulos victoriam partiamur, quilibet ex noſtris nō pauciores quàm centum obſedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam vſurpamus: quia ſuper omnia mirabilia ſaluati ſumus dextera Domini, & brachium virtutis eius reuelatum eſt in nobis. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Ordinatis igitur diligenter, quæ diſponendarum rerum poſcebat euentus, ad electionem Imperatoris vnanimiter & deuotè procedimus, & omni ambitione ſecluſa, cum ſex Baronibus Venetorum venerabiles viros, Epiſcopos noſtros, Sueſſionenſem, Halberſtadenſem, Dominum quoq; Bethlemitanum, qui à partibus tranſmarinis auctoritate Apoſtolica nobis fuerat delegatus, Acconenſem electum, Abbatemq; Lucedij, Imperatoris noſtri ſub Domino cōſtituimus Electores. Qui oratione præmiſſa, vt decuit, Dominica miſericordias Domini perſonam noſtrā, quod à noſtris meritis erat procul, vnanimiter ac ſolenniter elegerunt, diuinis laudibus clero ac populo acclamāte. Sequentiq; Dominica, quæ Iubilate cantatur, pręcipiēte Petro Apoſtolo regē honorificari, eiq; obœdire, & Euangelio nunciante, quod gaudiū veſtrum nemo tollet à vobis, cum ingenti honore atq; tripudio, more etiā ſuo applaudentibus Gręcis, ad honorē Dei, ſanctæq; Romanę eccleſię, glorioſè ad Imperij faſtigia & coronā, Deo & hominibus amabiles Patres, memorati pontifices, cum vniuerſorū applauſu & pijs lachrymis, nos ſublimarūt. Aderant incolæ terrę ſanctę, eccleſiaſticę militareſq; perſonę, quorū prę omnibus inęſtimabilis erat &

*Initium victoriæ ab Epiſcopis.*

*Victorum comitia.*

*Balduinus Flandrius creatur Imp. Byzant.*

gratulabunda lætitia. Exhibitumq; Deo gratiusr officium asserebant, quàm si ciuitas sancta Christianis cultibus esset restituta: cùm ad confusionem perpetuam inimicorum crucis, S. Romanæ ecclesiæ, terræq; sanctæ, sese regia ciuitas deoueret, quę tam diu, tam potenter, aduersaria stetit, & contradixit vtriq;. Hæc est quę spurcissima gentilium * pro fraterna societate alternis ebibitis, cum infidelibus est ausa sæpius amicitias firmare ferales, & easdem mamma diu lactauit vberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naues & victualia ministrando: quæ econtrario fecerunt peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla quàm verba. Hæc est enim quæ in odium summi Pontificis Apostolorum principis nomen audire vix poterat, nec vnam eidem inter tot Græcas ecclesiam concedebat, qui omnium ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum: &, sicut eorū memoria recens recolit qui viderunt, legatum Apostolicum morte tam turpissima condemnauit, vt nec inter martyres legatur vlla consimilis, licet pœnas eorum incredibiles inuenerit ingeniosa crudelitas. Hęc est, quę Christum didicerat solis honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi, spreta scripturarum auctoritate, confinxerat, etiam lauacri salutaris plerunq; facere præsumebat iterando iacturā. Hæc est, quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur sed canum, quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabatur: nec vlla pœnitentiæ satisfactione satisfaciebant laici Monachi, penes quos, sacerdotibus summotis, tota ligandi atq; soluendi consistebat auctoritas. Hæc & huiuscemodi deliramenta, quæ epistolaris non valet explicare angustia, impletis iniquitatibus eorū, qui Christum Dominum ad nauseam prouocabant, diuina iustitia nostro ministerio digna vltione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus, nobis sese amantibus terram dedit omnium bonorum copijs affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis & pascuis spatiosam, ad manendum speciosam, & cui similem non continet orbis, aere temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris sustinebimus vexillum regale deponi, donec terra incolatu stabilita nostrorum, partes inuiserimus transmarinas, & Deo donante propositum peregrinationis expleamus. Speramus enim in Domino Iesu, qui quod cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum videlicet crucis depressionem perpetuā, perficiet, confirmabit solidabitq;. Vniuersitatem igitur vestram propensius oramus in Domino, vt gloriæ huius atq; victoriæ & spei, cuius ostium nobis magnum apertum est, dignemini esse participes: quia absq; vlla dubitatione vobis continget, si nobiles & ignobiles cuiuslibet conditionis aut sexus eisdem desiderijs accensi, ad veras immensasq; diuitias capessendas, temporales pariter & æternas vnanimiter acquiratis. Vniuersis enim, Deo donante, sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit: vniuersos volumus simul & possumus, secundum status suos, varietatemq; natalium, & augere diuitijs, & honoribus ampliare. Spiritualiter autem Deo amabiles ecclesiasticos viros, cuiusq; religionis aut ritus, in Domino postulamus, vt ad idem populum suum potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, cateruatimq; & ipsi venire festinent, in locis amœnissimis & vberrimis non iam in sanguine, sed cum multa libertate & pace, omniumq; bonorum affluentia, ecclesiam plantaturi, salua semper, vt decet, obœdientia Prælatorum.

*Infecta in Byzant.*

*Encomium soli Byzant.*

ARNOL-

# ARNOLDI, ABBATIS LVBECENSIS,

## CHRONIC. SLAVORVM LIBER VII.

### CAPVT I.



HÆc de statu Latinorum, & de subactione Græciæ, nobis comperta studijs legentium communicamus. Sed quia de fine huius historiæ certificare eos nondum possumus, nunc ad persequendam Regum narrationem conuertamur. Cùm igitur Otho rex Coloniam, vt dictum est, potenter obtinuisset, & amplior ei prosperitas arridere videretur, repentè inopinata aduersitas contra eum exorta est. Siquidem Comes de Gulike contra eum insidias moliri cœpit, ita vt Philippo regi litteras & nuncios occultè dirigeret, hoc demandans, si ipsum diuitijs & honoribus ampliare vellet, quòd non solùm omnes Principes, fautores Othonis regis, sed & ipsum Archiepisc. Coloniensem in suam partem adducere vellet. Qui gauisus est, hoc remandans, vt super hoc negotio ad locum determinatum sibi occurrere vellet. Quod & factũ est. Philippus igitur eum sibi sub iuramento arctius astringens, curiam quandam DC. marcas persoluentem ei in beneficio concessit, & ditatum auro & argento, vestibus preciosis & equis, ad sua remisit, omnesq; ei obsequentes bene induit. Wilhelmus igitur Comes ipsum Archiepiscopum & omnes nobiliores ita præstigijs suis circumuenit, vt omnes Othoni renunciauerint, & in partem Philippi se inclinarint. Quid plura? præualente conspiratione, Philippus Aquisgranum potenter adducitur, ab Adolfo Archiepisc. Rex consecratur, & in sedem imperialem collocatur. Displicuit tamen verbum istud Coloniensibus, qui fidem Othoni seruabant, arguentes super hoc Archiepiscopum, quòd eis inconsultis tantam nouitatem præsumsisset. Multisq; supplicationibus ei insistebant, vt factum suum retractare vellet, reuocantes ei ad memoriam factum Domini Papæ, qui ad ipsius petitionem regem Othonem confirmasset, & nulli nisi ipsi manũ imponere decreuisset. Cumq; Archiepiscopus nec animũ nec factũ mutare voluisset, directæ sunt literæ ad Dn. Papam tam Regis quàm Capituli maioris & ciuium ciuitatis, quod factũ fuerat ei flebiliter insinuantes. Vnde commotus per Apostolica scripta Archiepiscopo mandauit, vt infra sex septimanas Apostolicæ sedi se exhiberet, & de obiectis se expurgaret.

*Wilhelmus C. Iuliac. immutatur Othoni.*

*Trahit in partes Coloniensem.*

*Philippi Aquisgran. inauguratio.*

*Coloniensis accusatur Papa.*

### CAPVT II.

*Henrici Decani Magdeburg. excæcatio. Gerardus. Conradus Cancell.*

INterim non obliuiscendum, quòd bonæ memoriæ Henricus, Decanus Magdeburgensis maior, cùm pro negotijs suis Philippum regem adire voluisset, frater Burggrafij, Gerardus, suspectum eum habens, quòd contra Cancellarium Conradum, fratrem suum, aliqua moliri voluisset, insecutus est eum cum suis, & præsumtuosè manus in eum mittens, in terra supinatum exoculauit, virum bonum & pium, & ad decus suæ ecclesiæ valde nominatũ. Quæ præsumtio hoc modo mulctata est, vt mille marcas argenti iniuriato persolueret, & de feudo suo ad centum marcas argenti ecclesiæ maiori resignaret, & cum multis nobilibus hominium ei faceret, & cum quingentis militibus militarem ei pœnam persolueret, id est, vt singuli milites de loco perpetrati sceleris, vsq; ad fores maioris ecclesiæ, caniculum deferrent. Hoc quoq; addendum, quòd idem Cancellarius Conradus, resignato Episcopatu Hildensheimensi, cùm ad Episcopatum Herbipolensem sublimatus fuisset, quia erat vir zelator iustitiæ, cùm pro ecclesia sua conflictum cum ministerialibus haberet, qui quadam præsumtione res ecclesiæ inuaserant, con-

*Excæcationis mulcta.*

*Pœna militaris.*

*Cõradus Cãcellar. fit ex Hildesheim. Episcopus Wirceburg.*

ditione pacis interposita, vt ipsum negotium, mediante iustitia, terminaretur, ab

*Eius cædes.* ipsis contradictoribus suis in ipsa ciuitate Herbipolensi occisus est. Vnde à fidelibus in ipso loco occisionis suæ crux operosa erecta est, & in ea tale epita-

*Epitaphiū.* phium exaratum:

*Hîc procumbo solo, sceleri dum parcere nolo,*
*Vulnera facta dolo dent habitare polo.*

*Continētia.* Hæc est vox occisi, cum sanguine Abel iusti ad Dominum clamantis. Dicunt quidam, etiam eum occisum in cilicio inuentum, & eum viuentem curam pauperum habuisse, & in eorum eleemosyna fertonem auri omni septimana expendisse. Nouit Dominus qui sint eius. Quis virum tam delicatum, sericis ornatum, cilicio crederet indutum? Sed nonnunquam sub forma seculari latet animus spiritualis, & econuerso sub forma spirituali occultatur, heu, animus carnalis.

## CAPVT III.

*Colon. non sistens se cognitioni absentus declaratur, & exauctoratur.* ARchiepiscopus tamen, neglecto mandato Apostolici, eius præsentiæ se non exhibuit. Vnde dati sunt iudices, Henricus, Canonicus ad S. Gereonem, Anselmus & Christianus, parochiani. Qui eum legitimè citatum monuerunt, vt errori suo renunciaret; quod si nollet, eum excommunicatum deijcerent, & alium idoneum ecclesiæ suæ præficerent. Quod & factum est. Cùm enim acquiescere

*Bruno eius successor.* nollet salutaribus monitis, sub interdicto positus est, & Bruno, Bonnensis Præpositus, ei est substitutus. Ad quod tamen negotium solennius exequendum à Domino Papa maiores personæ sunt delegatæ, vt subiecta declarat epistola.

*Innocentii Papæ epistola.*

*Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepisc. Moguntino & Episcopo Cameracensi, & dilecto filio Scholastico S. Gereonis, Sal. & Apostolicam benedictionem.*

*Crimina Colon. obiecta.* VT Adolfus, Coloniensis Archiepisc. incidat in foueam, quam parauit, & intret impius gladius in cor eius, pertinax ipsius inobœdientia, periurium iteratum, & proditio vulgata deposcunt. Ipse enim nec Deum timens, nec reueritus hominem, nec Coloniensis ecclesiæ dignitatem, Romanæ contemtum, & suæ sedis dispendium, à se iugum obœdientiæ excussit, iuramentum semel atque iterum præstitum violauit, & eum prodidit, quem crearat. Sanè cùm olim carissi-

*Leuitas.* mum in Christo filium nostrum, illustrem Othonem, in Romanorum Imperatorem electum, coronasset in regem, & fidelitatis ei præstitisset iuramentum, apud nos multipliciter institit, vt eidem regi fauorem Apostolicum impendentes, ratum, quod ipse fecerat, haberemus. Cumque multiplicatis intercessionibus obtinuisset à nobis, vt in fœnore ipsius Regis deseruiremus honori ecclesiæ Coloniensis, cœpit in eiusdem deuotione tepescere, ac manum suam ab aratro retrahens, occasiones friuolas inuenire, ne quod plantauerat, irrigaret, quatenus citò aresceret planta eius, cùm solicitudinem suam manus subtraheret plantatoris. Etsi neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. Inualuit nihilominus per gratiam Dei nouus palmes, & cùm extenderet iam ramos suos, & pullularet, vidit plantator inuidus & inuidit, & non potuit diutius occultare virus suum: quia nequam mentem operatio reuelauit, & arbor agnita est in fructu. Commonitus igitur & conuentus, iterum præstitit iuramentum, quòd eundem Regem nunquam desereret, nec in partem alteram declinaret. Sed iuramentum stabilire non potuit mentem illam, quæ innatæ leuitatis vitio fluctuabat. Nos autem licet non de facili crederemus, quòd vir tanta præditus dignitate, sic esset aduersatiuus superiori, & quod fecerat, intenderet an-

ret annullare, ne quid tamen solicitudini nostræ deesset, ad constantiam eum excitare volentes, & monitis & minis institimus apud eum, & sub quanta potuimus ei districtione præcepimus, vt eidem Regi assisteret, & ad promotionem eius efficaciter aspiraret, cauens solicitè, ne maledictionem pro benedictione reciperet, si illusisse nobis tam turpiter probaretur. *Mina Papales.* Ipse verò non attendens, quòd sicut obœdientia victimis antefertur, sic inobœdientia idololatria comprobatur, dirumpens in vitium inobœdientiæ incidit, & contra præceptum nostrum & proprium iuramentum, corruptus pecunia, sicut fertur, dominum suum temerarius prodidit, & conuersus in arcum peruersum, nobili viro Philippo, Duci Sueuiæ, contra eum impudenter adhæsit. *Philippus.* Et ne quid præsumtioni eius deesset, ne culpa eius aliquo velamine posset palliari, nuper Aquisgrani, vbi præfatum Regem solenniter coronauerat, memoratum Ducem publicè coronauit. Quare excommunicationis sententiam incurrit, quam in ecclesia B. Petri Coloniæ coram multitudine copiosa, ipso præsente ac gerente stolam sacerdotalem in collo, & candelam accensam in manu tenente, frater noster, Brundusinus Archiepiscopus, tunc Episcopus Prænestinus, Apostolicæ sedis legatus, promulgauit in eos, qui à præfato Rege recederent, & parti alteri adhærerent. *Brundusinus Papa administer.* Vt igitur Colonienses, qui noluerunt in malo caput languidum imitari, sed in eiusdem Regis fidelitate perstiterunt firmius, & persistunt, expurgato fermento veteri, quod voluit totam massam corrumpere, sint noua consperslo, sicut sunt azymi, nihil corruptionis habentes, cùm iuxta canonicas sanctiones accusatione non egeat manifesta, vnde nos eius exemplo, qui absens corpore, præsens autem spiritu Corinthium damnarat absentem, potuissemus in eum sententiam promulgare, *Simile dissimile.* ad maiorem tamen cautelam, consilio fratrum nostrorum, tam Episcoporum quàm Prælatorum aliorum plurimorum, districtè præcipimus, vt cùm apud vos sit, ita luce clarius manifesta dictum Archiepiscopum pulsatis campanis, & accensis candelis, singulis Dominicis diebus & festiuis excommunicatum publicè nuncietis, *Ritus excommunicationis.* & faciatis per omnes ecclesias Colonienses & vicinas diœceses sub solennitate simili nunciari, suffraganeos & omnes vasallos Coloniensis ecclesiæ tam clericos quàm laicos absolutos ab eius obœdientia nunciantes. Quia verò si tantum scelus remaneret inultum, quiuis de cætero posset impunè inobœdientiæ vitium, periurij crimen & proditionis facinus perpetrare, *Cautio.* sub eadem vobis districtione præcipimus, quatenus cùm hæc in illo possint apud vos tergiuersatione celari, vos eum, auctoritate vestra suffulti, à pontificali officio sublatum cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo deponatis: Nisi forsan intra mensem post factam denunciationem à vobis ad sedem Apostolicam accesserit iudicandus: his, ad quos ius electionis nouistis pertinere, Apostolica auctoritate iniungentes, vt personam idoneam, quæ tanto congruat honori, sibi eligant in pastorem. Quòd si electionem contigerit aliqua fortè, quod absit, occasione differri, ne bona ecclesiæ Coloniensis possint interim deperire, alicui personæ honestæ & prouidæ ac potenti committatis administrationem ipsius. Quia verò eiusdem ecclesiæ tanto amplius zelamus honorem, quanto clerum & populum eius aliqua scissura corrumpat, si forsan hi, ad quos spectat electio, non potuerint conuenire, præcipiatis eisdem, vt in aliquos viros idoneos conferant vota sua, ad sedem Apostolicam accedentes cum consilio nostro, qui ad eorum concordiam, faciente Domino, dabimus operam efficacem, vt personam idoneam sibi eligant in Prælatum.

Taliter, vt meruit, Adolfus de dignitate sua est deiectus, & Bruno memoratus in locum ipsius est sublimatus. *Brunonis inauguratio.* Qui à Domino Apostolico insignia Archiepiscopatus suscipiens, & cum Othone, quæ pacis sunt, sentiens, in ciuitate quidem subditis suis præerat, Adolfus verò, vt pote vir parentatus, quæ foris erant, violenter infestare non cessabat. *Adolfus exantistes.*

## CAPVT IIII.

*Papæ in propugnãdo Othone constantia.*

IN omnibus his Apostolicus, vt columna immobilis, à suo proposito non cessabat & hunc inobœdientem ecclesiastica censura infirmare, & Othonis partes constanter confirmare. Nec defuerunt, qui suggestionibus siue muneribus seu promissionibus tentauerunt animum ipsius immutare. Ille verò nec prece, nec precio, nec etiam minis aliquo modo, quę fecerat, volebat retractare, sed suum electum semper in omnibus studebat & confortare & confirmare. Hæc luce clarius nobis comperta præsentis scripti testimonio possumus comprobare.

*Ad eundem epistola.*

*Innocentius Episcopus, seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri regi Othoni, in Romanorum Imperatorem electo, Sal. & Apostolicam benedictionem.*

*Vbi rerũ testimonia assunt, non opus est verbis.*

*Richardus rex Angl.*

*παραίνεσις Papalis.*

SYnceræ intentionis affectum, quem circa promotionem regiam habuimus hactenus, & habemus, explicare nos litteris non oportet, cùm plenius hoc exponat effectus, & fidelius interpretentur mentem nostram opera quàm scripturæ. Sanè præter opinionem plurium & multorum consilia suscepimus ab initio causam tuam, de cuius promotione omnes penè penitus desperabant, & studuimus efficaciter promouere. Nec te in articulo illo reliquimus, quo per obitum inclytæ recordationis Richardi, regis Anglorum, auunculi tui, videbaris ab omnibus derelictus. Licet enim non defuerint, qui multipliciter nos tentarent, & muneribus & promissis nos vellent à fauoris tui proposito reuocare, nec prece tamen, nec precio, nec minis, nec monitis potuerunt aliquatenus flectere mentem nostram, quin de die in diem amplius in tua dilectione ferueret, & ad exaltationem tuam propensius aspiraret. Quamuis autem neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, gaudemus tamen in eo, qui dat omnibus affluenter: quia ei, quod plantauimus & rigauimus, incrementum benignus indulsit, ita vt sicut granum sinapis, quod mulier in horto suo legitur seminasse, planta nostra in arborem magnam iam creuit, & in cuius ramis volucres cœli, Deo dante, in breui sedebunt: & sub cuius vmbra bestiæ terræ requiescent. Cùm igitur Dominus dirigat gressus tuos, & firmet de die in diem amplius regnum tuum, monemus serenitatem regiam, & exhortamur in Domino: quatenus cùm tempus acceperis iam opportunum, opportunè & importunè, vigilanter & incessanter insistas, vt bonum principium finis optimus subsequatur, & optatum commune desiderium nostrum sortiatur effectum, foueas in dilectione ac deuotione Principes, qui te fouent, vt alios melius ad tuæ serenitatis fauorem inducas, & dum tibi Principum fauor arridet, ad tuæ promotionis profectum intendas, nec negligas in aliquo sanctum tuum, sed omni diligentia studeas promouere. Sanè speramus in eo, qui est in se sperantium fortitudo. Quòd si denuò profeceris, sicut hoc anno diceris profecisse, non erit, qui tuo profectui se opponat, vel diuinæ dispositioni resistat. Datæ Anagniæ XVII. Cal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto.

Hæc de constantia Dn. Apostolici circa regem Othonem dicta sufficiant.

## CAPVT V.

*Philippi largitiones. Dux Limburg.*

PHilippus autem Coloniam infestare non cessabat, qui etiam muneribus datis, ita omnes sibi, vt dictum, astrinxerat, vt ipsum Ducem de Limburg in suam quoque partem inclinaret. Ipse enim post defectum Adolphi Archiepiscopi curam ciuitatis acceperat, ita vt omnes & omnia ad ipsius nutum regerentur.

Quodam igitur tempore Philippo Coloniam impetente, iste ciues insidiosè eduxerat, & eos ab hostium impetu securos fecerat: cùm repentè irruentibus hostibus super quietos, ad quadringentos viros strage facta, cæteri omnes, vix paucis euadentibus, in captiuitatem ducti sunt. Rex tamen euadens, cum Episcopo Brunone, & filio Ducis, cui nomen Walrauen, venit ad castrum Wassenburg, sperans se illic refugium habiturum. Sentiens tamen traditionem, per occultum quendam adhibitum, cum eodem Walrauen per noctem euasit. Hostes verò subsecuti, sperantes se Regem conclusisse, cùm ipsum frustrati non inuenissent, Episcopum latitantem comprehendunt, ac Philippo regi tradunt. Qui sperans se multum hac captiuitate profecisse, eum in vincula coniecit, & aliquandiu in captiuitate tenuit. Cumque ignominiosè satis ad multa loca deduceretur, Herbipolin tandem deductus est, ibique diutinam, remissius tamen, sustinuit captiuitatem.

*Ex eiusdem defectione clades.*

*Walrauen Limburg. F.*

*Othonis fuga.*

*Brunonis Colon. captiuitas.*

## CAPVT VI.

POst hæc ad bonum compositionis Dominus Apostolicus duos Cardinales delegauit (nomen vnius Hugo, Episcopus, & alterius Leo) vt Philippum ab excommunicatione solueret, si fortè per dispensationem bonorum & religiosorum Patrum, siue consilio principum, vnitas pacis inter eos reformari posset, ea tamen conditione, vt Bruno captiuus liberrimus ab omni captiuitate laxaretur. Venientes igitur legati Domini Apostolici ad Philippum, ipsi legationis ordinem, qua fungebantur, exposuerunt. Cui in his, quæ audierat, bene placuit, sed Archiepiscopum absoluendum omnino negauit. Dicebat enim in absolutione Archiepiscopi nimiam se incursurum offensam, Adolfi videlicet, & omnium illorum, quorum gratia ad fastigium Imperij per secundam consecrationem erat sublimatus. Cardinales igitur cæcitate percussi, immemores mandatorum Domini Papæ, propter munera Philippi, qui eos argento & auro ditabat, & bene indutos lautissimè procurabat, Philippum quidem absoluerunt, sed Archiepiscopum vinctum reliquerunt. Dixerunt ergo Othoni regi: Nos æmulum tuum absoluimus, vt cum eo, sicut mandauit Apostolicus, si fieri potest, ad pacis concordiam tendas. Quibus Rex: Si fecistis, inquit, mandatum Domini Papæ, istas perspiciatis litteras. Miserat enim Apostolicus Othoni regi litteras clanculo de absolutione Philippi & liberatione Brunonis Archiepiscopi, eundem tenorem continentes. Cumque solutis litteris tenorem eorum perspexissent, exterriti sunt valde. Quibus Otho minas terribiles intulit, æquius tamen pro reuerentia summi pastoris abstinuit. Illi autem ad Philippum reuersi, se errasse confessi sunt, dicentes sine liberatione Brunonis Archiepiscopi eius absolutionem stare non posse. Qui necessitate compulsus, Brunonem bene tractatum à captiuitate soluit, ipse verò ad colloquium regis Othonis se præparauit. Cumq; Philippus consisteret Quedelingenburg, & Otho in Harlingenburg, ad colloquium Reges cum Cardinalibus & admodum paucis conuenerunt. Sed in nulla forma pacis ab inuicem discesserunt.

*Legatio Papæ de concordia sanciendа.*

*Philippus de ris soluitur.*

*Astus Papalis.*

*Legati Nepam imitati.*

*Bruno Colon. dimittitur è vinculis.*

*Irrita de pace actio.*

## CAPVT VII.

PHilippus tamen placere volens Adolfo Archiepiscopo & cæteris amicis, necdum se à captiuitate Brunonis abstinuit, sed eum comprehensum misit ad castrum firmissimum Rodenburg, ibique eum in captiuitate tenuit. Quod cùm significatum fuisset Domino Papæ, denuò ei litteras misit, districtè præcipiens, vt Archiepiscopum Brunonem de captiuitate solutum cum honore ipsum ad eum transmitteret: quod si non faceret, sciret se excommunicationi verè transgressorem subiacere. Philippus igitur Rex timens sententiam excommunicatio-

*Brunonis Colon. iterata captiuitas.*

*Dimissio ex interminatione Papæ.*

nis, Archiepiſcopum cum honore ad Dominum Papam tranſmiſit: Qui tam diu ibi ſtetit, quouſque omnem dignitatem ſuam, Adolfo humiliato, cum plenitudine poteſtatis perciperet. Denique de Adolfo diſpenſatum fuerat, vt CC. marcas de telonio Ducenſi perciperet, & totidem de Colonienſi, & Otho ſtipendia in ipſa ciuitate, & his contentus, Brunonem Archiepiſcopum non inquietaret.

*Compoſitio cum Adolfo.*

## CAPVT VIII.

*Liuones ad Christianiſmum perducti.*

OPportunum arbitror, memoriæ fidelium commendare, nec ſilentio præterire, deuotionem & laborem multorum religioſorum, quo apud gentiles, qui Liuones dicuntur, deſudatum eſt, qui ibi Domini ſemina ſpargentes, ipſum populum ab idololatria ceſſare laborauerunt. Vidimus ſanè propter eorum inſtantiam multos cooperatores exiſtere, alios peregrinando, alios ſua conferendo, vt ſeges Chriſti fructuoſa conſurgeret, & multa meſſe Diaboli zizania ſuffocarentur. Fuit autem primus huius inſtitutionis auctor Dominus Meinardus, Sigebergenſis Canonicus, quem eloquium Domini inflammauit, vt eidem populo infideli pacem Domini nunciaret, & ipſum paulatim calore fidei ſcintillaret. Cumque vir bonus per aliquot annos cum negotiatoribus illuc iret, & ſuis negotijs deuotus inſiſteret, ſenſit manum Domini non inualidam, & auditorum ſuorum deuotionem plurimam. Accedens igitur ad Bremenſem eccleſiam, quam tunc Dominus Hartuicus Archiepiſcopus regebat, ſuam intentionem, ſuorumque auditorum deuotionem, ipſi Archiepiſcopo ſimiliter & capitulo maiori expoſuit, vt non ſine auctoritate vel conſilio cœpto labori inſiſteret. Qui ſperantes ipſum plantando & rigando incrementum Domini percipere, ipſum ad prædicandum gentibus miſerunt, ſimul etiam Pontificali honore ſublimantes maiore auctoritate roborauerunt. Ipſe ergo humilis & deuotus ſuis auditoribus verbi ſpargens ſemina, arguendo, obſecrando, magis tamen obſecrando duritiam gentilium frangens, ipſorum corda non minus muneribus quàm exhortationibus paulatim ad quod volebat, Deo annuente, perducebat.

*Meinardus Sigeberg. Euangeliſta Liuon.*

*Ornatur Epiſcopi dignitate ab Hartuuico Brem.*

## CAPVT IX.

*Fundatio Epiſcopat. Rigenſis.*

ANno igitur verbi incarnati M. C. LXXXVI. fundata eſt ſedes epiſcopalis in Liuonia à venerabili viro Meinardo, intitulata patrocinio beatæ Dei genitricis Mariæ, in loco qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ multis bonis exuberat, nunquam ibi defuerunt Chriſti cultores, & nouellæ eccleſiæ plantatores. Eſt enim eadem terra fertilis agris, abundans paſcuis, irrigua fluuijs, ſatis etiam piſcoſa & arboribus nemoroſa. Dominus quoque Bertoldus Abbas in Lucca, relicta prælatione & ipſe verbi ſemina gentilibus ſpargere ſtudens, huic labori non impiger ſe ingerebat. Vnde gratia Dei cooperante, non parum gentilibus quibuſdam acceptus erat. Conſiderabant ſanè in viro gratiam conuerſationis, temperantiam ſobrietatis, modeſtiam patientiæ, virtutemque abſtinentiæ, inſtantiam prædicationis, iucunditatem affabilitatis. Vnde poſt deceſſum Domini Meinardi, qui, vt præmiſſum eſt, bonum certamen certauit, curſumque felicem conſummauit, quia omnibus tam clero quàm populo conuerſatio Domini Bertoldi innotuerat, ipſum vnamini conſenſu locum defuncti ſortiri exoptabant. Qui veniens Bremam, Epiſcopus conſecratur, cui etiam ad ſupplementum laboris reditus annuales in eadem eccleſia ad viginti marcas deputantur. Cuius prædicationis inſtantia nonnulli ſublimes & nobiles ſignaculo ſanctæ crucis inſigniti, ad deprimendas gentilium vires, vel potius ad cultum Chriſti perdomandas, iter peregrinationis arripiunt. Nec defuerunt ſacerdotes & litterati, ſuis exhortationibus eos confortantes, & ad terram promiſſionis felici perſeuerantia eos pertingere promittentes. Et quia profectio ſiue peregrinatio Hieroſolymita-

*Liuoniæ encomium.*

*Bertoldus, Abbas Lucc.*

*Surrogatur Meinardo.*

*Fit auctor expeditionis ſacræ.*

ſolymitana tunc vacare videbatur, ad ſupplementum huius laboris Dominus Cœleſtinus Papa indulſerat, vt quicunque peregrinationi memoratæ ſe vouiſſent, huic itineri, ſi tamen ipſis complacuiſſet, ſe ſociarent, nec minorem à Deo peccatorum remiſſionem perciperent. Fit igitur de tota Saxonia, Weſtfalia vel Friſia, Prælatorum, Clericorum, militum, negotiatorum conuentus plurimus, qui in Lubeca comparatis nauibus, armis & victualibus, Liuoniam vſque peruenerunt. Cumque Præſul beatus exercitum produceret contra infideles, Chriſti cultoribus inſidiantes, in manus impiorum cum duobus tantùm deuoluitur, occiditur, &, vt ſperamus, gloria & honore coronatur. Erat enim flagrans mortis deſiderio.

*Intercipitur & necatur à barbaris.*

*Qui ſicut primæ lucratur brauia ſortis,*
*Sic ipſi primæ fuerat data copia mortis.*

Denique die ſecunda cùm requirerentur corpora occiſorum, inuentum eſt corpus Epiſcopi intactum & incorruptum, cæteris corporibus, quia æſtus erat, muſcis & vermibus repletis. Quod cum planctu nimio & exequijs ſolennibus in ciuitate Riga tumulatum eſt. Poſt hæc Dominus Albertus, Bremenſis Canonicus, in ſedem defuncti ſublimatus eſt. Qui cùm adhuc iuuenili floreret ætate, magna morum pollebat maturitate. Et quia vir parentatus erat, ornatus fratribus & amicis, in vinea Domini cooperatores habebat plurimos. Nec facilè exprimere potero, quantam inuenerit gratiam apud Reges & magnates, qui ei cooperabantur pecunijs, armis, nauibus, victualibus, inter quos Dominus Andreas, Archiepiſcopus Lundenſis, Bernhardus Pachelburgenſis, Iſo quoque Verdenſis manus ſuas Domino conſecrauerunt. Obtinuerat etiam à ſede Apoſtolica, vt ſi quos inueniſſet religioſos, & verbi Dei erogatores, ſiue de ordine Monachorum, ſiue regularium Canonicorum vel aliorum religioſorum, ipſos ſuo labori cooperatores efficeret. Vnde ipſum ſequebatur multitudo maxima, & militum manus copioſa. Cumque frequenter æſtiuo tempore exercitum duceret contra crucis Chriſti inimicos, non ſolùm Liuones, verùm etiam alias barbaras nationes ita ſibi ſubiecerat, vt ab eis obſides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent. Creuit igitur eccleſia Dei per venerabilem virum Albertum, bene diſpoſita Præpoſitis, parochijs, cœnobijs. Multi etiam continentias vouentes, & ſoli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Chriſti militiæ ſe dediderunt, & profeſſionis ſuæ ſignum in forma gladij, quo pro Deo certabant, in ſuis veſtibus præferebant. Qui confortati & animo & numero, inimicis Dei terrore non paruo formidabiles effecti ſunt. Nec defuit diuina miſeratio fidem ſuorum inconcuſſam roborando, & his indicijs veritatem demonſtrando. Nam cùm quidam neophytorum ab inimicis ſuæ gentis comprehenſi fuiſſent, muneribus & blandimentis ad priſtinum errorem eos immutare ſatagebant. Quibus cùm nulla ratione conſentirent, ſed ſuſceptæ fidei ſacramenta inuiolabiliter conſtantiſſimè obſeruare decreuiſſent, incredibili tormentorum genere eos trucidabant, qui ſua confeſſione multos confortabant: quia per eos plurimi Deum glorificabant. Verùm inter hæc proſpera non defuerunt aduerſa. Siquidem Rex Ruſſiæ de Ploſceke de ipſis Liuonibus quandoque tributum colligere conſueuerat: quod ei Epiſcopus negabat. Vnde ſæpius graues inſultus ipſi terræ & ciuitati ſæpe dictæ faciebat. Sed Deus adiutor in opportunitatibus ſuos ſemper protegebat. Orta tamen fuit inter Dominum Epiſcopum & fratres ſuprà dictos, qui Dei milites dicuntur, quædam altercatio. Dicebant ſanè fratres, ipſorum iuris eſſe tertiam partem totius gentilitatis, quam Dominus Epiſcopus vel verbo prædicationis vel violentia expeditionis obtinere potuiſſet. Quod cùm Epiſcopus omnino eis negaret, facta eſt inter eos grauis diſcordia, ita vt multum contra ipſum in curia Romana laborarent, nec minus Dominus Epiſcopus ſuam ſententiam confirmaret.

*Albertus Bertoldi ſucceſſor.*

*Eiuſdē adiutores. Diploma Papale.*

*Expeditiones bellicæ & victoria.*

*Equites Enſiferi.*

*Neophytorū martyriū.*

*Bellum Regis Ruſſ.*

*Enſiferorū & Epiſc. contentio.*

## CAPVT X.

*Digressio ad res AEgyptias.*

QVia aut prodesse volunt, aut delectare, Poetæ, nos paululum dimissa historia Regum, ad alia nobis comperta, & vtilitati legentium profutura, videlicet ad Ægyptum & partes Libyæ transeamus. Anno Dominicæ incarnationis M. C. LXXV. Dominus Fridericus, Imperator Romanorum & Augustus, misit

*Gerardus Vicedomin. Argent. legatus Cæs. ad Soldanum.*

Dominum Gerardum, Argentinensem Vicedominum, in Ægyptum ad salutandum regem Babyloniæ. Nunc igitur ipsius personam loquentem attendatis. Quæcunque in commissa legatione vidi, vel veraciter percepi, quæ habitabili orbi nostro rara vel extranea videbantur, per mare & per terram, scripto commendaui.

*Eiusdē itinerarium. Corsica. Sardinia. Corsorū & Sardorum mores.*

Apud Genuam mare ascendi VIII. Idus Septembris. Inde verò nauigans, inter duas insulas, scilicet Corsicam & Sardiniam, transij. Harum insularum vna distat ab altera per quatuor milliaria, vtraque verò satis pulcra per planum & montana disposita, superabundans omni bono terræ. In Corsica verò sunt homines vtriusque sexus compositi, curiales, habiles, hospitales, viri militares & bellicosi. In Sardinia autem econtrario sunt homines incompositi, rusticani, syluani, tenaces, viri effœminati & deformes. In Sardinia lupi non habitant.

*Vtriusq; insulæ situs.*

Mare Sardiniæ inter cætera maria ferocissimum est, & magis periculosum. Tenet etiam Sardinia in longum & in latum ex omni latere sex diætas, & est terra infirmissima. Corsica tenet in longum & in latum tres diætas, & terra satis sana, nisi quòd per eam defluit amnis infirmissimus, quem si anima viua gustauerit, morietur, & aues, si propè transuolant eam, morientur.

*Sicilia, eiusque encomium.*

Per has duas insulas transiens, in Siciliam veni. Hæc insula est terra suauissima, omni terrena fœcunditate opulenta, plana, montanis vinis, pratis, pascuis, fontibus, riuis, fluminibus iucundissimis, diuersis generibus fructuum & herbarum perornata, excipiens transitum maris in modum crucis, mercatoribus aptissima, sed paucis inhabitatur hominibus. Tenet enim in longitudine & latitudine ex omni latere sex diætas, & plures continet ciuitates.

*Malta vel Melite.*

Iuxta verò hanc insulam ex vno latere in opposito est quædam insula, nomine Malta, distans à Sicilia per viginti milliaria, & Sarracenis inhabitata, & est sub Domino Siciliæ.

*Panteleon insula libera.*

Veruntamen non longè à Malta est alia insula Panteleon, quam Sarraceni inhabitant, nec vlli Domino subijciuntur. Sunt enim homines inculti & syluani, habitantes in cauernis terræ: quos si fortè magnus exercitus superuenerit, cum omni supellectile terræ cauernas intrant: vt, qui pugnando defendere se non valent, saltem fugiendo euadant. Hoc genus hominum magis viuit de pecuaria, quàm de fructibus.

*Arabes νομάδες καὶ ἀνέστιοι.*

Inde procedens per septem dies, veni ad terram barbaricam, ab Arabibus inhabitatam, quod genus hominum sine domibus degit sub dio, vbicunque terrarum habitet. Dicunt enim quòd pro tam breui spatio vitæ suæ domos ædificare, vel in eis habitare, intuitu diuinæ remunerationis, omittant, terram parum colunt, sed de sola pecuaria viuunt. Viri & mulieres ferè nudi incedunt, nisi quòd vili panno sola pudibunda cooperiunt. Gens ea miserrima est, & omni bono priuata, inermis & nuda, nigra, deformis & indebilis. In mari quoque quadraginta septem diebus nauigando, diuersa genera piscium vidi.

*Cetus. Pisces volatici. Pharus.*

Vidi enim genere piscem magnum, vt conijcere potui, habentem in longitudine CCCXL. vlnas. Vidi & pisces super mare volare ad iactum vnius arcus vel balistæ. Tandem portum Alexandriæ intraui, in quo portu turris altissima de lapidibus erecta est, vt nauigantibus portum indicet. Quia Ægyptus terra plana est, & tota nocte ignis in ea ardet, vt appropinquantibus, ne

*Alexādria.*

pereant, portum significet. Alexandria est ciuitas egregia, ædificijs, pomœrijs & immensa multitudine perornata, & Sarracenis, Iudæis & Christianis inhabitata, sub dominio regis Babyloniæ constituta. Huius ciuitatis prima constitutio, sicut in eius apparet vestigijs, maxima fuit. Extendebatur enim in longum quatuor milliaria, in latum verò per vnum milliare. Hanc brachium,

ex Eu-

ex Euphrate deductum, in vno tangebat latere, & mare magnum firmabat in alio latere. Nunc eadem ciuitas ad mare contracta extat per magnum campum à prædicto brachio Nili. Sciendum est autem, quòd Euphrates & Nilus vna & eadem aqua sit. *Nugatur.* In Alexandria omne genus hominum legem suam liberè colit. *Libertas religionis Alexandr.* Hæc ciuitas valde sana est, plurimos etiam centenarios senes in ea reperi. Ciuitas hæc vili muro absque fossatis munitur. Sciendum est, quòd prædictus portus soluit annuatim de pedagio quinquaginta millia aureorum, qui faciunt plusquàm octo millia marcarum puri argenti. *Portorium Phari.* Hanc ciuitatem diuersum genus hominum frequentat cum suis mercationibus. Aquam dulcem hæc ciuitas non habet, nisi quòd per aquæductum suprà dicti Nili vno tempore anni in cisternis suis colligit. In eadem vrbe sunt plures ecclesiæ Christianorum. Inter quas est ecclesia B. Marci Euangelistæ, extra muros nouæ vrbis supra mare sita. In qua vidi quatuordecim monumenta, ossibus & sanguine martyrum plena: sed nomina eorum sunt ignota. Vidi etiam capellam, in qua idem Euangelista euangelium conscripsit, & vbi martyrium accepit & locum sepulturæ suæ: vnde à Venetis furatus fuit. *Marcus Euan.* In illa ecclesia Patriarcha eligitur, consecratur, & mortuus sepelitur. Habet enim illa Christianitas Patriarcham, obœdientem Græcorum ecclesiæ. *Patriarcha.* Erat in eadem ciuitate aliquando palatium Pharaonis maximum, immensis columnis marmoreis eleuatum, cuius nunc vestigia apparent. *Regiam Ptolemaeorum dicit.* Vidi iuxta Alexandriam, quòd Nilus per paruum spatium terræ à proprio alueo educebatur in campum, & ibi sine omni labore vel ingenio humano stans per aliquod tempus, in sal purissimum & optimum conuertebatur. *Sal fluuialis.* Solet etiam Nilus annuatim excrescere, & totam Ægyptum irrigare & fœcundare: quia rara est ibi pluuia. *Inundationes Nili.* Incipit autem excrescere in medio Iunio vsque ad festum sanctæ crucis, & exinde decrescere vsque ad Epiphaniam Domini. Nota, quàm citò aqua in decrescendo transit, vbicunque terra apparet, ibi statim rusticus aratrum figit & semen mittit. In Martio frumentum metunt. Terra illa non parit aliud frumentum nisi triticum & hordeum pulcherrimum. *Ægypti frumenta.* Omne genus leguminis à festo S. Martini vsque ad Martium recens colligitur, similiter & fructus hortorum & herbarum. Oues & capræ terræ illius bis pariunt in anno, & ad minimum geminum fœtum proferunt. *Fœcunditas pecudum.* Audiui etiam, quòd asinæ ibi ab equis conciperent. Per totam Ægyptum Christiani habitant in ciuitatibus & in villis, regi Babyloniæ soluentes certum tributum. *Christiani.* Et ferè quælibet villa habet ecclesiam Christianorum. Ipsum autem genus hominum miserrimum est, & miserè viuit. Nota, ab Alexandria vsque ad nouam Babyloniam trecentas esse diætas per terram, per aquam septem diætas in ascendendo. Sciendum est etiam, tres esse Babylonias, vnam scilicet super fluuium Thobar, vbi regnabat Nabuchodonosor, in qua fuit turris Babel. *Tres Babylones.* Et hæc deserta dicitur & antiqua, distans à noua Babylonia vltra triginta diætas. Fuit & alia Babylonia in Ægypto supra Nilum sita in pede montis iuxta desertum, in qua regnabat Pharao, distans à noua Babylonia ista per sex milliaria. Et hæc quoque destructa est. Noua verò Babylonia supra Nilum sita est in plano, & fuit aliquando maxima ciuitas, & adhuc satis egregia ac populosa, omni bono terræ fœcunda, à solis mercatoribus inhabitata, ad quam naues oneratæ speciebus de India spissim veniunt per Nilum, & inde in Alexandriam ducuntur. Granum & legumen per vicos & plateas vbique seruatur. A noua Babylonia vsque ad milliare vnum in deserto sunt duo montes lapidibus marmoreis maximis & alijs quadratis artificio erecti, opus admirabile, distantes ab inuicem per tractum vnius arcus quadrati, eiusdem quantitatis, scilicet latitudinis & altitudinis. *Pyramides.* Extenditur enim vterque in latitudinem ad tractum fortissimi arcus, in altum ad duos tractus. Item iuxta nouam Babyloniam ad tertiam partem milliaris est alia ciuitas egregia, Chayr nuncupata, in qua nunc est sedes regalis, palatia regis & principũ, & militum cohabitatio. *Cayrum.* Hæc ciuitas militaris est prope Nilum sita, cuius ædificia nõ minus admiranda quàm sumtuosa, muro clausa, pulcherrimis pomœrijs circumsepta. In qua habi-

tant Sarraceni, Iudæi, Christiani. Quælibet natio suam legem colit. In ea sunt plures ecclesiæ Christianorum. Ab hac ciuitate ad milliare vnum est hortus

*Hortus balsami. Vide Pliniũ lib. 12. c. 25.*

balsami vt lignum * teremnis, folium verò tanquam trifolium paruum. Tempore autem maturitatis circa finem Maij, finditur cortex ligni, secundum quod notum est operarijs. Vineæ illius guttatim gummi destillant, quod in vasis vitreis colligitur, & per sex menses in stercore columbæ reconditur, & decoquitur & defecatur, postea liquor à fece separatur. Hic hortus habet fontem vnde irrigatur: quia ab alia aqua non potest irrigari. Nota, quòd nusquam terrarum nisi in hoc loco balsamum crescit.

*Mariæ Virginis in AEgyptũ fuga.*

Ad hunc fontem B. Virgo cum saluatore nostro Herodis persecutionem effugerat, & ibi per aliquot tempora latitabat, lauans ad fontem illum pannos pueri, vt natura hominis requirebat. Quapropter vsque in hodiernum diem fons ille à Sarracenis in veneratione habetur, deferentibus illuc cereos & incensum, quando se ibi lauant. In Epiphania verò maxima multitudo illuc confugit de omni confinio, & lauat se cum aqua prædicta.

*Sarracenorum superstitiosa persuasio.*

Credunt enim Sarraceni, beatam virginem per angelum concepisse Iesum Christum, peperisse, & post partum virginem permansisse. Et hunc filium virginis sanctum prophetam fuisse dicunt, & à Deo mirabiliter cum anima & corpore in cœlum assumtum, celebrantes & eius natiuitatem. Sed negant eum esse Filium Dei, & baptizatum, crucifixum, mortuum & sepultum. Certant etiam se habere legem Christi & Apostolorum, quia circumcisi sunt, nos verò minimè. Credunt etiam Apostolos & Prophetas fuisse, & plures martyres & confessores in veneratione habent.

*Legẽda palmæ miraculosæ.*

Item apud Cayr est arbor palma antiquissima & altissima, quæ se B. Virgini inclinauit, quando cum saluatore nostro transiuit illò, & ab ea dactylos collegit, & iterum erigebatur. Hoc tunc temporis Sarraceni videntes, B. Virgini inuidebant, & arborem in duobus locis membratim succidebant. Nocte verò proxima arbor solidata fuit & erecta, & vsque in hodiernum diem vulnera succisionis apparent. Hanc quoque arborem Sarraceni in veneratione habent, & candelis omni nocte illuminant. Sunt alia loca diuersa, vbi B. Virgo habitabat, in Ægypto à Christianis & Sarracenis venerata.

*Nilus.*

Nilus vel Euphrates est aqua maior Rheno, de paradiso exiens, cuius ortus ab omnibus ignoratur, nisi quantum scriptis didicimus, planum habens decursum aqua turbulenta, piscibus superabundans, sed non multum valent.

*Hippopotami. Crocodilus.*

Nutrit equos indomitos sub aqua latentes, & sæpe foras egredientes. Nutrit etiam crocodilos infinitos, quod genus ad modum lacertæ formatum est, quatuor habens pedes, curta crura & grossa. Caput eius quasi caput scrofæ. Et illud crescit in longum & in latum, maximos habens dentes. Ad solem egreditur, & animalia vel pueros, si inuenerit, occidit.

*Puteus miraculosus.*

Item in Ægypto est quædam ecclesia Christianorum, iuxta quam est puteus per totum annum siccus, nisi in anniuersali festo illius ecclesiæ. Tunc tribus diebus crescit aqua ad summum, ita vt omnes Christiani ad festum venientes aquam sufficienter inueniant. Finito verò festo, aqua vt antea euanescit. Item à Babylonia noua ad sex diætas in deserto alumen tinctatur fullonum, deque montanis exciditur, & in vsum Regis colligitur. Item color Indicus in Ægypto conficitur. Item plurimum genus auium in Ægypto superabundat.

*AEgyptus metallorum expers.*

Item per totam Ægyptum neq; aurum neq; argentum nec aliquod genus metalli colligitur, & tamen auro terra superabundat. Item Ægyptus satis bonos nutrit equos. Item in Ægypto psitaci abundant, qui veniunt de Nubia.

*Nubia.*

Distat autem Nubia à Babylonia per viginti diætas, & est terra Christiana, habens Regem, sed populus eius incultus est, & terra syluestris.

*¶ Idem habet Aristoteles.*

Item in Ægypto nutriuntur pulli mille vel duo millia simul in furno per ignem absq; gallina, & vsus iste Regis est. Ægyptus est terra calidissima, raram habens pluuiam.

*Sina mons.*

Item mons Sinai distat à Babylonia per septem diætas in deserto.

*Paradisus Sarracenorum.*

Item credunt Sarraceni, se habere paradisum in terra, in quem post hanc vitam sint transituri, in quo credunt esse quatuor flumina, vnum scilicet de vino, secundum de lacte, tertium de melle, & quartum de aqua, & omne genus fructuum ibidem dicunt

nasci,

nasci, quodque ibi pro velle comedent & bibent, & quòd vnusquisque eorum omni die pro voluptatis expletione nouæ virgini commiscetur, & si quis prælio à Christiano moritur, cotidie in paradiso decem virginibus abutitur. Cumque requirerem, quid de mulieribus istis contingat, quæ nunc sunt, vel quò deueniant virgines, quæ cotidie secundum eos corrumperentur, mihi respondere ignorabant. Item Ægyptus diuerso genere auium abundat & diuersis fructibus terræ. Parum vini habet propter legis suæ religionem: sed natura terræ multum vini produceret, si coleretur. De Babylonia transiui in Damascum per desertum, & feci in deserto viginti diætas: quia non inueni terram cultam. Est autem desertum terra sabulosa, per planum & montana disposita, nil prorsus germinans nisi humilia arbusta, in paucis tamen locis. Et terra ista est plurimum distemperata, in hyeme nimis frigida, & in æstate nimis calida. Transitus terræ eius difficilimus & incognitus est: quia flantibus ventis strata sabulo ita infundit, vt vix à quoquam sciatur, nisi ab Odewinis, qui sæpius illuc transeunt, & alios transeuntes ducunt, sicut nauclearij nauigantes in mari. Nota, quòd desertum nutrit leones, struthiones, porcos, boues syluestres, onagros syluestres, asinos syluestres & lepores. Aqua rarissima inuenitur, nisi de quarto die in quartum vel in quintum diem. Item mare Indicum ex vno latere tangit desertum. Item mare rubrum ex vno latere tangit desertum, iuxta quod duabus noctibus fui. Item vidi septuaginta palmas, vbi Moyses percusso silice aquas eduxit. Item à monte Sinai per duas diætas transiui. Nota, amplitudinem & terminos deserti nemo vnquam hominum cognouit: quia ad modum maris imperuium est. Item postquam exiui desertum, inueni terram planam, aliquando à Christianis inhabitatam, sed modò vastatam, & rarò cultam: quia in marchia Christianorum & Sarracenorum sita est. In qua terra inueni antiquam ciuitatem, nomine Busserentinum, aliquando à Christianis inhabitatam, maximam, marmore excisam & decoratam, &, vt in eius vestigijs apparet, aliquando pulcherrimam & plurimum deliciosam. Sed nunc à Sarracenis inhabitatur, in angustum redacta, ita quòd quasi castrum solum remanserit in ea, quod valde munitum est. Inde tribus diebus vsque Damascum perueni per terram cultam ex magna parte à Christianis, Domino Damasci tributum persoluentibus. Damascus est ciuitas nobilissima, duplici muro & turribus pulcherrimis optimè munita, aquis decurrentibus, fontibus & aquæductibus extra & interius per varia loca per domos decorata, & elegantissimis ædificijs constructa, populosa, viridarijs & pomœrijs ex omni latere longè lateque circumsepta, & deliciosissimè perornata. Habet enim irriguum intra & extra pro voluntate hominum quasi ad modum paradisi terreni, & sunt in ea plures ecclesiæ Christianorum, & Christiani, & multi Iudæi. Et in confinio Damasci optimum crescit vinum. Et nota, quòd Damascus sanissima est ciuitas, multos senes nutrit homines. Damascus distat à Ierusalem per quinque diætas paruas, & ab Accaron per quatuor diætas. Item à Damasco ad tria milliaria est locus quidam in montibus situs, quæ Saydaneida vocatur, & à Christianis inhabitatur, & est ibi ecclesia, in rure sita, & in honore gloriosæ virginis dedicata, in qua moniales virgines duodecim & Monachi octo assiduè Deo seruiunt & B. Virgini, in qua ecclesia vidi tabulam ligneam, ad mensuram vnius vlnæ longam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ, retro altare in muro sanctuarij in fenestra positam, & ferro laqueariter cancellatim firmatam, in qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc, quod dictu mirabile est, pictura super lignum est incarnata, & oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni & Iudæi de diuersis languoribus sæpe liberantur. Et nota, quòd oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec prædicta tabula à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum verò illud à Christiano religiosè conseruatur, augmentatur, & & pro quacunque re cum deuotione & fide syncera sumtum fuerit, pro honore sanctæ virginis commissisque solennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad lo-

*Eremus inter Ægyptum & Damascum.*

*¶ Odevvini fortè corruptum ὁδηγοί.*

*Mare rubrum.*

*Busserentinum.*

*Damascus, eiusq; encomium.*

*Saydaneida.*

*Legenda de tabula miraculosa.*

cum in Assumtione gloriosæ natiuitatis suæ omnes Sarraceni illius prouinciæ vnà cum Christianis causa orandi confluunt, & Sarraceni cæremonialia illic sua offerunt cum maxima deuotione. Nota, hæc tabula primò Constantinopoli facta & depicta fuit. Tunc temporis quædam Abbatissa suprà dicti loci causa orationis Ierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ierosolymitano, eam secum ad ecclesiam sibi commissam transportauit. Fuit autem hoc incarnationis anno DCCC. LXX. Sed postea per multa tempora cœpit oleum sacrum ex ea manare. Nota, in terminis Damasci, Antiochiæ & Alapiæ est quoddam genus Sarracenorum in montanis, quod eorum lingua vulgari Heissessim vocatur. *[Assassini.]* Hoc genus hominum sine lege viuit, carne quoque porcina vescitur contra legem Sarracenorum, & omni muliere abutitur indifferenter, scilicet matre & sorore. In montibus habitant, & sunt quasi inexpugnabiles: quia in munitissimis castris recipiuntur, & terra eorum non multum est fertilis, nisi quòd de peculio viuit. Habent etiam inter se Dominum, qui omnibus Sarracenis Principibus propè & longè positis, nec non Christianis vicinis & magnatibus timorem maximum infert: quoniam eos vno momento occidere solet. Qua verò arte hoc fiat, sic accipe. Princeps ille plura & pulcherrima in montanis habet palatia, altissimis muris inclusa, ita vt non nisi per ostium paruum, & diligentissimè seruatum, pateat introitus. In quibus palatijs filios rusticorum suorum plurimos à cunabulis enutriri facit, & diuersis linguis imbui, scilicet Latina, Græca, Romana, Sarracenica, & alijs quàm plurimis: quibus à magistris suis à primæua ætate vsque ad perfectionem viri hoc prædicatur, vt Domino terræ illius obœdiant in omnibus verbis & præceptis suis, quod si fecerint, gaudia paradisi eis dabit tanquam potestatem habens super Deos viuos. Instruuntur itaque, quòd non possint saluari, si in aliquo voluntati Principis terræ resistant. Et nota, quòd ex quo à cunabulis palatijs includuntur, præter doctores & magistros suos neminem hominum vnquam videbunt, nec aliam disciplinam capiunt, quousque ad præsentiam Principis euocantur ad interficiendum aliquem. Tunc in præsentia Principis constituti, quærit ab eis, an præceptis suis velint obœdire, vt eis conferat paradisum. Qui vt instructi sunt, omni contradictione & ambiguitate remota, pedibus suis prouoluti feruenti animo respondent, se fore obœdientes in omnibus, quæ præcepit eis. Tunc princeps dat vnicuique cultellum aureum, & quò voluerit ad quemcunque Principem interficiendum transmittit*. *[* Locus videtur mutilus & mendosus.]* Item à Damasco per Tiberiam vsque Accaron quatuor, & inde vsque Hierosolyma, ab Hierosolymis verò vsque Ascalonem. *[Ascalon.]* Hæc ciuitas supra mare sita est parua, muris & fossis valde munita & satis sana. Inde verò per desertum octo dierum in Babyloniam reuersus fui. In qua viam stratam per milliare magnum sale gemma coopertam inueni, & plurimos vidi onagros & boues syluestres. Nota, apud Ahir publicum prostibulum Sodomitarum est. *[Ahir.]* Mulieres Sarracenorum linteaminibus velatæ & copertæ incedunt, nunquam templa eorum ingrediuntur. *[Sarracenorum zelotypia.]* In maxima custodia Eunuchorum mulieres habent, ita vt maiores Dominæ nunquam domicilia sua egrediantur, nisi per præceptum maritorum suorum. Nota, quòd non frater, non alius quantumcunque propinquus viri vel mulieris, sine consensu viri ad mulierem audet ingredi. Viri quoque quinque vicibus intra diem & noctem ad templum vadunt orare, *[Preces.]* & loco campanarum præcone vtuntur, ad cuius vocationem solenniter venire solent. Et nota, quòd religiosi Sarraceni ad quamlibet horam se solent lauare cum aqua, *[Lotiones.]* incipientes à capite & à facie, lauantes manus, brachia, crura, pedes, pudenda & anum, & postea vadunt orare, & nunquam orant sine venia. Credunt enim Dominum creatorem omnium, Maumeth prophetam esse dicunt sanctissimum, *[Propheta Mahumeth.]* & eorum legis auctorem, quem etiam frequentare solent propè & longè positi Sarraceni cum maxima veneratione in peregrinationibus suis. Habent & alios quosdam suæ legis auctores in veneratione. Vnicuique Sarraceno licet ducere septem vxores legitimè simul, *[πολυγαμία.]* & vnicuique illarum diuisim expensas condictas & promissas contractu nuptiarum prouidet. Insuper quotquot habuerit Slauos, vel seruos vel seruas, *[Slaui seruile nomen.]* cum illis licenter peccat, quasi non inde habeat peccatum. Quarum ancillarum si

larum si aliqua conceperit, statim à dominio Domini libera erit. Et quemcunque filiorum suorum, siue de libera siue de ancilla, Sarracenus hæredem suum constituere poterit secundum velle suum. Multi tamen sunt Sarraceni adeò religiosi, vt non nisi vnam habeant vxorem. Infra septem vxores licet habere, sed non vltra ascendere licet, nisi in concubinis, vt dictum est. Nota, quòd inter ista consideranda venit immensa clementia redemtoris, quæ nec iustum nec impium dono suæ pietatis patitur esse expertem. Iustum quidem, humilem & quietum, & trementem sermones meos, præmium vitæ æternæ concedens, summo bono, quod ipse est, & aspectu suæ claritatis beatificat. Impium autem, æternaliter damnandum, in hac mortali vita temporalibus bonis exuberare permittit. Inde est, quòd ipsi reprobi optimas regiones tenentes, frumento, vino & oleo abundent, auro & argento, gemmis vestibusque sericis exultent, aromatibusque pigmentis & balsamis luxurient, & nihil, quod oculus concupiscat, intentatum relinquant. Impletur enim in illis prophetia Isaac, qui cùm Iacob spirituali dono benedixisset, dixit Esau: In pinguedine terræ & rore cœli desuper erit benedictio tua. Hæc de verbis Domini probare possumus, dicentis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et Dauid: Ecce, inquit, ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Cùm tamen hoc loco per terram & rorem terrenas diuitias accipiamus, sed alibi per rorem gratia Spiritus sancti intelligitur, vt idem Dauid dicit: Descendet sicut pluuia in vellus, factum planè Gedeonis exprimens, vbi per rorem gratia Spiritus sancti, & per vellus intemerata virgo Maria accipitur, quæ concipiendo seu gignendo Dei filium, mater & virgo permansit. Terra etiam dedit fructum suum, quando eadem virgo benedictum fructum ventris sui, Christum, mundi saluatorem, benedicta generauit. Hæc de statu gentilium siue ecclesiæ, quam inter ipsos mirabiliter Deus conseruare dignatur, dicta sufficiant. Nunc ad ordinem historiæ persequendum reuertamur.

*Dei in bonos & malos benignitas.*

*Esai felicitatio.*

*Explanatio vocabuli ros.*

*Transitio.*

## CAPVT XI.

IN tempore illo mortuus est beatæ memoriæ Isfridus, Racesburgensis Episcopus, vir magnæ patientiæ, summæ abstinentiæ & totus religiosis cultibus deditus. Facta est autem dissensio inter Canonicos de electione, Episcopo nondum funerato. Pars enim conuenerat in personam Domini Henrici eiusdem loci Præpositi, viri discreti, & omni honore dignissimi. Ipse sanè præposituram suam multum ampliauerat rebus, personis & ædificijs, & quod plus est, religionis honestate. Pars autem altera personam Domini Philippi, Capellani Episcopi defuncti, sibi in Prælatum expetebat. Facta itaque controuersia, tandem ipsa hoc ordine quieuit commotio, vt partes tam electorum quàm eligentium arbitrio Comitis Adelberti se committerent. Et ille accepta deliberatione, Philippum censuit ecclesiæ præponendum. Hæc autem ideo facta sunt, quia Dominus Waldemarus Rex in Suecia bellis occupatus erat. Quid plura? Philippus inuestitus Bremam se transtulit, & à Domino Hartuico Archiepiscopo benedictionem pontificalem accepit. Sicque consecratis ecclesijs, & ordinatis quibusdam causis in sua diœcesi, ad Episcopum Traiectensem se contulit, ibique per annum consistens, Domino regi Waldemaro se non exhibuit. Vnde suspectus factus est regi, & tandem Comite mediante vix gratiam inuenit.

*Isfridi Raceburg. mors.*

*Hericus Præpositus.*

*Philippus mysta et successor Isfridi.*

*Adelbertus Com.*

*Waldemari regis bellum Suecicum.*

## CAPVT XII.

POst aliquot annos Dominus Hartuicus, suprà memoratus Bremensis Archiepiscopus, vita excessit. Et cùm eo adhuc viuente ecclesia illa satis concussa fuerit, nunc maiores & grauiores commotiones exortæ sunt. Siquidem eadem

*Hartuici Brem. mors. Dissidiū de successore.*

*Waldemarus Slesuic.*

Ecclesia, colloquio celebrato, Dominum Waldemarum Slesuicensem Episcopum, qui tunc à captiuitate suprà dicta solutus erat, & in Bononia consistebat, vnanimi consensu, & conuenientia cleri & populi, honore episcopali sibi decreuit præferendum. Fuerunt tamen, qui huic electioni non libenter intererant, ideoque non reclamando sed elongando se absentauerunt, Burcardus videlicet Præpositus cum quibusdam suis fautoribus. Hammenburgenses autem Canonici propter regem Waldemarum, qui ipsam ciuitatem tenebat, suspecti in hac electione fuerant, ideoque præter eos celebrata est. Qui videntes se suspectos, grauiter huic electioni contradicebant, dicentes, suam ecclesiam matrem ecclesiarum quandoque fuisse, & ideo potissimum primam vocem in electione se habituros. Bremenses tamen, missis legatis honoratis tam de clero quàm de ministerialibus, Domino Waldemaro Bononiæ constituto ipsam electionem canonicè factam insinuauerunt. Qui acceptis socijs, cum ijsdem suis electoribus & testimonio Bremensis ecclesiæ Domino Apostolico se exhibuit. Qui gauisus est, & electum Bremensem cum gaudio suscepit, simul etiam congratulans, quòd post multas importunitates ad hunc apicem eum Dominus promouere sit dignatus. Nec tamen ad præsens eius promotionem executus est, donec verius ipsius cognosceret electionem. Ipso igitur in curia morante, venerunt legati Hammenburgensium, electioni Waldemari reclamantes, & ipsam minus canonicam probantes. Venit etiam legatus Waldemari Regis, Petrus videlicet, Roschildensis Præpositus, sine instrumentis tamen, quia sibi omnia violenter ablata affirmabat, electionem prædictam omnino euacuans, commonere faciens Dominum Apostolicum iurisiurandi à Waldemaro præstiti, quòd nunquam in tali loco obligaretur, vbi Waldemaro regi grauis esse putaretur. His ergo auditis, Dominus Apostolicus Waldemarum per aliquot dies detinuit, quousque deliberaret, quid de ipso Cardinalium consilio ordinaret. Waldemarus autem videns se in arcto positum, non licentiatus abscedens, ad Philippum regem se transtulit, quem ille cum honore Bremam misit, qui exultantes & tripudiantes, eum honestissimè susceperunt. Apostolicus autem missis epistolis ad omnes ecclesias Germaniæ & Galliæ, Waldemarum inobœdientem districtè excommunicauit. Bremenses tamen hoc ad tempus ignorabant: quia litteras Apostolici nemo eis porrigere præsumebat, donec in quadam missa publica à quodam, quasi cum cæteris offerente, in altari positæ sunt.

*Factio Burcardi Præpos. & Hamburg.* — *Actio partium apud Papam.* — *Petrus Præpos. Roschildens.* — *Waldemari fuga ad Philippum.* — *Excommunicatio.*

## CAPVT XIII.

*Waldemarus Rex in armis.* — *Guncelinus & Henricus Suerin.* — *Ioannes Gans.* — *Albertus C.*

Rex autem Waldemarus audito introitu cognati Waldemari Episcopi, cum multitudine graui terram intrauit, exercitu videlicet equestri & nauali, impedire eum volens, vel, si posset, alium ei substituere. Guerram quoque habens contra Guncelinum, Comitem de Suerin, & fratrem eius Henricum, qui eum offenderant, eiecto de terra Ioanne, qui cognominatur Gans, cuius castrum Grabbow violenter abstulerant, misso exercitu per manus Alberti, Comitis Nordalbingiæ, quem terræ præfecerat, primò Boyceneburg, castrum ipsorum, dirui fecit, deinde omnem terram Suerinensem irrecuperabiliter vastauit. Waldemarus verò Episcopus impetere terminos Regis disposuit. Cumque bellum inter eos parturiret, ipsius propositum occasionibus varijs impeditum est. Burcardus sanè maior Præpositus ad Archiepiscopatum aspirans, quosdam habens electores de Hammenburg vel etiam de Brema ad regem venit, & ab eo inuestituram Pontificalem accepit. Cumque potitus fuisset Hamburg, per quosdam amicos Regis Stadium occupauit. Ad quod veniens Waldemarus Bremensis, adhuc latentibus insidijs, illud intrare volebat: sed pars aduersa firmatis portis eum non recipiebat. Quod intelligens, conuocatis amicis de Episcopatu Bremensi, ciuitatem obsedit, & ipsam violenter obtinens, omnia quæ intus erant suis exercitibus consignauit: qui præda maxima omnia vastantes, ipsam quasi vacuam reliquerunt.

*Burcardus ἀντεπίσκοπος.* — *Cõtentio de Stadio.*

Rursus

Rursus tamen pars Burcardi electi inualuit, & capto Stadio illic liberius habitare cœpit. Porrò rex Waldemarus pontem vltra Albiam sterni fecit, ita vt plaustra & equites liberè transirent. Et infusus partibus Bremensium per suos, ad supplementum sui electi castrum Horneburg firmissimè ædificauit.

*Horneburg.*

## CAPVT XIIII.

*Philippi apparatus bellicus.*

INterea Philippus rex contra Othonem regem vel etiam Waldemarum regem venire disposuit. Et contracto innumero exercitu de omni Imperio, vbi aderant innumeri de Vngarorum finibus, contrahens secum auxilia pessimorum, qui dicuntur Value, cum innumera virtute balistarum, & omni genere armorum, consistebat in Bauenberg, coadunationes exercituum expectans. Hoc intelligens Rex Otho, quem tantæ machinationes non latebant, cœpit innumeris victualibus & armis communire ciuitates & castra, & contra tantos insultus verè imperterritus se præparare. Nec defuit rex Waldemarus, in manu militari, vel etiam impensis thesaurorum, ei subueniendo, sciens si contritum fuisset cornu dextrum, ipsum proculdubio expectare sinistrum. Sed Deus miserator & misericors ille motus de diutina concussione ecclesiæ, quam peccatis exigentibus exceperat, vel etiam tactus suspirijs & precibus suorum fidelium, tandem his cladibus finem facere dignatus est hoc modo. Cùm Philippus, vt præmissum est, quietus consisteret in Bauenberg, expectans coadunationem expeditorum, repente miserabilis & inopinata commotio inter ipsum & Palatinum Othonem de Widelingsbach exorta est. Quam minimè silentio prætereundam putamus. Sane Philippus rex filiam suam Othoni, vtpote nobili viro, desponsare decreuerat. Sed quia idem Otho nimis erat crudelis & inhumanus, mutata voluntate propositum desponsationis mutauerat. Quod intelligens Otho Palatinus, pro filia Henrici, Ducis Poloniæ, laborabat, dixitq; Philippo Regi: Domine, meminisse volumus clementiam vestram, quàm deuotus vobis semper fuerim, & quanta in seruitio vestro in præsenti guerra expenderim, & quanto apparatu nunc contra aduersarios vestros vobiscum procedere decreuerim. Ideo peto, vt nunc in modico pro me sitis, & litteras commendaticias Domino Duci Poloniæ dirigatis, vt cœptum bene inchoatum, pactum videlicet desponsationis, vestra mediante maiestate melius consummetur. Cui Rex: Id quàm deuotus faciam. Et ille gauisus, obtulit litteras de instanti negotio ordinatas. Et Rex: Vade, ait, & post modicum reuertere, & inuenies litteras bullatas. Illo abeunte, mutatæ sunt litteræ in contrarium, & signatæ bulla regia. Cumque Palatinus litteras accepisset, perspexit in schedula maculam quandam exteriorem, sicque concepit suspicionem, veniensque ad suum quendam familiarem: Aperi, inquit, mihi litteras, vt earum sciam tenorem. Qui perspectis litteris expauit, dicens: Rogo, vt Dei intuitu litteras me vobis exponere non arctetis: quia nihil aliud nisi mortem mihi imminere video, si eas exposuero. Sicque acceptis litteris Palatinus alteri nimis importunè insistebat, & ita tenorem ipsarum cognoscebat. Vnde grauiter efferatus, nihil nisi mortem Regis animo versabat. Dissimulata tamen ira, ad Philippum quasi iucundans & congratulans intrabat. Vna igitur dierum Philippo secretius in cubiculo consistente, quia medianam in vtroq; brachio inciderat, Palatinus nudo gladio in atrio regali quasi ludens incedebat. Sicque accedens ad cubiculum Regis, ostium clanculò pulsabat, & ingressus simili modo coram Rege se gerebat. Cui Rex: Depone, ait, gladium: quia non est his locus modò. Et ille: Imò est locus, vt tu perfidiam tuam luas. Et statim vno ictu ceruicem eius tetigit, nec secundum vulnus apposuit. Cumq; qui aderant, eum impetere vellent, ille aperto ostio violenter exiliens, fugam dedit. Philippus tamen non sine ratione litteras mutauerat: quia puella, quam Otho desponsare cupiebat, consanguinitate Philippum ex matre contingebat. Ideoque Regi displicebat, vt vir tam crudelis & impius & imprudens tam nobili virgini iungeretur. Idem quoque Palatinus crudelitate nimia quendam

*Value. De his sup. lib. 5. cap. 5.*

*Otho.*

*Waldemarus rex.*

*ὁ Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.*

*Otho Palat. Wittelsbach Philippi percussor.*

*Cadis eius causa & occasio.*

*Henricus Dux Polon.*

*Otho Palat. litterarum rudis.*

*Alterū eius homicidiū.*

de melioribus terræ, Wolff nomine, occiderat: vnde grauiter Philippum offenderat. Ipſius tamen regnum ceſſauit tali facta conſummatione, quam conſummationem cuidam ſpirituali viro in Raceſburg per viſionem manifeſtare Deus dignatus fuit his verbis: Anno M. CC. VIII. erit conſummatio. Quæ quidem conſummatio ignota fuit, ſed circa feſtum B. Ioannis Baptiſtæ ipſo anno tali modo impleta eſt. Fuere tamen quidam viri nominati, qui de tali facto nimis ſuſpecti ſunt habiti, Epiſcopus videlicet ipſius ciuitatis, cum alijs multis, quibus traditio Regis impoſita eſt. Ceciditque vir nobilis & potens, multis adornatus virtutibus. Erat enim vir manſuetus & humilis & admodum affabilis. Et quia litteratus erat, diuina deuotus valde frequentabat. Et cùm in eccleſia inter alios lectiones vel reſponſoria recitaret, clericos ſiue ſcholares pauperes à ſe non remouebat, ſed quaſi conſcholaſticos eos habebat. De cuius tamen morte turbata eſt terra: fit mœror omnium, vna voce plangentium, heu, heu cecidit princeps noſter, ceſſauit gloria noſtra, verſus eſt in luctum chorus noſter, imperium à nobis tranſlatum eſt, & regnum alterius gentis factum eſt. Coadunatis tamen Principibus ſiue nobilibus funus regium ſolennibus exequijs & faſtu nimio in ciuitate Bauenberg tumulatum eſt. Regina autem audito tam triſti nuncio, contabuit, & quia prægnans erat, gemino dolore ad mortem vſq; afflicta eſt:

*Vaticinium de morte Philippi.*

*Eiuſdem elogium.*

*Funus.*

*Mors Auguſtæ.*

*Morte viri preſſa, nimióq; grauamine torta*
*Prolis, ſicq; duo vita priuantur in vno.*

*παραίνεσις.*

Sed dum his intendo, repentè de incertitudine huius vitæ ad memoriam venit illud Poetæ:

*Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,*
*Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.*

*Nam qui diſpenſat labentia ſecula, penſat*
*Virtutum mores, qui praui, qui meliores:*
*Exaltans humiles, ponit de ſede potentes,*
*Vſu ne vili ſolio dominentur herili.*
*An non audiſti? quod ait ſapientia Chriſti:*
*Tu qui terrarum regis orbem, dilige rectum.*
*En vir tantarum poſſeſſor diuitiarum,*
*Eſt ſubito raptus, tenui vix vulnere tactus,*
*Et mox maieſtas ceſſat, genus atq; poteſtas,*
*Et manus horrenda, virtus etiam metuenda.*
*Quam benè pſalmiſta ſenſit, qui præcinit iſta:*
*Vana ſalus hominis: non ergo ſit tibi finis*
*Spes theſaurorum, quia nullus fructus eorum.*
*Peruigili cura cœleſtia præmia cura,*
*Quæ Chriſtus gratis tribuet dono pietatis.*

## CAPVT XV.

IGitur mortuo rege Philippo, omnes qui per eum ſtare videbantur, infirmati ceciderunt. Vnde contigit Waldemarum Bremenſem electum minus à ſuis acceptum. Timebant ſanè offenſam futuri Principis, vel excommunicationem Apoſtolici, quæ eis tunc innotuerat. Rex autem Otho videns datam opportunitatem, quoſdam de ſuis æmulis bello impetere cogitabat. Ad quem accedens Archiepiſcopus Magdeburgenſis vnà cum Duce Bernhardo ſic ei locuti ſunt: Non ſuademus, vt aliquem impetum præſumtuosè faciatis, ne aliqua commotio contra vos fiat, ſed magis ex diſpenſatione Principum curiale colloquium ſtatuatis, vt ibi de electione Regis vnanimiter tractetur. Si complacuerit Domino in noſtra perſona, gratum habebimus; ſin aliud, & hoc audiemus. Quod cùm complacuiſſet, indicta eſt curia in Halberſtad, vbi conuenerat maxima pars Prælatorum & Princi-

*Waldemarus Brem.*

*Otho IIII. Cæſar recta monentes audit.*

*Bernhardus Dux Saxon.*

*Conuentus Imperij Halberſtad.*

& Principum Saxoniæ & Turingiæ, nec defuit Herbipolensis Otho. Omnes igitur Principes qui conuenerant, ac si diuinitus inspirati, pari voto & vnanimi consensu Othonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Archiepiscopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Mysnensi & Landgrafio Turingiæ cum alijs, ad quos electio Regis pertinere videbatur. Cùm autem peruentum fuisset ad electum memoratum, conqueri cœpit in conspectu Principum, ecclesiam suam damnificatam à Philippo rege, & eius prædecessore Henrico Imperatore, quouis anno ad mille marcas, pro qua etiam iniuria Conradus, ipsius prædecessor, dolosè occisus est, & nisi eadem iniuria mutaretur, vt ecclesia indemnis maneret, ipse huic electioni se consensum non præbere affirmabat. Cumque hinc inde multa allegarentur, ipse de collegio exiens, discessit. Altero tamen die reuocatus electioni principum acquieuit, quorum vnà cum Rege ordinatione ecclesiam suam recepit.

*Otho Episc. Wirceburg.*

*Ius creandi Cæsarē Principib. omnibus commune.*

*Wirceburg. querimonia.*

## CAPVT XVI.

EXinde alia curia magis famosa indicta est in Franckeneuorde in festo B. Martini. Vbi cum magna solennitate & ingenti numerositate occurrerunt Domino Regi Principes Franconiæ, Bauariæ, Sueuiæ. Aderat ibi Beatrix, filia Philippi regis, cum suis submittens se gratiæ Domini Regis, quam produxit Dominus Spirensis. Quæ eleuata voce, cum gemitu & suspirijs & lachrymis multis conquesta est Domino Regi & Principibus præsentibus, & in commune toti orbi Romano de impia morte patris sui, & de impia conspiratione Othonis Palatini, qui eum insidiosè, nihil tale suspicantem, in propria domo occidit. Cùm hæc dicerentur, facta est pressura magna coram Rege condolentium querimonijs reginæ, qui omnes obortis lachrymis tantam miseriam deflebant, & iustitiam reginæ fieri postulabant. Clamabant sanè, si scelus perpetratum inultum maneret, quòd neque Rex neque quilibet Principum securè viuere posset. Ad voluntatem igitur omnium Dominus Rex proscriptione publica damnauit homicidam illum, quem postea Henricus Caletinus cum filio Wolf, suprà memorati, quem idem occiderat, occidit, caputque resectum in Danubium proiecit. Rex igitur reginam adolescentulam in sua procuratione suscepit, quam etiam ad petitionem Principum pro bono pacis, si tamen id pro linea consanguinitatis fieri posset, vxorem ducere spopondit. Suscepit igitur eam cum patrimonijs & diuitijs multis & trecentis quinquaginta castris. Ibi etiam repræsentata sunt Domino Regi omnia Imperialia cum plenitudine potestatis & honoris & beneuolentia fauoris.

*Conuentus Francofurt.*

*Beatrix, Philippi F. expetit cædis paternæ vltionem.*

*Otho Palat. proscriptus obtruncatur.*

*Cæsaris in regiam puellam benignitas.*

## CAPVT XVII.

ORta est autem noua lux in orbe Romano, iucunditas pacis & securitas quietis, & cessauit subsannatio & insultatio multorum, qui Othonem affirmabant nunquam regnaturum. Quid dixerim de nobili rege Franciæ? qui nec cum alijs à subsannatione temperauit. Cùm enim Otho à Principibus de Pictauio ad regalem electionem vocaretur, & conductu regis memorati Franciam transiret, ipse eum transeuntem vidit & salutauit, & inter collationes, quibus se mutuò salutabant, Rex Franciæ in hæc verba prorupit: Intelleximus, ait, quòd ad Imperium Romanum vocemini. Ad hæc ille: Verum est, ait, quod audistis: sed in Deo sit iter meum. Cui Rex: Non credatis, quòd tanta vobis proueniat dignitas. Quòd si vel sola Saxonia in personam vestram consenserit, detis mihi nunc dextrarium, quem peto, & cùm creatus fueritis, dabo vobis tres ciuitates meliores regni mei, Parisium, Stampes, Aurelianum. Habebat sanè Rex Otho munera multa regis Angliæ, auunculi sui, Richardi, & centum quinquaginta millia mar-

*Mira rerũ commutatio.*

*Galli in Cæsarē sanna.*

*Temeraria pactio.*

*Richardus Rex Angl.*

carum, quæ in somarijs ferebant quinquaginta dextrarij. Inter quos erat vnus nominatior, quem Rex petebat. Dominus ergo Otho, dato dextrario, ibat via, qua cœperat. Nunc ergo non sit iniuria, Dominum Imperatorem repetere sua.

## CAPVT XVIII.

*Conuentus Aldenburg. Rabbodo C. Leisnick. Colditz.*

SEquenti anno indicta est curia in Aldenburg, quæ alio nomine Plisne nuncupatur, vbi etiam ingens patrimonium Imperator possedit Comitis Rabbodonis cum castro Leisnick & Colditz, quod Fridericus Imperator quingentis marcis à Comite memorato comparauit. Illuc conuenerunt Mysnenses & Cisnenses, to Poloni quoq; Boiemi. *

*Hactenus Puchenianus codex: cætera vel aduersa fatorum vi, vel temporis iniuria perierunt; vti monetur in procœmio.*

APPEN-





# APPENDIX TERGEMINA: DE COMMVNIBVS GENTIVM GERMANICARVM ET HENETARVM APPELLATIONIBVS: DE ILLVstriss. Billingorum familia: de genealogia stirpis Estensis, quarum hæc paternam, illa per auiam Wulfhildin, maternam Henrico Leoni originem dedit.

*MAGNIFICO VIRO, SPLENDORE NAtalium, doctrinæ eruditione, dignitate & virtute spectatiss. atq; ampliss.* Dn. Conrado a Svichel, *illustriss. Principum atq; Ducum Brunsuicensium & Luneburg. &c. Consiliario primario, Patrono S. omni obseruantia colendo,*
*S. D.*

REINERVS REINECCIVS STEINHEMIVS.



VT Helmoldi & Arnoldi annalibus maior lux inferretur, necessariam explicationem duxi de communibus gentium Germanicarum & Henetarum appellationibus. Et quia Ducum Saxon. è stirpe Billingana historia ita Helmoldi expositionibus delibatur, vt is quidem generis seriem per continentes sanguinis gradus tradat integram, sed præcipuarum rerum gestarum mentionem omittat, libuit mihi de his syluulam quandam contexere. Tertium caput, in quo enucleando operæpreciū fieri posset, erat de illustriss. domus Brunsuicensis & Luneburg. in Saxonia primordijs. Hæc enim cùm Helmoldus & Arnoldus tantùm in Henricis duobus, Superbo & Leone, pertractent, haud abs re fore arbitratus sum, si paulo altius ab Estensibus repeterentur. Qua parte tamen neq; illud reticendum, repertos & antè, qui operæ huc aliquid contulerint. Ac præcipuè quidē Ernesti Brotufij circum-

fertur ῥαψωδία: de qua cùm iudiciū omnibus in procliui eſſe oporteat,
à me ſub trutinam reuocetur, opus non eſt. Cùm autem in eam fortè
genealogiam, quæ auctorem præferret Hieronymum Faletum, ho-
minem Italum, incidiſſem, quæ denuò ederetur, digniſſimam ſtatui.
Vt vt enim neque ipſa erratis, ijsq; craſſiſſimis, caret, plus tamen anti-
quitatem redolet. Libuitq; hîc ſimul ſententiam de ea noſtram οὐκ ἀπο-
τόμως, ἀλλ᾽ ἐν πλάτει exponere. Originem Romanam ex Atiorum gente
prorſus commenticiam & fabuloſam duco. Nam vt concedamus, no-
mina, vnde Atiorum generis propago vſq; ad fratres, Gundelardum
& Aldoardum, conſuitur, in veterum ſiue Faſtorum ſiue lapidum mo-
numentis reperiri, quid omnium hoc ad Eſtenſes? Cùm certum ſit, do-
ceriq; hiſtoriarum argumentis euidentiſſimis poſſit, veterem Roma-
nam nobilitatem bellis iſtis plus quàm ciuilibus, vt rectè Lucanus Poe-
ta nominauit, ceu à ſtirpe exciſam: Et quæ hodie in Italia eſt reliqua, fe-
rè à conditoribus Germanis ſe prædicat, vt Hiſpanica à Gotthis. Po-
tius igitur in eorum iuerim ſententiam, qui Eſtenſibus ſtirpem Lon-
gobardicam attribuunt. Eſtq; hinc, quòd circa id tempus, quo Longo-
bardi in Italiam infuſi ſunt, hoc eſt anno Ieſu Chriſti D. LVIII. pri-
mum nominibus Germanicis Eſtenſis familię Principes memorantur.
Cæterùm ſatis conſtat, Longobardos gentem Germaniæ indigenam
eſſe: cuius quæ primæ ſedes extiterint, è Tacito & Ptolemæo, quæ po-
ſteriores ante migrationem in Italiam, è Paulo Diacono & alijs liquet.
Et certum eſt, Eſtenſem gentilitatem à ſolo deinde Gundelardo pro-
pagatam. Nam Aldoardo editam ſobolem, nuſquam, quod ſciam, an-
nalium monumentis proditum extat. Tametſi & de Gundelardi po-
ſteritate à Faleto expoſita, non ſit nihil, vbi aqua, quemadmodum di-
citur, hærere videatur. Neq; enim penitus annales, non etiam recentes
hiſtoriarum ſcriptores conueniunt. Verùm in id argumentum digredi
modò haud libet. Satiusq; eſſe duxi, quæ præterea parte hac nō poſſunt
non patriæ & illuſtriſſ. familiæ Brunſuicenſis & Lunenburg. amatori-
bus in mentem venire, tibi, magnifice & nobiliſſ. Suichele, perpenden-
da relinquere. Siquidem te eum eſſe cernimus, qui cùm ſuis tum maio-
rum meritis apud eiuſdem familiæ Principes ſumma auctoritate, gra-
tia, dignitate emineat, qui maximæ ſpei Princ. HENRICI IVLII
indolem informandam moribus acceperit. Vt ne iſtud nunc prædica-
tione noſtra attingam, quàm iugi ſtudio in antiquitatis cognitionem
incumbas, quàm exquiſitam in reliquis diſciplinis tibi eruditionem
compararis. Equidem quicquid hoc eſt opellæ te non tantùm vt pa-
trono, ſed planè vt cenſore niti ac prodire volui: Cùm de te licere mihi
perſuaſum haberē, quod de Imp. Cæſ. Antonino Philoſopho Iuſtinus
ſibi ſumſiſſet. Iam ſi nec reliqua prætermittenda, quibus me tibi obli-
gatum fatear, neceſſe eſt, occurrit id principe loco, quòd eodem tem-
pore academia Viteberg. nos auditores & condiſcipulos habuit, quòd
animum à familia noſtra, meq; ipſo, non alienum oſtendiſti: Quando
nimirum

nimirum & in Pyrmontana aula perfamiliariter affinem meum, Simonem Schmerrhemium, complexus fueris, & in hac fortuna id studium ita erga me conuerteris, vt non obscura in me officia & beneficia tua constare volueris. Redit ergo ad te gratiæ alicuius non tam referendæ quàm testificandæ exiguum quidem, sed debitum μνημόσυνον nostrum: de quo si id largiere, quod est apud Poetam,

*Vt desunt vires, tamen est laudanda voluntas,*

fuerit quod vehementer mihi & gratuler & gaudeam. Tuq; ingenij, fortunæ, generis ornamenta ista in Ecclesiam, in rempub. in litteras, in hæc studia nostra, cõferre pergas, oro. Nam ita tibi laudis & famæ trophæum figes, quod neq; ferrum, neq; flamma, non ipsum edax rerum tempus abolere possit, sed perpetuam immortalitatem pariat. Et dignam te curam existimabis, laborare atq; eniti, vt tandem quid in Germania natum extet, quod externæ Faleti similiumq; operæ opponatur, neq; alienis nos plumis, secundum Horatianum apologum, ornare necesse habeamus. Quod etsi pro singulari prudentia tua facturus sponte fueras, facies tamen hac mea cohortatione libentius & maturius. Sic enim fuerit, quo patriam, quo patriæ principes, quo omnes ordines tibi deuincias. Quod superest de me, recipio tibi atq; confirmo cum obseruantia debita voluntatem semper memorem & gratam. Nam partes meas ita sustinebo, vt quæ proficisci à me officia ad te demerendum possunt, summo studio, obsequio, fide persoluisse videar.

Vale & salue. Francofurto ad Viadrum, M. Octobr.

D. XXVII. CIↃ. IↃ. LXXX.





# APPENDIX PRIMA

# DE COMMVNIBVS, AC TAM BONIS AVCTORIBVS, QVAM NOTO ET VVLGARI LINGVARVM VSV RECEPTIS,

## gentium Germanicarum & Slauicarum vel Henetarum appellationibus, quiq; peculiariter Henetorum nomine in Germaniæ ora populi veniant, quæ eorundem ſedes fuerint.

NOMINAT præmiſſa Helmoldi & Arnoldi hiſtoria Germanos nunc Teutones nunc Alemanos, vt Henetos aliquando Vandalos, ſæpius atq; in vniuerſum Slauos. Quæ diuerſitas vt nequem lectoris animo ſcrupulum inijciat, viſum fuit hîc rem breuiter ὡς τύπῳ explanare, itaque explanare, vt tam eas appellationes referamus, quibus vtranque gentem boni auctores celebrant, quàm quæ ſimul exteris ſimul ipſarum linguis vernaculis hodie etiamnum in vſu ſunt.

Principiò ſatis conſtat, GERMANOS & HENETOS vnum & eundem habere conditorem GOMERVM, filium Iaphet. Sed primùm quæ de Germanis dicenda fuerint, perſtringamus. His accommodo, quod legimus apud Ioſephum, propagatos à Gomero GALATAS. Eſt enim nomen iſtud è noſtra petitum lingua, noſtrarumq; gentium proprium, vt paulo pòſt monebimus. Præbet tamen nonnullam Homeri carmen coniecturam, præbet etiam Beroſi fragmentum, gentes à Gomero conditas, de nomine ipſius ſe primùm nuncupaſſe. Memorat enim ille CIMMERIOS, hic COMAROS, quæ nomina à Gomero deſcendere, cùm alia tum vtriusq; affinitas arguit. Certè quidem CELTAS Poeta ille adhuc ignorat, cùm à Cimmerijs oriundos ASCANIOS & CAYCOS celebret, vt nondum tum Celtarum nomen introductum ſuſpicer. Etſi vt neque Beroſo ita neque Homero Cimmeriorum hiſtoriam plenè cognitam fuiſſe, de fabulis vtriuſque manifeſtum fit. Diuerſæque veriſimile reddunt περιστάσεις, paulatim nomen hoc ex vniuerſali in particulare degeneraſſe, haud diſſimili pacto atque euentu, quem de Ionum nomine in gente Græca obſeruare licet. Retinuit enim natio Cimmeriorum peculiaris: Quæ natio vt in Aſiam inuaſerit, vt eiecta inde rurſus ab Halyatte, rege Lydorum, fuerit, ex Herodoto liquet, & diſertius eadem de re Strabo explicat aliquot in locis. Nec diſcerno ab his Cimmerijs Cimbros, celebratiſſimos è Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus. Qua de re præclarè Plutarchus in Mario, Strabo libro 7. Cæterùm vbi iam CIMMERII, ſeu Gomeri poſteri, tanquam in partes genteſq; diſtinctas diſceſſere, & ſegregari vnà cum colonijs & ſedibus etiam nominibus cœpere, tum de eo euentu, tum de migrationum ſtudio, duo iterum maximè generalia nomina ſibi aſciuere. Nam qui Germanicæ linguæ vſum & commercium ex Aſcanis & Togormæ poſteris, quemadmodum in ſequentibus oſtendemus, retinuere, appellârunt ſe voce Germanica *Wallen*: qui verò à Riphato propagati fuere, dicti ſunt HENETI, planè ad iſtum modum, quo ſuperioribus ſe-

ribus seculis, qui religiosarum expiationum gratia Hierosolymam, Romam, Compostellam, aut alia habita & credita sancta loca peterent, nuncupari voluere *Walbruder*: & primi Germanicæ linguæ conditores, cùm quam nunc viuimus vitam peregrinationem quandam statuerent, (rectè enim in Axiocho Plato: κοινὸν τοῦτο πρὸς πάντων θρυλλούμενον, παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος: notique sunt similes è litteris sacris loci) nec quicquam in rebus humanis firmum & stabile cernerent, mundum ipsum vocarunt *die welt*. Credibile est autem, non eadem ab omnibus nomen *wallen* enunciatione prolatum, introducto nimirum paulatim cum sedibus distinctis etiam dialectorum & idiomatum discrimine: nec negari posse videtur, aliter adhuc gentes exteras è suæ linguæ proprietate inflexisse. Quocirca & à bonis auctoribus mirificè variatum reperias. Nam Herodotus & Aristoteles, quiq; præterea è Græcis hos sequuntur, inde Celtas fecere, alij Galatas, nonnulli, in quibus Cæsar, Gallos & Belgas. Ac sunt quidem, quæ eam de nominis huius vsu sententiam confirment, luculenta scriptorum testimonia in medio: Quæ cùm alibi exposuerimus, hîc recenserentur, necesse non esse duximus. Est & alterum hoc probè tenendum, nequaquam nominum illorum vsurpationem ad amussim ab auctoribus obseruatam. Quemadmodum enim & VINDELICI & RHETI & SCYTHÆ, à quibus nunc Scotorum nomen reliquum, cùm notio ad Germanicam alludat originem, inde excluduntur, ita in cæteris gentibus nostris quædam Thracibus, quædam Illyrijs, quædam etiam Sarmatis accensæ fuere. Accedit his tertium, & ipsum scitu dignissimum, nempe quòd aliæ in ijsdem gentibus, alijs celebriores extitisse cognoscuntur: è quibus quæ ante Cæsaris Dictatoris ætatem sedes in Germania cepere, potissimum CIMBRI & TEVTONES memorantur. De illorum origine iam dictum est. Hos eosdem cum Ascanijs astruo, & conditorem ipsis cum Beroso & Tacito Tuisconem, cum Ebræis Ascanem, filium Gomeri, attribuo. Est enim hoc ab illo κατ' πρόθεσιν articuli Germanici, quæ communis doctorum opinio est, deriuatum: non dissimili forma & vsu, quemadmodum de Ceteis orti & denominati Macedones & Arcades, de Eleis seu Æolibus Thessali, de Iberis Tibareni, de Iaonibus seu Ionibus Chaones: & hodie Roma Turcis Vrum dicitur, vt Romanis scriptoribus Odera Viadrus. Fracta autem bellis Romanis Cimbrorum & Teutonum potentia, pari celebritate inclaruit, lateq; sese per Germaniam exeruit, Germanorum nomen. Ideo Cæsar, qui primus cum his belligerauit, id promiscuè in Germania gentibus vendicat, & suo quodam instituto prorsus ab eis Gallos discernit: Etsi de principio nominis istius atq; notione nihil habet. Nec satis disertæ parte illa Taciti expositiones existunt, vt ridiculus prorsus Strabo, ridiculus Paulus Diaconus, quorum vterq; Germanorum nomen è Latina lingua vult petitum videri, ille quidem à germanitate Gallorum, hic à germine. Est etiam quod in recentioribus scriptoribus plerisq; desideres atq; reprehendas: quorum alij Ebræum faciunt à Gerim & Ain, vt intelligas miseros aduenas; alij nostratis linguæ, quasi *Garman*, à vasto corporum robore & mole; alij à militiæ studio, *Heerman*, bellatores aut homines militares. Ego sacrarum litterarum sequi malim vestigia. Cumq; demonstratum suprà sit, stirpem gentium nostrarum à Gomero esse, ita quidem, vt à filio huius Ascane censeantur Ascanij & Tuiscones seu Teutones, omnino isthuc inclinatione propendeo, ab altero Gomeri filio TOGORMA conditos & denominatos GERMANOS, principio κατ' ἀφαίρεσιν mutilato. Est enim familiaris figura illa linguæ nostræ in peregrinis vocibus. Dicunturque eodem modo de Assyrijs Syri, de Iberis Berones, Straboni, Eustathio & alijs. Et quadrat in Latina lingua, quòd de Ebræo Tubalcain factum nomen Vulcanus; quadrat de nostratibus, *Westwoner*, *Werlen*, *Werner*, quæ detorta sunt in vulgaria ista; Isteuones, Eruli seu Heruli, Irnerius: nec discernendi Allobroges ab ijs, qui hodie in agro Padebornensi, nominis Westualici, dicuntur *die Delbrugger*. Forsitan enim ex hac ipsa ora Allobrogum in Galliam colonia deducta fuit. Illud quidem negari nō potest, nomen Germanorū perquam vetus esse: quippe quod Herodotus habeat lib. 1. Quas autem à Cæsaris temporibus Romani gentes Germanis annumerarint, ex eiusdem Commentarijs, Strabone, Tacito, Plinio, Ptolemæo

notatur error Helmoldi.

& alijs apertum fit. Tametsi non omnino inter hos conueniat: id quod nostra hîc commentatione discuti non debebat. Istud tamen è Plinio lib. 4. cap. 14. memorabile est, quòd quatuor facit Germanorum genera: VANDALOS, INGEVONES, ISTEVONES, HERMIONES, PEVCINOS. Vnde vulgatissimus cùm aliorum tum Helmoldi nostri patet error, qui Vandalos eandem cum Henetis gentem fecerunt. Neq; non hoc loco alterum mentione nostra attingere debebamus, ab ea, quam dixi, Cæsaris ætate, semper nominis Germani vsum de Germanicis gentibus in Latina lingua mansisse, cùm hodie in nostra penitus exoleuerit. Etsi constat, locutos scriptores dissimiliter. Nam aliâs vniuersale Germanorũ nomen retinent, aliâs pro eodem tantùm particulares gentium Germanicarum appellationes inculcant. Cuius instituti haud aliam occasionem crediderim, quàm quòd bellorum fortuna nunc hos nunc illos vel extulit vel depressit. Verùm hæc singulatim enodare, alterius argumenti fuerit. Modò vnum istud monuisse sufficiat, in nobilioribus hisce Germanorum gentibus, quæq; vehementer Romana arma exercuere, & ipsius nominis Germanorum vsum in nostra lingua nominibus suis extinxere, præcipuè celebrari: SVEVOS, GOTTHOS, ALEMANOS & FRANCOS. Suevi sonant vagabundos, *vom schweben*: nominatque centum horum pagos Cæsar comment. lib. 4. gentes diuersas Tacitus & Ptolemæus. Nam pagorum numerum illum idem Tacitus propriè Senonibus, quos Sueuorum caput vocat, assignat. Gotthis Eusebij Chronologia conditorem attribuit Ascanem, à quo suprà Ascaniorum & Teutonum stirpem deriuauimus: cùm nomen propius ad Gether, qui inter filios Sem memoratur, alludat. Alemanos sunt qui à lacu Lemano dictos velint. Alij nomen Græcum ἀλήμονες, alij Alanorum sobolem fecere. Quibus quarta eorum accedit opinio, qui conuenas quosdam statuunt, vt respondeat Saxonico *Alman*, id est, collectitia quædam multitudo: Quales in Græca historia suspicari possumus Minyas: fuitq; talis exercitus, qui duce Godefrido Bilioneo Hierosolymam occupauit: fuere etiam ij è Germania coloni, qui nunc Borussiam tenent: nec dissimile quiddam pleriq; de Silesijs referunt. Francorum nomen sono accedit ad Βρέγχυς, quos Strabo lib. 4. in Rhetorum confinio collocat. Et constat quidẽ vsum huius perantiquum esse. Alij fabulosam eis à Troianis originem affingunt. Sunt etiam, qui Caucorum sobolem autument. Sed maximè concinna illorum est coniectura, qui veterum Germanorum propaginem asserunt, & nomen à libertate deducunt, ac si dicas *die freyen Ancken*, colonos liberos, duabus dictionibus in vnam contractis, aut sola priore veteri terminatione Francica Ing κατ' ἐξοχὴν adaucta. Meruere autem primi ex his SVEVI eam nominis celebritatem mox cum Germanorum introducto nomine. Vtrunq; enim ita Cæsar in commentarijs accipit. Et disertius de Sueuis Tacitus: Sueuorum, inquit, non vna gens est: maiorem enim Germaniȩ partem obtinent, proprijs adhuc nationibus nominibusq; discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Per GOTTHOS solus, quod sciam, Eusebius Germanicas gentes intellexit: cùm quidem potentia ipsorum magis in exteris prouincijs quàm in Germania effloruerit. Fortè tamen eandem sententiã Procopius secutus, Vandalos Gotthicam gentem vocat. ALEMANI & FRANCI propemodum circa idem tempus innotuere, atq; ita innotuere, vt nominis sui fama cæteras per Germaniam gentes quasi in ordinem redegerint, tandemq; vetustius Germanorum nomen aboleuerint. Siquidem de vtrisq; cùm retrò aliquot seculis, tum hodie etiamnum homines externi Germanos nuncupant. De Alemanis quidẽ Vopisci, de Francis Agathiæ & D. Hieronymi testimonia in medio sunt. Et Italis, Gallis, Hispanis, Britanis vernacula ipsorum lingua ALEMANI dicimur, vt Turcis cum cæteris ferme occidentalibus FRANCI, quemadmodum auctores sunt Georgeuicius & Antonius Geufræus. Nec multum discrepant recentiores rerum Græcarum scriptores: quippe qui tam Alemanorum quàm Francorum nomen inculcent: nisi quòd & ipsi occidentales generatim LATINOS nominãt. Cùm contrà nostra lingua alterius (Alemanorum inquam) vsum penitus amiserit, alterum verò tantùm in parte Germaniæ agnoscat, & καθόλου Galliæ incolis attribuat. Hos enim Germanicè Francos appellamus, retinetq; idem nomen Gallica lin-

gua: cuius

gua: cuius enunciationem molliorem Helmoldus & similes auctores exprimere conati, Francigenas dixere. Nominant verò lingua sua Germani sese TEVTONES *die Deudshen*, & ex Saxonica dialecto TVISCONES, *Duishen*. Habentq́; Teutonum nomen etiam annalium scriptores. Vt augurari coniectando libeat, semper id, inde à prima gentis immigratione, Germaniam conseruasse, constantiq́; & solenni quadam vsurpatione colonis suis impertiuisse: Forsitan à tali quopiã euentu, quòd latè ibi Teutones imperassent, eaq́; res nomini auctoritatem illam peperisset. Enimuerò Tuisconis regnum præter Berosum Tacitus quoq́; retulit. Etsi equidem hoc de amplissima Teutonum potentia, sed quæ tamen quàm Berosus fabulatur, aliquanto posterius cœperit, accipere malim. Nec dissimile historiæ de Boiemia exemplum suppeditant, & conuenit Sueuorum in Vindelicis, Mysorũ in Hermundurorum finibus fortuna. Cùm enim Boiemiæ nomen id primùm BOII posuissent, idem postea inde tulerunt atq́; exportarunt MARCOMANI: quippe qui & ipsi Boij appellati fuerint, itaq́; adhuc hodie in Norico & Rhetia dicantur. Ac licet ex Henetis coloni, qui Marcomanis expulsis Boiemiam sibi vendicarunt, patria lingua CZECHI nominentur, Germani tamen & hos Boiemos vocitare malunt. Sueuos ab Alemanis, Mysos à Sorabis Henetis oppressos accepimus. Sed postea quam amborum dominatus desijt, etiam nomina obliterata fuere, pro quibus tanquam alienis & exoticis γνήσια καὶ ἐγχώρια Sueuorum & Mysorum reuocata etiamnum perdurant. Interea tamen de Henetis teneatur, hos à cæterarum gentium omnium consuetudine ita de Germanis variare, vt sua lingua NEMETZOS nuncupent. Ei voci muti significatum inesse videtur, vt intelligas alienæ linguæ homines, quemadmodum Græci extraneos Barbaros nominarunt, Saxones hodie *Vndeudshen*, Heluetij & Sueui *Welshen*. Et constat quidem idem nomen etiam Vngaris receptum, neq́; adeò recentioribus Græcis scriptoribus ignotum esse. Sic enim Zonaras Tom. 3. Nemetzi gens Gallica, &c. Id quod (vt & hoc obiter moneamus) veterum Græcorum more dictum, ita Nicephorus Gregoras imitatus fuit, vt & ipse Argonautas nostros, Godefridi Bilionei comites atque socios, Galatas nominarit.

Nunc ad HENETOS redeo. Quos communem cum Germanicis gentibus à Gomero originem ducere, sic quidem, vt quasi in partes discedentes filij & posteri discrimen inuexerint, suprà ostendimus. Ac quas Ascanes & Togorma gentes propagarint, vt eædem cum sanguinis iure etiam linguæ eiusdem commercium tueri perrexerint, & ipsum à nobis iam dictum est. A Riphato, qui tertius Gomero filius attribuitur, Iosephus PAPHLAGONES deriuauit. Ego ὁμωνύμως RHIPHÆOS de satu eius propago, hocq́; posteros Riphati omnium primum habuisse nomen autumo. Nam sequentibus temporibus magis Henetorum, & tertium Paphlagonum, inualuit, vt contrà Rhiphæorum in particulare degenerauit: de quibus Rhiphæis cùm satis diligenter explicent Plinius & Solinus, tum memorabile est, quod Mela habet lib. 1. cap. 6. Homerus quidem tam Paphlagones quàm Henetos nominauit Iliad. β. Et certum est è Liuio, Strabone & alijs, conditos ab his Henetis Venetos Italiæ & Galliæ. Etsi de primordijs eorum, & migratione in Europam, sequi rectius Strabonem quàm Liuium posse videmur. Quod nominis Heneti principium opiner, scripsi suprà. Suntq́; de altero Paphlagonum Stephani & Eusthathij à Paphlagone, Plinei F. fabulæ in medio. Cui insuper accedit, quod Paphlagonium fluuium Calaber memorat Paralip. lib. 2. Quod si tamen nomen Heneti è gentis lingua petitum, significat vagabundos, νομάδας, ab Honati, vagari, discursare. Sed quia eadem lingua id planè non vsurpat, fortè propius aberrauerimus à vero, si ab accolis Germanis profectum & in vsum deductum statuamus, eo pacto quo hi seipsos *Wallen* dixerunt, & vicissim ab Henetis Nemetzi appellati fuere. Pòst quarto loco celebrari cœpere SARMATÆ. Rectè enim Mela: Vna gens, aliquot populi & aliquot nomina, &c. De ijsdem etiam veteres Sarmatias duas, Asiaticam & Europæam, nuncuparunt. Nomini sunt qui Ebræam notionem assignent. Quam scholam persequi hîc commentando visum non fuit. Variant quoque nonnihil

enunciationem nominis ſcriptores Græci. Vocant enim, Σαυρομάται, quod cùm alij Latini Poetæ, tum Iuuenalis retinuit Sat. 2. Verſus, cùm ſententioſi ſint, adijcio:

*Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem*
*Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,*
*Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.*

Quas autem Sarmatarum nomine gentes auctores accipiant, peti è monumentis ipſorum ſatius fuerit. Tantum iſtud ex Ptolemæo obſeruetur, vtrunque ab auctore illi tradi, & Sarmatiam maximas gentes incoluiſſe, & Venedas (intelligit autem Henetos, quemadmodum eoſdem Tacitus Venedos & Fennos nominauit: meminitq; Plinius lib. 37. cap. 3. Venetos Græcis Henetos dici) ad totum Venedicum ſinum ſedes tenuiſſe. Sic enim locus iſte habet, non, vt perperam aliqui citarunt, Henetos maximam gentem Sarmatiæ fuiſſe: licet vt hoc credere rectè poſſimus, permulta atteſtentur. Obſcuratum tamen paulatim & Sarmatarum nomen inuenimus, ita quidem vt ſoli SORABI & SERVII id conſeruaſſe exiſtimentur. Etenim ſonus admodum affinis eſt, vt in Latina lingua litterarum b & m. Cœpitq; circa Maurícij Cæſ. tempora vulgatius fieri SLAVORVM nomen. Facio ergo id in gente hac quintum, & notionem è lingua eiuſdem eſſe puto à gloria, qua præferri fortè alijs populis voluere, ac ſi dicas glorioſos vel claros. Recenſet autem pleraſq; Slauorum gentes Helmoldus lib. 1. cap. 1. & ſeq. Neq; enim omnes habet, omiſſis ad Borealem plagam Moſchis, ad ortum Circaſſis, ad meridiem Bulgaris, Seruijs, Boſſinis, Raſcijs, Croatis (niſi fortè hos quiſpiam illi Carinthios dici malit) & quos propriè Slauos in Slauonia appellamus. Et omnino de Sorabis explicauit obſcurius, ignoratq; protſus Luzicos, Caſſubios & Sileſios. Nam Ditmarus duas facere Soraborum gentes videtur, DALAMANTAS & MILZENOS. Luzicorum, quos idẽ Ditmarus memorat, hodie nomen referunt LVSATII. SILESIOS nõdum tum innotuiſſe ſuſpicari poſſumus: & expoſuimus noſtras de nomine illo cõiecturas alibi. Iam nec iſtud hoc loco omittendum, quod auctor epitomes in Strabonem ſcriptum reliquit, nempe repletas itidem Slauorum colonijs haſce prouincias fuiſſe: Epirum, Macedoniam, Græciam. Sanè Peloponneſus hodie nomine Heneto Morea dicitur. Verùm de his membratim agere, omniaq; ad viuum reſecare, inſtituti noſtri non eſt. Scimusq; Italicę linguæ conſuetudine hac noſtra tempeſtate Slauorum nomen in contemtum & probrum trahi. Appellantur enim eo ſeruilis conditionis homines: forſitan quadam Ægyptiorum Sarracenorum, ſub Mamaluchorum dominatu, imitatione: de qua qui volet peregrinatorum Hieroſolymitana itineraria conſulat. Nec noſtra lingua id amplius agnoſcit, ſed vetus Henetorum nomẽ retinet. Dicimus enim *die Wenden*, *Wendiſchen vœlcker*, & Slauoniam *die Wendiſche Marck*. Quæ cùm ita ſint, craſſum inde Helmoldi ſeu memoriolæ ſeu ignorantiæ patet σφάλμα. Etenim cùm Slauorum Chronica promittat, tantùm in Henetorum hiſtoria ſubſiſtit. De quibus Henetis neq; hoc prætereundum duximus, intelligi nomine eo ab Helmoldo gentes, quas etiam Ptolemæus propriè Venedas appellaſſe videtur. Paulatim enim latius in Germaniam progreſſi, ad Viadrum & Albim acceſſere, deniq; tam in Oſtualorum quàm in Weſtualorum Saxoniam colonias deduxere. Nam vt territorium Luneburg. ita & Weſtualia in confinio Lemgouiæ vrbis Henetorum pagos habet. Nec niſi enunciatione diſcernenda nomina ſunt, VENEDÆ, VENEDI, HENETI, VENETI, WINITHI, WINVLI, quæ poſtrema duo apud Helmoldum legimus. Nam quod idem à Vandalis propagauit, eoq; nomine antiquitus Henetos appellatos tradit, hunc vulgatum quidem, ſed planè putidum errorem, ſuprà refellimus.

Reſtat iam nomenclationem Henetarum gentium, de quibus tam ab Helmoldo quàm ab alijs annalium ſcriptoribus explicatur, attexamus. Quæ cùm vnà cum nominibus ſuis maxima parte extinctæ ſint, nos inſtitutum illud ita perſequemur, vt ſimul quas ſingulæ ſedes tenuerint, aut quę hodie nomina in locum eorum ſucceſſerint, explanemus. Primùm igitur ſecundum littus maris Baltici, ac deinde poſt Viadrum ad occidentalem plagam, vt loquitur Helmoldus, occurrunt:

Pome-

Pomerani.
Wilzi, hisq́; oppoſiti Rugiani inſulares.
Warnaui.
Obotriti.
Polabi.
Wagiri.
Lingones.

Pomerani, veteri appellatione adhuc celebres, ſonant maritimos. Sunt tamen fines gentis hodie quàm olim multo anguſtiores. Conſtat & alterum iſtud ex Helmoldo, gentes eorum plures fuiſſe.

Wilzi & Lvtici, ſeu Lutitij, appellatæ hæ quatuor gentes fuere:
Tolenzi.
Redarij, qui & Riaduri.
Circipani.
Kyzini.

Significant aũt Wilzi lupinos, fortè à moribus barbaris, ſeu latrocinandi & prędandi conſuetudine.

Tolenzos & Redarios alibi Helmoldus pro eadem gente accipit. Videnturq́; hi quidem ab vrbe Rethra dicti, illi ab amne Tolenſo, qui idem & ſedem eorum arguit. Redarij Stetinenſium fines inter Panim & Viadrum incoluere.

Circipani à Pani fl. nomen traxerunt. Sedes habuere ad Gripſualdiam, Wolgaſtum & Sondium.

Kyzini ad Gucegouium oppidum conſedere, & eidem fortè de ſe nomen reliquere.

Rvgiani, ſeu Rani (quia hoc ex illo contractum puto) à Rugia inſula nomen mutuati ſunt, quemadmodum Czechos de Boiemia appellamus Boiemos. Habuit autem Rugia primos colonos Rugios, qui duce Odoacro Romam & Italiam ante Oſtgotthorum aduentum tenuere. Eſtq́; nomen à quiete, ac ſi dicas pacificos ſeu tranquillos.

Warnavi à Warnauo fluuio in agro Roſtochienſi nuncupati fuere.

Obotriti Megalburgenſem terram poſſederunt.

Polabos ſuſpicor à regionis planicie nomen ſibi indidiſſe. Oppidum habuere primarium Raceburgum, initio Comitatu, pòſt Epiſcopatu celebre.

Wagiri habitarunt ad Aldeburgum, & ipſum Epiſcopatu olim clarum oppidum. Nam poſtea temporis Geroldo Præſule auctore Lubecam is tranſlatus fuit.

Lingones & Linos non diſcerno. Hos Helmoldus lib. 1. cap. 1. illos cap. 38. nominauit. Conſeruarunt nomen eorum Lune & Luneburgum. Hunc enim tractum poſſediſſe perhibentur.

Cæteræ Henetorum gentes in Orientali Slauia, vt alibi Helmoldus loquitur, ſeu intra Albim & Viadrum, hoc eſt in Marchia Brandeburg. conſederunt. Nomina earum ſunt:
Hervli, ſeu Heueldi.
Levbvsii.
Wilini.
Stoderani.
Brizani, cum multis alijs, quemadmodum eſt apud Helmoldum.

Herulorum ſeu Heueldorum ſedes fuit ad fluuium Hauelum. Atque haud ſcio, an non inde Heueldorum nomen manarit. Herulos de Herulis Germanis appellatos crediderim, fortè quòd in ſedes horum ſucceſſerint. Inhæſitq́; nomen ipſorum oppido Werlo in Obotritorum finibus. Significant autem Heruli vagabundos ſeu peregrinantes, ſicuti de eadem origine Saxones mundum vocant *die Werlt.*

Leubuſij oppido Lebuſio nomen dedere. Nobilitauit id Epiſcopatus. Neque exiguam gentem fuiſſe, documentum præbet Leubuſium monaſterium in Sileſia: quippe quod & ipſum Leubuſiorum nomen referat.

Wilinis & Stoderanis è recentioribus quidam ſedes ad Berlinum & Brandeburgum attribuunt. Helmoldus Stoderanos & Brizanos in agro Hauelbergenſi & Brandeburg. collocauit. Reliquum autem hodie eſt Brizanorum nomen in oppidis Britzen & Britz: Quorum illud ab egregia erga Principes ſuos fide cognomentum tulit, & hac noſtra memoria perquam felicia ingenia procreauit. Nati enim ibi ſunt MARTINVS CHEMNICIVS Theolog. IOANNES COPVS, IOACHIMVS GREGORII, & IOACHIMVS MAVRICIVS, Iureconſulti, viri dignitate, virtute, & egregia doctrinæ eruditione clariſſimi, quiq; etiamnum ſuperſtites ſint. Nam Chemnicius Brunſuigæ Superintendentem agit: in reliquis tribus Copus apud illuſtriſſ. Electorem Brandeburg. Ioachimus Mauricius in aula Pomeran. intimi & primarij Conſiliarij, Ioachimus Gregorij apud Principes Megalburg. Cancellarij munus promeruere, ſummaq; hactenus cum laude geſſerunt.

In fine aliquid adijciendum eſſet de nominibus *Balſamerland* & *Marshinerland*, quæ Helmoldi hiſtoria habet lib. 1. cap. 89. Verùm de poſteriore res per ſe plana videbatur: de altero operam eam præſtitimus in hiſtoria de vita & rebus geſtis Viperti Groicenſis: vnde qui volet, repetat. Rectè autem Helmoldus vocem *Marshinerland* interpretatur terram campeſtrem & paluſtrem. Dicitur enim Saxonico idiomate *Marſch* ἤπειρος, vel ad amnem planicies. Eſtq; inde vetus Marſorum nomen, eſt etiam oppidi *Merſeburg* notio, non à Marte, vt vulgus ſcriptorum comminiſcitur. Nec minus eodem loco de duabus in tractus illos deductis colonijs, hoc eſt, altera Saxonum ab Othonibus, altera Belgarum ab Alberto Vrſo, Helmoldi expoſitio memorabilis eſt. Sed hoc indicari tantùm, non explicari à nobis debebat.

## ALTERA APPENDIX,

# CONTINENS SYLVVLAM DE ILLVSTRISS. BILLINGORVM FAMILIA, CONCINNATA E DIVERSIS ANNALIBVS:

AVCTORE

REINERO REINECCIO STEINHEMIO.



AMILIA BILLINGANA, quæ Ducum dignitate & nomine altera Saxoniæ imperauit, à conditore BILLICHO ſeu Billingo (vtranq; enim ſcripturam annales habent) denominationem tulit, idq; ex veteri gentium noſtrarum lingua vernacula patronymica & gentilia, quæ Grammaticis dicuntur, formandi conſuetudine. Vſitata enim his fuit, vt in familiarum, ita etiam in populorum nuncupationibus terminatio *ingk*. Exempla ſimilia reliqua ſunt, de populis quidem in Salingis & Lotharingis: quorum illud à Sala fluuio profectum, & parti Francorum tributum fuit: hoc Lotharium Cæſarē, Ludouici Pij F. auctorem habuit, manſitq; ijs Belgij & Galliæ Lugdunenſis tractibus, qui poſt inſtitutam cum fratribus prouinciarum diuiſionem, illi obuenere: de familijs verò in Merouingis & Carolingis: quorum illud de Merouei regis, hoc de Caroli M. poſteris, qui in Gallico Francorum regno Merouingos excepere, vſurpatum

patum

patum eſt. Cæterùm vt ad Billichum expoſitio redeat, genere quidem illum nobili, ſed patrimonio & cenſu pertenui fuiſſe, accepimus: quippe qui agreſtium tantùm ſeptem in villa Stubegeshorn ad oppidum Soltaw, vt Chron. Saxon. Salzam Turingorum, vt alij, Dominus extiterit. Traditurq; hoc de eo alterum, & ipſum & maiores à ſede illa ſe denominaſſe.

Geniti Billicho filij fuere: HERMANNVS, Wigmanus & Vdo.

HERMANNVS, vixit in familia OTHONIS M. Cæſ. & principiò quidem haud alia quàm vulgaris aulici conditione & nomine vixit. Pòſt virtute creuit: atq; Othoni I I. adoleſcentiæ & morum informator adiunctus, ita ſe Imperatori probauit, vt is Italiam petiturus, Saxoniæ Hermanno procurationem commiſerit. Hoc munus cùm ſumma iuſtitiæ & innocentiæ fama per quinquennium geſſiſſet, & obijſſet interea GERO Comes, poſſeſſionibus huius munificentia Imperatoris donatur, & DVX SAXONIÆ, eius inquam, quæ ad Albim eſt (diuerſus enim ab hoc Ducatus fuit ad Viſurgim, vt annales Saxon.) ſalutatur. Vbi in Imperio patri ſucceſſit OTHO II. gratiam eius retinet veterem. Et cùm dignitas ipſius vreret plurimos, nullos tamen infeſtiores aduerſarios quàm fratrem Wigmanum & eius filium habuit. A Slauis, Albis accolis, multum ei negotij faceſſitum. Fecit tamen in his Meſtoueum, gentis Principem, tributarium. Ab Adalberto, Archiepiſ. Magdeburg. mirificè adamatus, omniq; honorum & officiorũ genere cultus, alieniorem Brunonem Verdenſem experitur: Qui cùm nihil de offenſa remitteret, tandemq; Hermannum execratione Eccleſiaſtica ſacris arceret, moritur is hoc rerum ſtatu Quedlinburgi, vt Ditmarus Merſepurg. anno Chriſti D. CCCC. LXXXI. vt Chronic. Saxon. additum habent. Explicauit de ortu & incrementis Hermanni præclarè Helmoldus noſter lib. I. cap. 10. Chronic. Saxon. arcem Luneburgi ab eo inſtauratam, & vrbem, quæ antea vicus eſſet, conditam affirmant. Habet eiuſdem vrbis notionem veram Crancius lib. 4. Saxon. cap. 16.

Wigmanus, vir vt manu promtus, ita conſilijs ſolers, inuidet Hermanno fratri Ducis dignitatem, ideoq; aula aliquantiſper abſtinet. Pòſt eius inſtituti pœnitens, cùm temeritatis veniam à Cæſare impetraſſet, in fide illius deinde vſque ad vitæ finem conſtanter permanet. Auctor eſt Witichindus lib. 2.

Wigmanus, adducturus militum ſupplementum OTHONI M. Cæſ. Ludolfum F. ad Moguntiam oppugnanti, funditur ab hoſte in itinere: & in arce quadam obſeſſus, certis pactionibus dimittitur, occulteq; ab Hermanno patruo alienatur. Hunc cùm deinde de patrimonio interuerſo palàm criminaretur, & cauſa in iudicium ducta, ea Cæſaris ſententia cecidiſſet, in cuſtodiam datur. Inde elapſus, arma capit, & graues in Slauis motus ciet, gente ad rebellionem inflammata. Ideo cùm Cæſar eum perduellionis damnaſſet, & Slauos contendere prælio auſos, ingenti ſtrage profligaſſet, in Galliam exulatum it. Aliquanto pòſt per Geronem Comitem Cæſari reconciliatus, cùm nouas turbas daret, & pœnã à Cæſare metueret, iterum ad Slauos profugit. Quibus cupidè eum ſuſcipientibus, fortia in his facinora multa edit. Ad extremum victus à Miſeca dynaſta, Cæſaris confœderato, & è fuga in villam quandam compulſus, dedere ſe barbaro dedignatur, citiusq; eum ſpiritus quàm animus ſe defendendi deficit. Cùm enim præ vulneribus & laſſitudine vix anhelitum duceret, gladium iam moribundus ita hoſti tradit, vt ante vinculorum dedecus expirarit. Witichindus lib. 3.

Vdo, refertur mentione Witichindi lib. 2.

Gebehardus, perijt in bello Dancmari & Eberhardi Franci, cùm militaret Hẽrico Rixoſo, vt Witichindus.

Fuit cum HERMANNO Hildegardis Weſterburgia: è qua liberos ſuſtulit mares, Bennonem vel Bernonem & Lotharium: fœminas Suanhildam & Mathildam, vt Chronic. Saxon. & Onomaſt. Pyrn. Ditmarus Merſepurg. addidit tertium filium Ditmarum, & Bennonem Bernhardum vocat. Quod Helmoldus, annales Saxon. Engelhuſius & Crancius inuertentes, Bernhardum Bennonis F. Hermanni N. faciunt. Placuit autem mihi è Ditmaro Bernhardi nomen retinere, ſic tamẽ

vt alterum Bennonis è cæteris, quos dixi, auctoribus illi non adimam. Et cùm de filio controuersia nulla sit, ex omnium consensu hunc Bernhardum appello.

BERNHARDVS, alijs Benno & Berno, agit à patris obitu frustra de expiatione huius cum Verdensi Præsule. Pòst OTHONEM II. Cæs. ad expeditionem Danicam consectatur. Cum eodem Romam profecturus, retrahitur nouo Danorum motu. Henrico Hezeloni contra OTHONEM III. imperium affectanti, vt qui maximè aduersatur. Cùm Sigefridus & Henricus, Comites, Ditmari Mersepurg. auunculi, in Slauorum potestatem peruenissent, pro liberatione eorum pecuniam dependit. Ab Othonis III. morte stetit à partibus ECCARDI Marchionis. Sed aliquãto pòst HENRICO II. reconciliatus, humaniter pro Henrico Austriaco intercedit. Cùm Imperator bellum in BOLESLAVM Polonum meditaretur, primùm de pace cum hoc amicè agit: sed posteaquam nihil profecit, eodem bello Imperatori militat, & ita militat, vt parte alia hostem inuaderet. Hoc instituto ab Imperatore diuulsus, cùm deinde coniungere se illi nullo pacto posset, expeditionem eam irritam reddit. Hæc ex Ditmaro Mersepurg. Addidere annales Saxon. Slauos eum in officio & Christianæ religionis cultu retinuisse. Helmoldus cùm vt Principem bonum & fortem prædicet, contrà auaritiæ & immodicarum exactionum insimulat.

Lotharius, possedit transalbinam prouinciam, vt Crancius, hoc est Stormariã, Holsatiam & Ditmarsiam. In eius rebus gestis hoc habent annales Saxon. secutum OTHONEM III. Cæs. cum Bernhardo fratre Romam. Quod Crancius addit, ab ijsdem oppressum fuisse Eccardum Marchionem, Henrici II. æmulum, huic fidẽ derogant Ditmari Mersepurg. expositiones. Diuersus enim fuit Lotharius Comes, qui Eccardo se opposuit, ab hoc Lothario: nec contentio ipsorum ad cædem processit, sed ab alijs illa auctoribus extitit. Vxoris eius Emmæ encomium habet Crancius lib. 4. Saxon. cap. 29.

Ditmarus, spoliauit per iniuriam Meinvercum Præsulem, vt Ditmarus Mersepurg. lib. 7.

Suanhilda, fuit in matrimonio Ditmari, Marchionis Turingiæ, deinde Eccardi, qui contra Henricum II. Cæs. imperium affectauit. Onomast. Pyrn.

Habuit BERNHARDVS vxorem Beilam Stetinensem, vt Chron. Saxon. & Crancius, vnde nati, BERNHARDVS, Ditmarus & Bruno. In annalibus Saxon. additur Hermannus, sed sine rerum gestarum mentione.

BERNHARDVS, aduersatur, quemadmodum suspicor, de patris exemplo HENRICO II. Cæs. sed conatu & euentu infausto. Sub idem enim tempus Slaui, quos primùm exactionibus immodicis, deinde cõtumelijs irritasset, ab eo defecere, & abiecta cum alieni imperij iugo etiam Christianismi professione, fines eius igne & ferro vastarunt. Quare cùm huic malo occursurus, reconciliationi Cæsaris studeret, eamq; Vnuani, Archiepis. Magdeburg. opera impetrasset, partim eiusdẽ Vnuani solertia, partim armis Slauos pacat, & simul ab iniurijs in ordinem Ecclesiasticum temperat. Nam & huic antea grauis fuerat, vt Helmoldus & Crancius. Interea tamen patris fortunam nulla parte æquat, vt annales Saxon. auaritia inexplebili cæteras eius virtutes obscurante. Cùm Godescalcum Obotritũ, cum prædonum manu Saxoniam vastantem, intercepisset, & aliquandiu in vinculis habuisset, tandem vt virum fortem dimittit honorificè, & fœdus cum eo facit. Aliquanto pòst de auxilijs interpellatus à Redarijs Slauis, promto hæc studio subministrat: sed à victoria pręclarissimè parta, Christianismi ingente illa instaurandi omni mẽtione omissa, tantùm prædæ inhiat. Moritur sub initium imperij Henrici IIII. Cęs. cùm fuisset in magistratu annos 40. vt Helmoldus & Crancius, & Luneburgi in templo arcis ante aram S. Crucis inhumatur.

Ditmarus, interijt in adolescentiæ flore, vt Chronic. Saxon. Nam Crancius variat, & patri superstitem, Comitatum Stormariæ tenuisse, ait.

Bruno, consecutus est Episcopatum Aldenburg. vt Chronic. Saxon. Crancius iterum discrepans, in pueritia mortuum, ait.

Cum Bernhardo, Bernhardi F. connupta fuit Bertrada, regis Noruegiæ F. vt Chronic.

Chronic. Saxon. Engelhusius & Onomast. Pyrn. vnde liberos procreauit, ORDOLFVM & Hermannum.

ORDOLFVS, succedit in patris dignitatem, sed possessiones auitas æqualiter cum fratre dispertitur. Inde primùm viribus imminutus, etsi à morte fratris imperium ei patris redijt integrum, fortuna tamen non redijt. Nam ex auaritiæ eius memoria hostes Slauos accepit: cum quibus licet sæpè neq; instrenuè armis contenderit, semper tamen inferior discessit, quemadmodum est apud Helmoldum. Accidit & hæc ei longè grauissima calamitas, quòd vxor prima ab hoste capta, cum cruciatu necata est. Quare contemtui tandem suis esse cœpit. Nec opis quicquam in Godescalci Obotriti filios, qui ob patris cędem à popularibus dissidentes, vnum perfugium, vnam spem, in eo haberent, conferre potuit. Cedit è vita in ista fortuna sua, anno principatus duodecimo.

Hermannus, retinuit è paternis possessionibus tractum in Slauis, vt Chronic. Saxon. Comitatum Holsatiæ vel Oldeburgi, vt Crancius. Vixit perpetuò cœlebs, diemq; suum obit anno principatus quinto.

ORDOLFI coniuges duæ memorantur, prima Gisela, Magni, regis Daniæ & Noruegiæ F. vnde nati MAGNVS & Otho: altera Gertrudis, Conradi Brandeburg. F. qua editus Bernhardus, adhuc puer à præferoce equo excutitur, ex eaq; illisione interit, vt annales Saxon. Onomast. Pyrn. addidit quartum Hermannum.

MAGNVS, iuuat copijs auxiliaribus Buthuen, Godescalci Obotriti F. Pòst cum fratre huius Henrico, qui in verba eius iurasset, in Slauos rebelles ipse profectus, victoriam post homines natos reportat de barbaris præclarissimam. In Saxonico aduersus Henricum IIII. Cæs. tumultu cum cæteris se proceribus coniungit: cumq; deinde cum ijsdem è Rudolfi Sueui sponsione se Cæsari permisisset, Ticinum cum Friderico, Palatino Saxoniæ, relegatur. Reductus inde in Germaniā, & in custodiam datus, vitam in ea calamitate cum morte commutat, circa annum Christi 1106. vt Crancius.

Otho, duxit in vxorem Margaritam, Conradi, Ducis Sueuorum F. vt Onomast. Pyrn. Irmengardin, vt Chronic. Saxon. vnde liberi ei geniti:


| | |
|---|---|
| Cuno, perimitur ferro sub annū Christi 1105. vt Chronic. Saxon. Meminit Crancius lib. 5. Saxon. cap. 26. | Henricus, potitus parte Frisiæ, occiditur ibi ex insidijs. Ibidem. |

Hermannus, conijcitur in vincula ab Henrico IIII. Cæs. vt Onomast. Pyrn.

Cum MAGNO fuit Sophia, Ladislai, regis Vngariæ F. vnde natæ filiæ, Elica & Wulfhildis.

Elica, sociatur matrimonio Othoni, Comiti de Ballensted, mater Alberti Vrsi, auia Bernhardi, Ducis Saxon. Wulfhildis Henrico, Duci Bauariæ, mater Henrici Superbi, auia HENRICI LEONIS.

# FAMILIÆ BILLINGANÆ STEMMA.




TERTIA





# TERTIA APPENDIX,

# DE GENEALOGIA MARCHIONVM ESTENSIVM, ET DVCVM FERRARIÆ,

## AVCTORE HIERONYMO FALETO.



ENTEM Atiam, à qua hæc familiæ Estensis, per tot secula continuata series, radicem educit, Romæ L. Valerio Flacco & C. Mario, C. F. Coss. floruisse compertum est; maximè verò M. Atio Balbo, M. F. C. Cæsaris Augusti auo materno, quam tanquam Imperij sequacem in Gallia transpadana militum & populorum præfecturas consecutam, constat: atq; huius C. Atij, qui vixit imperante THEODOSIO, reliquorumq; monumentis fuisse clarissimam, vt omittamus complures vetustioris tempestatis, ac præsertim Atium Nauium, cui statuam Romulus erexit.

### *C. Atius*, C. F.

Ex Martia, decurio IIII vir. Ateste Anno salutis CCCC. II. Obijt CCCC. XI. Ex Thoma Aquileiensi, Nicolao Casolio, Bartholomæo Gerardino & inscriptione vetustiss. lapidis.

- Luxonia. Ex Nicolao Casolio & lapid. inscript.
- C. Xilus. Ex inscriptione lapid.
- Aurelius, Vindelicorum præfectus. Vxor Norica. Obijt 418. Ex Thoma Aquileiensi & lapid. inscript.
  - a
- Flauius, obijt sine liberis. Ex Atestinorum Annalib. & lapidis inscript.

α

Forestus, alijs Horestus, Atestis, Montis Silicis, Vicetiæ, Feltriæ Princeps 428. Obijt 453. Vxor Constantia. Ex Aquileiensi, Casolio, Gerardino & lapid. inscript.

Tiberius, Atestis, Montis Silicis, Vicetiæ, Feltriæ Princeps CD.XVIII. Obijt 428. Vxor Iucunda, Valerij Rutheni F. Ex Nicolao Casolio, Scardonio & lapid. inscript.

Acharius, aliâs Acarius, Atestis Princeps 453. Vxor Gardena Damascena, & Amalosuntha, Theodorici, Francorum Ducis, filia. Ex Aquileiensi, Casolio, Palmer. Gerardino & lapid. inscriptionibus.

Maruellus. Vxor Thesaurea. Obijt 458. Ex Aquileiensi, Casol. Prisciano, Gerardino & lapid. inscript.

Alforisius, Feltriæ præfectus 454. Vxor Arepantina, Russiæ regis F. Obijt 475. Ex Thoma Aquil. Casolio, Prisciano, Gerardino & lapid. inscript.

Renestus, obijt 454. Ex Thoma Aquil. Casolio, Prisciano, Gerardino & lapid. inscript.

Constantius. Vxor Arthusia, Æbrini Gotthi F. 499. Obijt 538. Ex Casol. Vito Rauennate, Prosdocimo & Hieron. Atestino.

Azo I. Atestis Princeps. Vxor Theodonis, Boiorum reguli F. Obijt 528. Ex Casol. Vito Rauennate & Prosdoc.

Sabinus, aliâs Sabinianus, 614. Præfectus Illyrici 505. Obijt 518. Ex Casol. Iornande & Gerardino.

Maximus, DCCCLXXIV. Ex Casolio, Gerardino & Prosdocimo.

Tiberius II. ex lapid. inscript.

Atestius. Ex Casol. Gerardino & lapid. inscript.

Basilius, Atestis, Vicetiæ, Feltriæ Princeps, 651. Obijt 664. VI. Cal. Augusti. Ex Casol. Gerardino & lapid. inscriptionib.

Seuerianus. Ex Fast. libris.

Bonifacius. Vxor Elida. Obijt D.LII. Ex Casolio, Gerardino & alijs.

Valerianus. Vxor Constantia D.LXIV. Obijt D.XC. Ex Marcellino, Prosdocimo & alijs.

Gundelardus I. Obijt D.LXXXIII. Ex Feronio, Ioanne Heroldo & alijs.

Aldoardus. Vxor, Sigulfi Foroiulij præfecti F. D.XCIII. Obijt DC.XXXIV. Ex Hermando & alijs.

Heribertus, Atestis, Montis Silicis Princeps DC.XXXV. Obijt DC.XCIIII. Ex inscriptione lapidum & Atestinorum Annal.

Aldoardus II. DCC. Ex lapid. inscript. & Atestinorum Annalibus

Ernestus, Atestis, Montis Silicis Princeps 699. Vxor Theodora. Obijt DCC.XLIX. Ex Hermanno & lapid. inscript. & Cælio.

Regifredus DCC.XXII. Ex Hermanno, Cælio & lapid. inscript.

Henricus I. Atestis Comes, Taruisij præfectus. Vxor Atestia, 749. Occisus 780. Ex Funccio, Auentino, lapid. inscriptione & Caroli M. diplomat. Placman. Ether. Lothar. & Ludouici Aquisgrani 854.

Behomannus, vt in Regifredo.

Beringarius, Estensis Comes 801. Obijt 840.

β

Otho I. Estensis Cimacleus Comes, 854. Vxor Lada, Cadolochi, præfecti Foroiulij F. Obijt 878. Ex priuil. Lotharij & Ludouici Impp. Aquisgrani 854. & lapid. inscriptione.

γ

Martia, Vxor Olibrij Metamausi Tribuni DCCC.II. Ex Venetorum Annalibus & lapid. inscriptione.

Obizo I. DCCC.XIII. Ex Luitprando.

β

Apaldus, Ex Testamento Iuglandæ.

Iuglanda, Comitissa Latij. Ex eius Testamento 896.

Petrus, Rauennæ Diaconus 900. Ex eius Testamento.

Hunibaldus, Camerini & Spoleti Marchio 845. Ex Gregorio v. Ioann. Funccio & alijs.

Gotifredus II.

Adelengus Azo 896. Obijt XMI.

Vpaldus. Ex diplomate Mathildis Parmæ 1109.

Azo vt in Vpaldo.

Azo III. Obijt 954 Ex Mathildis priuilegio Parmæ M.C.I.

Wido. Ex Mathildis priuileg. Parmæ.

Hugo II. Thusciæ Comes, Mediolani & Genuę Marchio, 940. Obijt 953. Ex Ioann. Villan. & Othonis diplomat. 954.

Fulcus Estensis, Friburgi Comes 995 Obijt 1002 Ex Annal. Estens. & priuilegijs diuersis.

Aldubrandinus I. Ex Nauclero. Neandro & Martino Polono.

Azo v. Vxor Mathildis, filia Bonifacij, Lucæ, Mãtuæ, Parmæ, & Regij Principis. Ex Polistorio, Pandulpho, Ricobaldo, Platina & Blondo.

Obizo III. 1014. Obijt 1046.

Comnus. Vxor Bertha Maltrauasia. Obijt 1105. Ex inscript. lapid. & priuil. Mathild. dato Ferrar. 1099.

Hugo III. Estensis, Genuæ, Mediolani & Hetruriæ Marchio 995. Vxor Maria, Theodati Marchionis Parmensis F. Obijt 1014 Ex Villanio, Funccio, Petrucio & diplomat. Othonis III.

Azo IIII. Estensis Marchio 1014. Vxor Cunegunda, Guelfi II. Bauariæ Ducis F. Elizabeth, Marchionis Montisferrati F. & Iuditha, Conradi II. Imp. F. Obijt 1055. Ex Vrsperg. Auentino, Lamberto, Crancio.

δ

Valderta, Vxor Petri Candiani, Venetorũ Ducis, 911. Obijt 922 Ex Andrea Dandulo & Prisciano.

γ

Vbertus, Comes Estensis 916. Obijt 926. Ex Fũccio, diplomate Berengarij Regis Anno 916. & inscript. lapid.

Albertus, Marchio Thusciæ, Estensis Comes 926. Vxor Gisela, relicta Aldeberti, Eporedię Marchionis. Obijt 936. Ex Annalibus Venetorum, Ferrariensi & Funccio.

Sigifridus, alijs Sigebertus, Lucæ & Parmæ dominus 880. Obijt 945. Ex Leonhardo, Cadolo in vita Mathildis, diplomate Berengarij Regis Anno 916. & inscriptione lapid.

Sigifredus II. Lucæ dominus 970. Ex Cadolo in vita Mathildis & alijs.

Azo II. Estensis, Comes Genuæ, Marchio Mediolani 949. Vxor Hildegarda. Obijt 970. Ex Andrea Dandulo, Benedicto VI. Pont. & Priuileg. Othonis I. Anno 954.

Sigibertus II. alijs Albertus, Estensis Marchio & Friburgi Comes 970. Vxor Adelhais, alijs Alda, Othonis I. Imp. F. relicta Hugonis, Comitis Pariensis. Obijt 995. Ex Cadolo, Gerardo & Othonis diplom. 954.

Bonifacius II. Ex Cadolo & alijs.

Gotifredus, Episcopus Brixiensis. Ex vita Mathildis.

Theobaldus, Regij Lepidi, Parmæ, Lucæ & Ferrariæ Marchio 962. Obijt 1007. Vxor Guilia, alijs Volilia. Ex vita Mathildis, ex priuilegio Ioann. XII. Pont.

Maria, vxor Hugonis Marchionis. Ex vita Mathildis.

Bonifacius III. Marchio Estensis, Lucæ, Mantuæ, Ferrariæ, Parmæ Princeps. Vxor Richilda, Giselberti Principis F. & Beatrix Conradi II. Imp. F. 1038. Obijt 1052. Ex vita Mathildis & priu.

Mathildis, Ducissa & Comitissa: Vxor primò Gotifredi, Spoleti Ducis: secundò Azonis IIII. Marchionis: tertiò Guelfi v. Obijt 1115. Ex Vrspergens. Nauclero, Auentino, Vill. Sil. Funccio, Palmer. Sigiber. Plat. Blondo. Et ex Instrumento donat. facto in via Claudia 1090.

Federicus. Ex vita Mathildis.

Beatrix. Ex vita Mathildis.

Conradus. Ex Cadolo, Gerardo & alijs.

Theobaldus, Aretij Episcopus. Ex vita Mathildis & alijs.

Rodulphus. Obijt 961. Ex scriptoribus in vita Mathildis.

Gerardus, Parmæ Dominus 970. Ex Cadolo & alijs.

Martinus, Cimachi Comes. Obit 887. Ex Funccio, Venetorum Annalibus, diplomate Ioann. VIII. & inscript. lapid.

Hugo I. 980. Ex Mathildis diplomate 1109.

Arduinus 992. Ex diplomate Mathildis.

Anizo, vel Obizo II. Comes Cimachi 888. Obijt 925. Ex Funccio, diplomate Beringarij Regis & Hugonis Regis Ferrariæ 928. & inscript. lapid.

Almericus, Marchio Ferrariæ 928. Obijt 949. Vxor Ataperga, & Franca Atapergæ neptis. Ex Magonio, Funccio, Prisciano, diplomate Hugonis, regis Ferrariæ Anno 928. & ex Testamentis Almerici.

δ

Azo v i. — Welfus, vel Guelphus i i i i. — Albertus Marchio. Ex Prisciano lib. postr.

ε — ζ ϑ pag. 231.

*Hic oriuntur duæ præcipuæ familiæ: vna Ducum Ferrariæ in Italia: altera Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium in Saxonia.*

ε

*Idem est cum priore.* Azo v i. Marchio Estensis 1101. Vxor Mathildis, Henrici i i i. Imp. F. relicta Rodolphi, Italiæ Regis. Obijt 1110. Ex Auentino, Nauclero, Sabellico, Leandro, & priuilegijs Henrici i i i i. Atesti M. C. X I.

Hugo i i i i. Marchio Estensis. Obijt 1163. Ex Auentino & alijs & diplom. Henrici i i i i. An. i i i i. Atestino. Cælestini i i. Pont. 1143. Berengarij & Adalberti, Ital. reg. 1163.

Fulcus i i. Marchio Estens. Ex diplomat. Henrici i i i i. An. i i i i. Et Cælestini i i. Pont. Max. 1143. Berengarij, Adalberti R. 1163.

Welfus i i. Marchio Estens. Obijt 1141 Ex diplomat. Frid. i. Imp. & Laurentij, Episcopi Ameriensis. Cast. S. Seuerin. 1115.

Welfus i i i.

Bertoldus i. Marchio Estensis 1102. Vxor Sophia, filia Comitis Zaringię. Obijt 1118. Ex Nauclero, Auentino, Sabellico & alijs.

Albertus i i. Vxor Mathildis, Theodorici Wassenburgensis principis F. 1185.

Adolasia. — Oroniplasia.

Fulcus i i i. 1160. Ex diplomat. Welphi Ducis Spoleti 1159. in castris apud Cremam.

Obizo i i i i. Genuæ & Mediolani Marchio. Vxor Sophia 1159. Obijt 1184. Ex priuil. Welfi, Ducis Spoleti 1159. & Friderici 1184.

Bonifacius i i i i. Ex Auentino & diplomatibus Henrici i i i i.

Welfus i i i i. Ex Auentino & diplomatibus Welfi, Spoleti Ducis 1159.

Reinaldus i. Marchio 1155. Obijt 1175. Ex Petro Gerardo & alijs, & priuilegio Friderici i. Imp. Veronæ 1184.

Obizo v. Mediolani, Genuæ Marchio quartus, 1184. Vxor Sophia, Comitissa Veron. Obijt 1196. Ex priuilegijs Friderici i. & i i. Impp. & ex tabella, scripta Bononiæ, Anno 1232. manu Bonifacij nor.

Azo v i i. Estensis Marchio 1175. Obijt 1184.

Agnes, vxor Otholini Onarij, cognomento Monaci.

Albericus, Taruisij & Vicetiæ Princeps. Occisus 1260.

Bonifacius v. Ex priuilegijs Othonis i i i i. Imp. 1212. Id. Febr. Mediolani, & ex tabella scripta Bononiæ, Anno 1232. manu Bonifacij not.

Azo v i i i. Veron. Anconæ March. 1196. Vxor Leonora Thom. Com. Sabaudiæ F. & Merchesella, filia Adelardi de Alardis, & Helisia, Comitissa, filia Bonifacij 1212. Ex priuil. Henrici v. Philippi 1207. Othon. i v. 1210. Friderici i i. 1212. Innocentij i i. Pont. & Testamento ipsius Azonis 1212.

Constantia. Obijt in tenella ætate 1213. Ex Petro Gerardo, Hieron. Atestino & Testamento Atij patris eius Anno 1212. Veronæ.

D. Beatrix, Monacha in monte Gernubo, obijt 1226. Ex Alberto, Priore montis Vineariorum, Hieron. Atestino, Petro Gerard. Scardio & alijs.

Aldubrandinus i i. Marchio Ferrariæ, Anconæ & Veronæ 1212. Vxor Beatrix 1216. Ex Petro Gerardo, Benuenuto Imolensi & diplomat. Henrici v. Othonis i i i i. Friderici i i. 1212. Ratisbonæ & 1221. Benedicti & Innocentij i i i. Pont. Max. 1215. Viterbij.

Bonifacius v i. Estensis Marchio 1216. Obijt 1228. Ex Benuenuto Imolensi, Cælio Calcagnino & Onuphrio Panuinio.

Beatrix, vxor Andreæ, Vngariæ regis 1235. Ex Ioann. Turoxio & alijs.

Alexina, vxor Alberti Ducis Brunsuicensis.

Azo i x. alias Asolinus, Ferrar. Mant. Veron. Ancon. Marchio 1215. Calconis, Scodophiæ & maximæ partis Paduan. Dominus. Vxor Elisa, Reinaldi Antuerp. Princ. F. Obijt 1264. Ex priuileg. Oth. i i i i. 1210. Fulginij, Philippi 1207. Frider. i i. 1212. Ratisbonæ & 1221. Brundusij, & Honorij i i i. Pont. 1216. & sindicatu communis Pataiij 1215.

η

Beatrix, vxor Galeatij Manfredi Vicentini & Verardini Domini, postea Monacha in S. Anton. Ferrar. 1221.

Constantia, vxor Alberi Malaspinæ, Comitis Maremmæ. Ex Testamento Atij eius patris.

Rainaldus I I. Marchio Estensis. Vxor Adeleida, filia Alberici Romani 1233. Obijt in Apulia veneno cum vxore Anno 1252. Ex Petro Gerardo & diplomat. Innocentij Pont. Max. Perusij Anno x. Pont.

Petrus Abbas insulæ Pomposianæ 1300. Obijt 1309.

Obizo V I. Estensis, Anconæ, Ferrar. Veron. Lãderiar. Dominus, Mutinæ, Regij Marchio. Vxor Iacobina Flisca, relicta Nini Scoti: & Cõstãtia filia Alberti Scaligeri. Obijt 1293. Ex diplomatib. Rodolphi. Imp. 1275. & 1281. Norinberg. Et 1285. hic. Et Innocentij Pont. Perusij Anno 10. Pont. & Pasqui 1286.

Magdalena, vxor Aldubrandini Turri.

Franciscus I. Estensis & Anconæ Marchio 1309. Vxor Vrsina, filia Gentilis Vrsi, & Thaddæa, F. Ioannis Barbiani, Obijt 1312. Ex Seleucia Bonifacij V I I I. Anno 1299. Ex tabell. Florent. 1298. & concessione facta Aldubrandino hiocul0 1294.

Beatrix. Vxor Nini principis Galluræ, & Galeatij Vicecomitis.

Azo X. Marchio Estensis X V I. Anconæ & Ferrar. Mutinæ & Regij dominus, Comes Andriæ. Vxor Ioanna F. Gentilis Vrsi, & Beatrix, filia Caroli, regis Neapol. Obijt 1309. Ex diplomat. Mutin. & Regiens. 1293. & 1295. Et vt in Francisco.

Azo X I. Marchio Estens. Obijt 1318.

Bertoldus I I. Vxor Catharina F. Ritiardi Camini. Obijt 1343.

Franciscus I I. Vxor Catharina, filia Luchini Vicecomitis. Natus 1323. Obijt 1341.

Azo X I I. Natus 1340. Vxor filia domini de Colaltis. Obijt 1390.

Thadæus, imperator exercitus Venetorum, Illyricum, Aquileiam subegit 1402. Obijt 1447.

Bertoldus I I I. Imperator exercitus Venetorũ. Obijt Neapol. 1449.

Helena, Vxor Aloysij, Comitis à Turri.

N. Comes à Turri.

Aldubrandinus I I I. Marchio Estensis & Anconæ 1308. Vxor Alda F. Tobiæ Rangoni. Ex dominio recessit 1317. Obijt 1326.

Franciscus.

Nicolaus I. Marchio Estensis & Ancon. Vxor Iacobina, filia Vidonis Gonzagæ. Obijt 1344. Ex priuil. Francisci Danduli, Venetorũ ducis, 1331. & Ludouici IIII. Imp. dato Monaci 1324. & Clem. VI. Pont. Max. Auenione 1344.

Rainaldus I I I. natus 1336.

Elisa, Vxor Passerini Bonacosij. Obijt 1329.

Rainaldus IIII. Marchio Estensis, Ancone, Ferrar. Argentæ & Cimachi 1324. Vxor Io. F. Co. Barbiani. Obijt 1325. Ex priuilegijs Ludouici IIII. Imp. datis Monaci 1324. & Ioannis XXII. P. M. Auenione.

Beatrix, Vxor Iacobi, Principis Peloponnesi. Obijt 1339.

N. Princeps Peloponnesi.

Azo X I I I. Natus 1332.

Aldubrandinus, Episcopus Ferrariensis.

Obizo V I. Marchio Estensis, Ferrariæ, Mutinæ, Regij & Parmæ Caferonianæ 1344. Vxor Iacobina Pepula, Romæi F. & Lippa Areostia. Obijt 1352. Ex priuil. Caroli IIII. Mantuæ, & Ludouici IIII. Monaci 1324. Cal. V I. 1344. & Ioann. X X I I. Auenione 1328.

Beatrix, Vxor Voldemari, Co. Anhaltini. Ex priuil. Caroli I I I I. Pátauij 1354.

Comes Anhaltinus.

Elisa, Vxor Guidonis, Comitis Polentiæ. Ex priuilegio vt in Aldubrandino.

Alda, Vxor Ludouici Gonzagæ.

Franciscus, Marchio Mantuæ.

Constantia, Vxor Malatestæ Ariminensis. Obijt 1392.

Malatesta, Arimini Dominus.

Franciscus III. Marchio Estensis & Anconæ 1311. Ex tabella diuisionis bonorum Anno 1311. Ferrar.

Hugo, Marchio Estens. Anc. Ferrar. & Mut. Dominus. Ex priuil. vt in alijs fratribus.

Fulcus I I I I. Mar. Estens. & Ferrar. Natus 1342. Ex priuil. vt in Nicol. & Aldubrandino fratribus.

Bonifacius VII. Marchio Estensis 1358.

Aldubrandinus IIII. March. Estens. Ferrar. Mutinæ & Regij Dominus. Vxor Beatrix F. Ritiardi Camin. Obijt 1361. Ex priuil. Caroli IIII. Mantuæ dato, Patauij 1354. & Clement. V I. Pont. 1353.



V

Azo IIII. Marchio. Obijt in Creta insula 1402.

Obizo. — Gerardus.

Viridis, Vxor Corradi, Ducis Teck. postea Monacha in S. Guilielmo Ferrar. Obijt 1400.

Nicolaus, cognomento Claudus, Marchio Estensis, Dominus Mutinæ, Regij, Prodigij, Fauen. & Cugi 1376. Vxor Viridis, filia Alboini Scaligeri. Obijt 1388. Ex priuil. Caroli IIII. Mantuæ 1354. & 1361. Monaci & Clement. VI. Pont. 1353.

Rainaldus, Abbas Commendatarius Abbatiæ & insulæ Pomposianæ.

Constantia, Vxor Malatestæ Ariminensis.

Thadæa, Vxor Francisci, Carrariæ & Patauij Principis. — Franciscus iunior Carrariæ Princeps.

Albertus III. Marchio Estensis, Ferr. Mut & Regij Dominus 1388. Vxor Ioanna, filia Gabrini de Rubertis, Com. Tripolis & Scyllacei: & Isota de Albarisanis. Obijt 1403. Ex priuil. Bonifacij IX. Anno II. Pontif. & alijs vt in Nicolao & Aldubrand.

Azo XV. Vxor Francisci, Carrariæ, Veronæ & Patauij Princ. F.

Nicolaus II. Marchio Estensis, Ferrariæ, Mutinæ, Regij, Parmę & Flaminiæ Dominus 1440. Vxor Giliola, F. Francisc Carrari, & Paragina Malatesta, & Ritiarda, filia Marchionis Saluciarum. Obijt 1445. Ex diplom. Thomæ, Archiepiscopi Rauenn. 1418. Rauennæ, & ex tabella Ferrariæ scripta 1398.

Sigismundus, Marchio Estensis.

Leonellus, Marchio Estensis, Ferrariæ, Regij, Mutinæ Dominus 1441. Vxor Margarita Gonzaga, & Maria F. Alfonsi de Arragonia, regis Neapolitani. Obijt 1450.

Borsius, Marchio Estensis, Ferrar. Mut. & Regij Dux. Comes Rhodigij 1452. Obijt 1471.

Hercules I. Marchio Est. Ferr. Mut. Regij Dux II. Rhodigij Comes 1471. Brixilli & Castri noui 1478. Carporum 1500. Vxor Leonora, Ferd. regis Neapol. F.

Hippolytus I. S. R. E. Cardinal. 1495. Obijt 1520.

Sigismundus. Obijt 1524.

Alfonsus I. Ferrariæ, Mut. Regij Dux, Rhodigij Comes, Carporum princeps, Candorum, Baiusarum, Falesiæ, Cimachi, Semoneti & Bassiani D. 1505. Vxor Anna, F. Galeatij Mariæ Sfortiæ Mediolanensis Ducis, & Lucretia Borgia. Obijt 1534.

Ferdinandus.

Beatrix, Vxor Ludouici Sfortiæ Mediol. Ducis. — Franciscus Dux Mediolan. — Maximilianus Dux Mediol.

Isabella, Vxor Francisci Gonzagæ March. Mant. — Fridericus, Dux Mantuæ.

Albertus.

Alfonsus Montrell. Marchio ex Laura Eustochia. Vxor Iulia, filia Frācisci Mariæ, Vrbini Ducis.

Alfonsinus, castri noui Domi nus ex Laura Eustochia. Obijt 1547.

Leonora, Monacha in monasterio Corporis Christi Ferr.

Hippolytus, II. S. R. E. Card. Ferrariensis 1539.

Hercules II. Ferrar. Mut. Regij & Carnutorum Dux. Marchio Estens. & montis Arguli, Carp. Princ. Rhodigij & Gihordij Comes, Caferonianæ, Feroniani, Flaminię, Candorum, Baiusarū, Faleię & Cimachi D. S. R. E. Capitaneus generalis, & Henrici II. Gallorū Regis, Locum tenens generalis in Italia. Vxor Renata Ludouic. XII Gallorū regis F. Obijt 1559.

Franciscus Estens. Malcæ & Peduliæ Marchio, Comes Auellini. Vxor Maria Cardona.

Alexander. Obijt Anno 1514.

Alexander.

Aloisius S.R.E. Cardinal. Estensis 1561.

Alfonsus II. Ferr. Mut. Regij, &c. Marchio Estensis, &c. Comes Rhodigij, Princeps Carp. &c. Dominus Prouinciarum Flaminiæ, Caferonianæ, Feroniani, Cimachi, Candorum, Baiacarum & Falesiæ, &c. 1558. Vxor Lucretia, Cosmi Florentiæ Ducis F.

Anna, Vxor Francisci Lotharingi, Ducis Guisiæ.

Lucretia.

Leonora.

FINIS GENEALOGIÆ FERRARIENSIS.

Supra pag. 228.

Welfus, vel Guelfo Sardinæ princeps, Nortgoiæ, Carinthiæ, Veronæ Marchio, Sueuiæ & Spoleti Dux 1055. Vxor Othonis, Bauariæ & Sax. Ducis filia, repudiata, & Iuditha, Balduini Flandriæ Com. F. relicta Tostonis Anglorum. Obijt 1101 Ex Vrsperg. Nauclero, Auentino, Munstero & alijs, & priuil. Henrici III. & IIII. Impp. & inscript. lapid.

- Henricus II. cognomento Catulus, Dux Bauariæ, Saxon. 1118. Vxor Vulphildis, Magni Bilingi, Saxon. Ducis F. & Sophia F. Lazæ, Vngariæ regis. Obijt 1125. Ex Vrsperg Auentino, Nauclero & alijs.
- Welfus V. Bauariæ, Sueuiæ Dux, Marchio Veronensis M. C. I. Vxor Mathildis, Bonifacij F. Obijt 1118. Ex Vrsperg. Othon. Frising. Nauclero, Auentino & alijs.

Children of Henricus II.:

- Henricus III. cognomento Superbus, Dux Bauar. Sax. 1125. Spoleti & Thusciæ 1137. Vxor Gertrudis, Lotharij Imp. F. 1193. Ex Vrsperg. Fru. & diplom. Lotharij.
  - Henricus IIII. cognomento Leo, Dux Sax. Bauariæ 1140. Vxor Clementia F. Bertholdi, Ducis Zaringiæ, repudiata, & Mathildis, Hẽrici, regis Angl. F. Obijt 1195. Ex Radeuico Fruxin. Auentino & alijs.
- Conradus, Monachus Clareuallensis, & S. R. E. Cardin. vt in Welfo.
- Welfus VI. Licatiorum & Ambion. Sardin. princ. Thuscię & Spoleti Dux. Vxor Vtha, Gotifridi F. à Kalbo. Obijt 1171. Ex priuil. Lotharij 1126. & Friderici Imp. & alijs.
  - Welfus VII. Marchio Estensl. Licatiorũ, Sardiniæ, Thusciæ & Spoleti Dux. Obijt ante patrem 1168. Ex Auentino, Nauclero & alijs, & ex priuil. Frid. Imp.
- Wolfhildis. Vxor Rodolphi, Com. Bregãtini, & Rhetorũ.
- Iuditha, Vxor Friderici, Ducis Sueuię, mater Friderici Ænobarbi Imp.
  - Fridericus Imp.
  - N. Vxor Matthæi, Ducis Lotharingiæ.
- Sophia, Vxor Bertholdi III. Ducis Zaringiæ, & Leopoldi, Marchionis Stiriæ.
  - Bertholdus IIII. Dux Zaringiæ. Obijt 1185.
- Mathildis, Vxor Gebhardi, Comitis de Sultzbach, & Dipoldi, Marchionis, Vohenburgi.
  - N. Marchio Voburgi.
  - N. Comes Sultzbach.

Children of Henricus IIII. Leo:

- Luitgerus Dux.
- Leonora.
- Rixa, Ducissa Sueuiæ.
- Guilielmus I. Comes Brunsuici & Lunæburgi 1191. Vxor Elena, filia Waldemari, regis Daniæ. Obijt 1227.
  - Otho III. Brunsuici, Lunæburgi & Westualiæ Dux primus 1227. Vxor Mathildis, filia Alberti, March. Brand.
- Mathildis.
- Henricus V. Saxon. & Bauariæ Dux, & Comes Palatinus Rheni 1195. Vxor Clementia, filia Comitis Palatini, & Agnes, filia Com. de Landsperg. Obijt 1221.
  - Irmengarda. Vxor Hermanni, Marchionis Badensis.
    - N. Marchio Badæ.
  - Gertrudis Palatina. Vxor Othonis, Comitis à Wittelspach & Schieren. 1215.
    - Ludouicus, Dux Bauariæ & Comes Palatinus.
- Otho II. Dux Saxon. 1199. Vxor Maria, filia Henrici, Brabantiæ Ducis, & Beatrix, Philippi Cæs. Imperator factus 1208. Obijt 1218.

Children of Otho III.:

- Albertus III. Magnus Dux Brunsuic. Vxor Alexina, filia Aldubrandini, Marchionis Estensl. & Elizabeth F. Marchionis Brand.
- Helena, Vxor C. de Anhalt.
- Agnes, Vxor Wenceslai, Ducis Rugiæ.
- Otho, Episcopus Hildesheimensl. Obijt 1230.
- Ioannes, Dux Lunæburgẽsl. Vxor Agnes F. N. Com. Holsatiæ. Obijt 1277.
  - Otho IIII. Dux. Vxor Mechthildis F. N. Comitis Palatini.
- Mechtildis, Vxor Alberti, Ducis Saxoniæ.
- Conradus, Episcopus Verdensis.
- Elizabeth, vxor Guilielmi, Romanorum regis, Florent. F. 1246.
- Adelhaidis, Vxor Henrici, Landgrauij Hassiæ.

Children of Albertus III.:

- Elizabeth, Vxor Ducis Brabãtiæ.
- Guilielmus II. Dux.
- Albertus IIII. Pinguis, Dux Brunsuic. & Gotthing. Vxor Elizabeth, F. Henrici, Landgrafij Hassiæ, & Rixa, F. Principis Vandal.
- Ludderus, Comes.
- Mechtildis, Vxor Henrici, regis Daniæ.
- Conradus.
- Guilielmus. Obijt in puerili ætate.
- Otho, ordinis Tẽplariorũ.

Children of Albertus IIII.:

- N. Maria.
- Ludouicus Archiep. sc. Brem.
- Helere.
- Otho VI.
- Ioannes, Episcopus Mindensl.
- Guilielmus III. Dux Lunæburgensis. Obijt 1370.
- Agnes.

Next generation:

- Magnus I. Dux Brunsuicensis & Lunæburg. 1334. Vxor filia Marchionis Landsperg. Obijt 1370.
- Henricus, Episcopus Hildeheimensis.
- Ioan. Magnus Administrator Prussiæ Ordinis Teutonicorum.
- Albertus, Episcopus Halberstadiensis.
- Otho V. Largus, Dux. Obijt 1334.
- Hẽricus VI. Morosus, Dux de Grubenhagen. Vxor Agnes, F. Hermanni, Landgrafij Turingiæ.
  - x.
- Mechthildis, Vxor Ludouici Ducis de Gotthingen.
- Agnes. Vxor Othonis, Ducis Saxoniæ.

Erneſtus I I. Dux Gotthing. Vxor Barbara, filia Ducis Sagani.
Otho, Epiſcopus Halberſtad.
Magnus I I. Dux Lunęburgenſis. Occiſus 1373. alij 1375.
Ludouicus, Dux Lunæburg. Vxor Mathildis, F. Guilielmi, Ducis Lunæburgi 1351.
Albertus, Archiepiſcopus Bremenſis.

N. Vxor Comitis de Nouemberg.
Otho V I I. Dux. Vxor Margarita, F. Ducis Monteſi. Obijt 1431.

Sophia. Vxor Venceſlai, Saxoniæ Ducis.

Guilielmus I I I I. Dux. Obijt 1434.
Otho Monoculus Dux. Vxor Agnes, F. Landgrafij Haſſiæ.
Elizabeth. Vxor Henrici, Ducis de Einbeck.

Henricus V I I. Dux. Vxor filia Valdemari Brand.
Erneſtus I I I. Dux Grubenhagenſ. Vxor Agnes 1338. Obijt 1344.

Otho V I I. Rex Neapolis. Vxor Ioanna, filia regis Neapol. Obijt 1320.
Melchior, Epiſcopus Suerinenſis.
Balthazar, Dux.
Fridericus I I. Dux. Vxor Elizabeth, F. Comitis de Henneberg. Obijt 1370.
Albertus V. Dux Grubẽhagẽſis 1335. Vxor Sophia, F. Alberti Ducis Sax. 1354.
Erneſtus Præpoſitus.

Henricus V I I I. Dux. Vxor Elizabeth, F. Othonis Ducis Gothing.
Otho I X. Dux. Vxor F. Com. Naſſauienſ.

Henricus I X. Dux Brunſuici. Vxor Margarita, F. Hermanni, Landgrafij Haſſiæ, & Sophia F. Ducis Pomeraniæ 1400.
Bernardus, Dux Lunæburg. Vxor Margarita F. Venceſlai, Ducis Saxon. Superioris.
Fridericus, Romanorũ Rex & Imp. Vxor Anna F. Venceſlai, Ducis Saxon. Occiſus 1400.
Otho Archiepiſc. Brem. & Verdenſ.
Albertus V I. Dux. Vxor Liſa, F. Comitis de Waldeck.
Henricus X I. Dux. Vxor Margarita F. Ioannis, Ducis Sagani.
Bernardus Dux. Vxor F. Comitis Naſſouij.

Otho X. Dux Lunæburg. Vxor F. Comitis Eberſtein.
Fridericus I I I. Dux Lunæburgi. Vxor Magdalena F. Friderici March. Brand. 1454.
Philippus Dux.
Iodocus Dux.
Erneſtus I I I I. Dux.
Henricus, Epiſcopus Padebornenſis.
Ioannes Dux.

Gulielmus V. ſenior Dux Brunſuic. Vxor Cæcilia F. Friderici, March. Brand.
Henricus X. Pacificus, Dux Brunſuic. Vxor Helena, F. Comitis Cliuẽſis 1436.
Catharina. Vxor Friderici Elector. Sax.
Sophia.
Bernardus, Dux Lunæburg. Vxor Mathildis, F. Comitis de Schaumburgk.
Otho X I. Dux Lunæburgi. Vxor Anna, filia Comitis Nalatauij. Obijt 1471.
Wolfgangus Dux.
Erneſtus V. Dux.
Albertus, occubuit in bello Smalcaldico.
Ioannes.
Philippus.

Gulielmus V I. iunior, Dux Brunſuic. Vxor Elizabeth F. Comitis de Stolberg.
Fridericus I I I I. Dux Brunſuic. Vxor N. filia Com. de Ritbergk.
Guilielmus V I I. Dux Lunæburg. 1471. Obijt 1480.
Henricus X I I. Dux Lunæburg. Vxor Margarita, filia Erneſti, Ducis Saxon. & Barbara 1480. Obijt 1531.

Anna, Vxor Ludouici, Landgrafij Haſſiæ.
Henricus X I I I. Dux Brunſuici, occiſus in bello aduerſus Danos. Vxor Margarita, F. Henrici, Ducis Pomer.
Ericus Dux. Vxor Catharina, filia Alberti, Ducis Saxoniæ, & N. Filia Ioachimi Elect. Brand.
Erneſtus V I. Dux Lunæburg. & Gubernator. Vxor Sophia, F. Hẽrici, Ducis Mechelburg. Obijt 1546.
Frãciſcus Henricus.
Otho X I I. Dux de Harburg. 1531. Vxor Anna de Compenmois.
Frãciſcus. Dux de Gifforn. Vxor Clara, F. Magni Lauẽburg.
Otho X I I I. Dux de Harburg. Vxor Anna de Compennis.
Henricus.
Apollonia.
Anna, Vxor Barnimi, Ducis Pom.
Elizabeth, Vxor Caroli, Ducis Geldriæ.

Ericus Dux. Vxor Sidonia, F. Henrici Ducis Saxon.

Chriſtophorus, Archiepiſcop. Brem.
Frãciſcus Mindẽſ.
Guilielmus Dux.
Henricus X I I I I. Dux Gotthing. captus à Philippo Lãdgrafio Haſſię, Vxor N. filia Hẽrici Com. Wirtemb. & F. Sigiſmundi, regis Polon.
Catharina, Vxor Magni, Ducis Lauẽburg.
Henricus Commẽdator Pruſſiæ.
Georgius, Archiepiſc. Brem.
Otho Anna.
Otho X I I I I.
Suſanna.
Clara.
Catharina.

Carolus Victor, occiſus An. 1553.
Philippus Magnus, occiſus 1553.
Iulius, Dux. Vxor N. F. Ioachimi Elect. Brand.
Catharina, Vxor Ioann. March. Brand.
N. Vxor Ducis Lignicenſis.
Margarita, Vxor Com. de Manſfelt.
Elizabeth Vrſula, Vxor Com. de Schaũburg.
Magdalena.
Sophia.
Vrſula.
Catharina.
Fridericus V. occiſus Anno 1553.
Frãciſcus Otho. Vxor Elizabeth Magdalena, F. Ioachimi, Elect. Brand.
Guilielmus V I I I. Vxor N. F. Chriſtiani, regis Daniæ.
Henricus Dux.

Henricus Iulius, Adminiſtrator Halberſtad.

F I N I S.

# QVÆ FAMILIÆ EX ESTENSI progenitæ.

## LATERE PATERNO.

*Marchiones Camerini ex Hunibaldo* 845
*Principes Parmæ & Lucæ ex Sigefrido* 880
*Marchiones Thusciæ ex Alberto* 926
*Comites Baratini ex Sigefrido II.* 970
*Marchiones Malespinæ ex eodem* 970
*Comites Gibertini ex Gerardo* 970
*Comites Friburgi ex Fulco* 995
*Duces Sueuiæ ex Welfo* 1055
*Duces Spoleti ex eodem* 1055
*Duces Bauariæ ex Henrico II.* 1118
*Duces Saxoniæ ex Henrico III.* 1125
*Duces Brunsuic. & Lunaburg. ex Gulielmo* 1190 *ex quibus Otho IIII. & Fridericus Rex Rom.*

## LATERE MATERNO.

*Duces Sueuiæ ex Juditha,* 1125 *ex quibus duo Friderici, Henricus VI. Philip. Jmp. Conradus Rex Rom.*
*Duces Zaringenses ex Sophia, ex quibus Bertholdus Rex Rom.* 1125
*Duces Bauariæ & Com. Pal. ex Gertrude, ex quibus Ludouicus V. & Rupertus Jmp.* 1215
*Marchiones Badenses ex Jrmingarda.* 1215
*Reges Vngariæ ex Beatrice* 1235
*Duces Brunsuicenses ex Alexina* 1235
*Landgrafij Hassiæ ex Adelhaide* 1246
*Duces Saxoniæ ex Elizabeth* 1256
*Duces Rugiæ ex Agnete* 1256
*Comites de Anhalt ex Helena* 1256
*Duces Brabantiæ, ex Elizabeth* 1279
*Reges Daniæ ex Mechtilde* 1290
*Principes Peloponnesi ex Beatrice* 1330
*Domini Rauennæ, Polentani ex Elisa* 1334
*Marchiones Mantuæ, Gonzagæ, ex Alda* 1334
*Duces Gotthingenses ex Mechtilde* 1370
*Duces Teckenses ex Viride* 1380
*Domini Malatestæ ex Constantia* 1392
*Duces Embecenses ex Elizabeth* 1436
*Comites Hortembergenses ex Sophia* 1426
*Comites Turriani ex Helena* 1447
*Archiduces Austriæ ex Anna* 1445 *ex quibus tot inuictiss. Reges Imperatoresq́ Austriaci.*
*Principes Patauij, Carrariæ, ex Thadæa* 1467
*Duces Mediolani Sfortiæ ex Beatrice* 1490
*Duces Mantuæ Gonzagæ, ex Jsabella* 1490
*Duces Pomeraniæ ex Anna* 1500
*Duces Geldriæ ex Elizabeth* 1500
*Duces Lavvenburgens. ex Catharina* 1530
*Comites Mansfeldenses ex Margarita* 1533
*Comites Schaumburgenses ex Elizabeth* 1533
*Duces Guisiæ Lotharingici ex Anna* 1548

FINIS.





# RERVM IN SLAVORVM CHRONICIS MAXIME MEMORABILIVM INDEX.


*Absolonis Archiepisc. Lundensis mors* 160,53

*Acon obsessa* 146,44.147,4. *Anglo dedita* 148,36

*Adalbertus Moguntinus fax belli* 35,54. *in vincula coniectus* 36,5. *per vim è carcere eductus ib.* 22. *vindictæ cupidus ibid.*24

*Adalberti Archiepisc. Hamburg. ambitio* 20,25

*Adelbertus Episcopus Pragensis martyr* 3,33

*Adelbertus Archiepisc. Hammenburg. discerpit Aldenburg. Episcopatum in tres alios* 55,8

*Adolphus Comes Slauorum desolatos fines colonis Germanis cõplet* 47,17. *sanctimoniæ Bernhardi spectator* 48,20. *inconsultè Nicloti colloquium repudiat* 50,2. *renouat fœdera cum Nicloto & Slauis* 52,9. *Canuto manum auxiliariam adducit* 52,52.53,15. *suos ad virtutem cohortatur* 53,47. *intercedit pro Wertislao* 78,10. *deducit eundem cum suis se dedẽtem ibid.*16. *cadit cum Reinoldo Comite* 84,9

*Adolfus Holsat. è bello sacro redux* 152,13. *arcetur finibus ibid.*16. *cum Bernhardo Raceburg. obsidet Lubecam* 153,20. *arcetur sacris* 166,31. *purgat se auctoritate Cæsaris & meritis suis ib.*42. *reconciliatur Henrico Palat.* 183,42

*Adolphi clades & fuga* 43,20. *periculum* 54,8. *in Canutum benignitas* 57,32. *cum Geroldo concordia* 70,38. *legatio Anglica* 73,2. *cadauer dissectum & assum* 84,29. *sepultura* 85,7. *elogium ibid.*10

*Adolfi & Guncelini Comitum cõtentio* 112,15

*Adolfi C. nuptiæ* 118,20. *animaduersio in aduersarios ibid.*22. *callidum consilium* 154,8. *expeditio Stadensis ibid.*16

*Adolfi C. de Schavvenburg periculum* 185,22. *captiuitas ib.*30

*Adolfo victoria opportuna* 54,15

*Ædificij temporarij ominosa ruina* 128,30

*Agricolæ cuiusdam importuna cõfidentia* 31,15

*Albertus Vrsus immittit in desolatos Slauorum fines Belgas & Rhenanos* 74,32

*Alberti, Bertoldi successoris, adiutores in expeditione sacra* 199,22

*Albis fons* 4,13. *accolæ* 4,33

*Aldenburg, Slauis Stargard* 11,29. *instauratum colonia Saxonica* 70,16

*Aldenburgici Episcopi in Slauis honores* 12,11

*Aldenburgensis Episcopatus discerptus* 20,18. *auctore Geroldo Lubecam transfertur* 74,53

*Aldenburg. Episcopatus fundatio & limites* 55,2

*Aldenburgensi Antistiti prædia diruta* 17,37

*Aldeslebum obsessum* 86,23

*Alexandri III. & Victoris Pontif. schisma* 75,14

*Alexãdriæ libertas religionis* 201,4

*Alexius iunior Imp. Constantinopolitanus strangulatur* 190,50

*Alexij iunioris, Imp. Constantinopolitani imperiũ* 188,26. *gratitudo erga Latinos ibid.*32

*Angli cum Saladino pacificatio* 149,13. *reditus in Europam ib.*17. *captiuitas ibid.*24

*Anscarius factus Archiepiscopus Hamburgensis* 6,24. *Pij Episcopi exemplum* 7,12

*Ansuerus Monachus lapidatus* 21,1

*Argentinensis Episcopi erga Cæsarem fides* 25,29

*Armeniæ Rex fit cliens Rom. imperij* 177,8. *reconciliatur Principi Antiochiæ* 177,18

*Arnolphus Caroli Crassi successor* 8,53

*Ascalon capta instauratur* 148,45

*Atheldagus Vnni successor* 9,55

*Babylones tres* 201,38

*Balduinus rex Hierosolymorũ* 137,11

*Balduinus Flandrius creatur Imp. Byzant.* 191,50

*Balduini Imp. Byzant. epistola* 189,10

*Balsami hortus* 202,3

*Baltici maris etymon* 3,8. *accolæ* 3,10. *insulæ* 4,48

*Bambergensis Episcopi de Cæs. & Principum sentẽtia, ad Adrianum III. Pontif. oratio* 64,35

*Beatrix, Philippi regis filia, expetit cædis paternæ vltionem* 209,20

*Bellum plus quàm ciuile filiorum Ludouici Pij* 6,34

*Bellum regis Russ.* 199,43

*Belli sacri duces* 48,34

*Beneuolentiæ exemplum in hoste* 28,22

*Benno antistes Reginberti successor* 17,17. *desperata Episcopatus instauratione Hildeshemũ petit* 18,1

*Bennonis mors & sepultura* 18,10

*Bernhardus, Abbas Clareuallensis, θαυματουργὸς* 48,13. *belli sacri auctor ibid.*30

*Bernhardus Raceburg. Henrico L. proditionis suspectus* 114,24. *capitur cum filio, ibid.*29. *mulcta, ibid.*32. *restitutus in integrum* 117,11

*Bernhardi, F. Bennonis ducis Saxoniæ, res gestæ* 15,47. *in Cæsarẽ, & Slauorũ in hunc, cum Christianissimi abiectione rebellio* 16,15.17,4. *in Slauos iniuriæ* 16,43. *auaritia* 17,52.18,20. *infelix principatus* 118,41. *expeditio Lauenburg.* 160,4. *clades, ibid.*19

*Bernonis Episcopi Suerin. pietas* 82,45. *mors* 168,50

*Bernvvardi, Hildesheim. Episcopi, ἀποθέωσις* 168,32

*Bertoldus Abbas Lucc. successor Meinardi Episc. Liuon. fit auctor expeditionis sacræ* 198,49. *intercipitur & necatur à barbaris* 199,8

*Bertoldi mors* 98,45

*Bertoldi Metensis nefaria ingratitudo* 132,32. *exilium, ibid.*42

*Berythi encomium* 173,20

*Billugi insidiosa machinatio* 13,4. *eiusdem & Micislai F. in possessiones Ecclesiasticas occulta excursiones, ib.*34. *veteratoria dissimulatio, ib.*49. *diuortium cũ vxore Germanica* 14,3

*Blusso Godescalci sororius fax belli* 21,29

*Boiemi regij honores* 178,28

*Boiemi notati* 180,20

*Boiemorum rapina, ib.*25. *militaris impietas, ibid.*27. *militaris rapacitas atq; truculentia* 4,1

*Boleslaus Chrobrus rex Poloniæ* 14,23

*Bozoe insula, Vicelini sedes* 58,7

*Brema ab Christiano Oldenburgensi capta* 86,25. *recuperata & mulctata* 86,46

*Bremen-*

*Bremensis episcopatus Hamburgensi insertus* 7,2
*Bruno Colon. Episc. capitur* 197,10. *dimittitur è vinculis, ib.* 40
*Brunonis ducis Saxoniæ interitus* 8,39
*Bugislai Pom. in Germarum Rug. expeditio* 124,3. *clades, ib.* 10. *fuga, ibid.* 18
*Buthues, Godescalci F. à Saxonibus restitutus, suos infidos experitur* 21,52. *rectè monentem non audit* 22,44. *obsessus confligatur cum fame & hoste* 22,50. *fortunam suam lamentatur* 23,19. *dehortatur à periculosa pacificatione* 23,34. *vt se ad deditionem compararit* 23,48. *iugulatur cum Bardis socijs* 24,1
*Buthuæ & Henrici fratris exiliũ* 21,48
*Byrca Sueciæ metropolis* 7,21.9,44
*Byzantij munitiones* 190,9
*Byzantini soli encomium* 192,23
C*Alixtus à Cæsare inauguratus* 88,24
*Calumniæ pœna* 79,32
Cancellarij *Episcopi captiuitas* 182,31
*Canutus Erici, regis Daniæ F. aulæ Cæsareæ sectator* 41,41. *creatur dux Daniæ, ib.* 43. *animaduertit in latrones, ibid.* 45. *Suenonis æmulus* 52,44. *profugus exulat apud Hartuigum Archiepis. Hamburg.* 54,36
*Canuti Henrici F. cædes* 41,11
*Canuti ducis Daniæ & Nicolai cõgressio* 42,20. *in Suenonem cõspiratio* 71,2
*Canuti regis cædes* 71,51
*Canuti regis elogium* 122,36. *bellum in Slauis* 123,7. *alienatio ab Henrico Imp.* 135,19. *in Adolfum bellum* 160,8
Captiui *Christiani animositas* 173,6
*Carinthiorum elogium* 3,47
Caroli *Crassi Cæs. intempestiua clemẽtia* 8,45. *exauctoratio, ib.* 53
Caroli *Magni elogium* 5,6. *pietas, ib.* 25. *clemẽtia, ib.* 28. *mors* 6,1
*Cataclysmus* 81,26
Cataractarum *periculum* 98,1
Cereris *& Proserpinæ fabula* 163,30
*Choruti obsidio* 174,21
Christianismus *ob exactiones immodicas repudiatus* 68,50
Christianismi *primordia in Dania & Suecia* 7,27
*Christiani nominis odium* 16,21
*Christianorum clades* 49,24. *expeditio in terram sanctam* 139,12. *cum Saladino conflictus, ib.* 35. *clades, ib.* 37. *captiuorũ constantia, ib.* 54. *pugna cũ Saladino* 147,50. *victoria, ib.* 54. *res secundæ* 174,14
*Cistercienſis familiæ potẽtia* 75,21
*Clades ex incuria* 51,43. *Megalburgica* 82,2
*Classis Germanica* 147,25
*Clemens III. Papa animat Christianos in Sarracenos* 141,20
Clementia *intempestiua* 51,53
Clusa *seu fauces* 66,11
Colonia *obsessa* 6,50
*Cœlibatus ordinis Ecclesiastici voluntarius* 40,47
Columbæ *tabellariorũ vicem præstant* 173,49
Comitatus *Stadensis & Ditmarsiæ* 85,54
*Comitia Coloniensia* 177,42
*Conflictus ad Elistrum* 25,44
*Conradus abbas, Geroldi antistitis frater & successor* 81,5
*Conradus Lubecensis solum vertit* 87,39. *restitutus emẽdatur* 89,4
Conradus *è mysta Episcopus* 123,5
*Conradus Marchio fit rex Hierosolymitanus per matrimonium* 148,30. *à sicarijs peremtus, ibid.* 48
*Conradus de Rothe, Henrici L. legatus soluit obsidionem Lubecæ* 153,44. *fuga se subducit* 154,27
Conradus *Cancellar. fit ex Hildesheimensi Episcopus Wirceburgicus* 193,45
*Conradi II. Cæs. bellum sacrũ aduersus Slauos* 18,18. *expeditio irrita* 58,35
Conradi *III. Cæs. expeditio Asiatica* 99,42. *in Italia successus* 104,47. *actio contra Henricũ L.* 104,51. *expeditio Saxonica* 113,7
Conradi *Lubecensis morbus & mors* 98,38
*Conradi Cãcellarij epistola ad Auctorem* 161,30. *apparatus & thesauri ad expeditionẽ sacrã* 171,34. *cædes* 194,2. *epitaphium, ibid.* 5
Consilium *callidum* 58,23. *improbum* 59,3
*Conspiratio in Henricũ L.* 63,39
*Constantinopolis Imperij Rom. sedes* 6,3
*Cõuentus Merseburgensis* 58,49. *Bambergensis* 88,50. *Panormitanus* 171,14. *Aldenburgicus* 210,8
*Conuentus Imperij Geilenhus.* 133,38. *Goslar.* 142,7. *Halberstad.* 208,54. *Franckẽfurt.* 209,18
Copiæ *voluntariæ, aduersus Christiani nominis hostes ductæ, tripartitò diuisæ* 48,41
*Corsorũ & Sardorũ mores* 200,15
*Crucis supplicium ab Adolfo sublatum* 70,30
*Cruco ab Henrico Godescalci f. incursionibus vexatus* 29,43. *insidiosè cum hoste pacificatur* 29,50. *tyrannus* 47,33
Cruconis *Tyranni successus* 24,2. *cædes* 30,6
Cuniculi *metallicorum Goslariensium* 174,25
*Cuscini deditio* 83,10
Cuzelinense *collegium postliminio Sigebergam reductum* 69,46
D*Amasci encomium* 203,31
*Danicum bellum* 5,49
Dani *cum Wilhelmo Leonis F. affinitas* 185,8
Danorum *potentia, & in Germaniam irruptio* 6,47. *in Saxoniã expeditio* 9,16. *piratica* 15,9. *barbarica sæuitia, ib.* 21. *clades, ib.* 28. *cultus & armatura* 121,47. *opulẽtia, ib.* 51. *militia* 122,2. *studium bonarum artiũ, ib.* 3
*Dasenburgum opera fossorum metallicorum captum* 89,18
Deminum *inflammatum* 84,35
*Dertona à Cæs. capta muris nudatur* 64,5
Ditmarus *discipulus & sectator Vicelini* 47,53
Ditmari *mors* 59,7. *benignitas in afflictos, ibid.* 24. *animus ad mortẽ compositus* 59,35. *gratitudo erga præceptorem, ib.* 47
*Ditmarsi ad Danos deficiunt* 135,40
*Drogonis & Heliæ singulare certamen* 101,11
Drogonis *victoris clementia, ib.* 21
*Ducis de Brandiz calumnia* 143,38
Duellum *à captiuo Germano denunciatum* 100,20
E*Cbertus Wolfebutelus à fide discedit* 94,24
*Epistola ad Othonẽ Imp.* 187,20
*Eppo præpositus Falderensis* 63,17
*Equites Ensiferi* 199,31
*Ericus nothus Canuti frater & vltor* 42,52. *appellatus Hasenvoeth* 43,2. *cognominatus Enum, ibid.* 34
*Erici Regis cognomento Emun cædes* 52,35
*Ethelerus Ditmarsus, Adolfi hostis* 53,1
*Etheleri dolus hostilis* 53,18
*Etheleri cædes* 54,13
*Excõmunicationis ritus* 195,26

*Explorator factus proditor* 23,1
*Exploratorum Cæsarianorum hostilis perfidia* 24,34

F*Actiones in Imperio* 25,22. 178,29
*Faldones* 3,30
*Florentius, legatus regis Vngariæ* 94,50
*Fretum naturæ triplicis* 4,30
*Fridericus Imp. belli sacri ductor* 141,54. *eiusdem iter* 142,21. 143,30.144,17. *in flumine lauans suffocatur* 145,52
*Fridericus, Cæs. filius, & in exercitus imperio successor* 146,5. *obit,* ibid. 21
*Friderici I. elogium* 58,35. *inauguratio* 65,35. *bellum Mediolanense* 72,35. *in Italia successus* 88,6. *legati cōprehensi* 143,44. *beneficentia in egenos, ib.* 2. *victoria de Turcis* 145,29
*Frisij Christianismū amplexi* 5,39
*Frisij Rustri ab Henrico L. mulctati* 67,16
*Fuldensis abbatis ambitio* 126,19

G*Allus Pilatum agit* 75,50
*Gaza capta* 165,25
*Genua capta* 88,19
*Gerardi, Vicedomini Argentinēsis, legati Frid. Cæs. ad Soldanū itinerarium* 200,10
*Gerlaui sacerdotis ad virtutē cohortatio* 51,15
*Geroldus Episc. Helmoldi præceptor* 2,12
*Geroldus antistes Aldeburg. designatus* 63,30. *inauguratur à Papa* 65,50. *lucum dirutū incendit* 68,25. *inspicit Ecclesias* 79,15. *vetat aperiri forum die dominico,* ibid. 19
*Geroldi in itinere Italico periculū* 64,2. *concio sacra* 68,35. *literæ ad Holsatos* 76,30. *mors* 79,44
*Gertrudis Lotharij Cæs. F. alteræ nuptiæ* 47,3
*Godefridus rex Danorum* 5,51
*Godefridi cædes* 31,19
*Godescalcus Vdonis F. ex paterna nece apostata* 18,25. *studet pacificationi, ibid.* 49. *captus à Bernhardo Duce admiratione virtutis dimittitur* 19,1. *studet instaurando Christianismo* 19,11. *exemplum pij principis, ib.* 24.20,9. *à suis ob Christianismum cæsus,* ibid. 48
*Godescalci vxoris exilium* 21,17
*Godescalci, sacerdotis Christiani, periculum* 90,20
*Gormo debellatus* 9,25
*Goslaria vexata* 181,2.39,49
*Græcorum dogma de Spiritus sancti processione* 97,1. *veneficia & proditio* 100,1
*Gregorius VII. Concilij sententia damnatus Pontificatu deturbatur* 26,4
*Guncelini edictum in prædones Slauos* 92,16

H*Alberstadium captum in cineres redigitur* 110,53
*Haldeslebum captū diruitur* 109,46
*Hamburgum euersum* 6,49.21,22. *instauratum* 17,15
*Hamburgensis antistitis iurisdictio quousq; patuerit* 7,40
*Hamburgensium Archiepisc. series* 9,2
*Haroldus, F. Gormonis, Christianus, nominisq; Christiani protector* 9,34
*Haroldi regis elogium* 14,40. *clades & fuga* 14,55. *mors, & regni anni* 15,3
*Hartesberg arx diruta* 24,22. *instaurata* 113,24
*Hartesburgum instauratum,* ib.
*Hartuicus Archiepisc. reus maiestatis mulctatur* 67,21. *exulat Magdeburgi* 87,45
*Hartuicus Brem. tuba belli, pellitur in exiliū* 150,46. *Eius cū Geroldo iurgium* 66,51. *expeditio Ditmarsica* 135,29
*Helias è ministro Godefridi, apostata* 100,27
*Henningus patruelis & successor Godefridi regis Danorum* 5,54
*Henricus II. fundator Episcopatus Bambergensis* 15,34
*Henricus Godescalci F. & vxore & finibus Cruconis potitus* 30,7
*Henricus IIII. Cæs. propter obiecta crimina Romam euocatus* 25,3. *à Pont. exauctoratur, ib.* 13.26,49. *in Germaniam reuersus sese armat* 25,39.28,43. *iterato prælio victus, captus, & indignissimè habitus, ibid.* 50
*Henricus V. Cæs. iuramentum à Papa oblatum repudiat* 34,47. *Longobardiam petit, & de expiatione agit* 36,29. *Eius expeditio Italica* 34,40. *mors* 36,53
*Henricus Obotritus armat se in hostem* 32,29. *ex sententia cum hoste pacificatur,* ibid. 46
*Henricus Bauarus recuperat Saxoniam ab Alberto* 46,47
*Henricus Leo inaugurationem Episcopatus Aldenburg. sibi vendicat* 55,27. *cōparat se ad expeditionem Bauaricam* 57,7. *intercedit apud Papam pro Geroldo* 65,27. *ordinum suorum conuentum agit* 69,15. *recuperat Bauariam* 71,13. *iungit fœdus & amicitiam cum Waldemaro Dano* 72,38. *suorū stragem miseratur* 84,26. *religionibus inductus cogitat Hierosolymam* 94,2,31. *splendidissimè Constantinopoli excipitur* 96,42. *Hierosolymam ingreditur* 98,12. *Antiochiā petit* 98,37. *in Germaniam redux* 101,43. *solicitatur à Cæs. ad expeditionem Italicam* 104,16. *iubetur in Imperij cōuentu causam dicere* 108,46. *prouocatur ad duellum à Theodorico, March. Mysn. ib.* 49. *damnatur et proscribitur publicatis bonis* 109,9. *Lubecam munit* 114,55. *Raceburgū defectione amittit* 115,3. *studet reconciliationi Cæsaris* 116,46,52.117,13. *retinet patrimoniū saluum, ib.* 21. *abit in voluntarium exilium, ib.* 23. *ab exilio redux* 130,25. *vocatur in suspicionem à Cæsare, ib.* 30. *recipit Comitatum Stadensem* 149,44. *expugnat & excindit Bardeuicum* 150,7. *recipit Lubecam, ib.* 12. *occupat agrū Adolfi Holsat. & Lauenburgum, ib.* 18. *Sigebergam per legatum obsidet, ibid.* 21. *se quieti tradit* 165,20
*Henricus de Scaten ductor coloniæ Flandrorum* 74,3
*Henricus Comes Racesburg. coloniæ Westualorum ductor* 76,12
*Henricus Abb. designatur Episc. Lubec.* 102,1. *fundat monasterium Monachorū Lubecæ* 105,53
*Henricus rex patris non Papæ stu dio sus* 132,18. *inauguratur Cæsar Augustus* 151,30. *inuadit Apuliam,* ibid. 33
*Henrici Aucupis de Vngaris Slauis & Danis victoria* 9,21. *mors* 10,2
*Henrici IIII. imperium turbulentum* 20,39.24,17. *inauguratio* 26,9. *purgatio, cū iustiss. petitione* 27,7. *exauctorati diræ in aduersarios* 28,7. *fuga metu filij, ib.* 15. *pietas in filium, ib.* 47. *prælium secundum, ib.* 48. *æquanimitas* 29,2. *mors, & denegata inhumatio, ib.* 14. *in Ecclesias beneficentia,* ibid. 20
*Henrici Obotriti magnanimitas* 31,45. *fuga nocturna, ib.* 50. *auxilia, ib.* 52. *fides erga suos, ib.* 54. *stratagema* 32,4. *potentia & regia dignitas, ib.* 19. *mors* 40,6. *in Ranos expeditio* 33,1. 34,27.

34,27.ad Saxones militaris cōcio 33,14.34,27.mors 40,6
Henrici Bauari & Alberti Vrsi contentio 45,15
Henrici Comitis in Slauos excursiones 46,32. mors 106,19
Henrici Leonis nuptiæ cum Clemētia, F. Cōradi Ducis de Zeringge 54,42.iter Italicum 62,2. virtus bellica 65,46. priuilegium de Episcoporū per Slauiā inauguratione 74,9. edictum 77,2. expeditio in Slauos 77, 28.cum Waldemaro Dano cōgressio 85,39.potentia & successus 85,44.alteræ nuptiæ 88, 39.naufragium 95,22.munificentia in templum & equites sacros 98,15. studium in rem Ecclesiasticam 101,46.bellum in Slauis 105,36.contentio aduersus Vdalricum Halberstad. vnde nata 106,13. expeditio Westualica 110,10. simultas cum Adolfo C.de captiuis,ibid. 27.in victoria moderatio 111, 40.clementia 112,1.expeditio Thuring. ib. 8. alterū exilium 142,16.legatorum clades 150, 30.mors 169,5. epitaphium, ibid.12
Henrici, Leonis F. fuga 151,42. matrimonium 165,2.reconciliatio cum Cæsare, & in soceri bona impetrata successio, ib.10
Henrici Episc. Lubec. encomium 102,44.mors 120,6.inhumatio, ibid.7
Henrici regis nuptiæ 131,22. in Saxoniam expeditio 150,40. iter Italicum 151,8. seruit tēpori, ibid.17
Henrici Imp. cum Coloniensi Episc. actio 133,1.ad proceres Imperij oratio, ib.42. ad Canutū regem Danorum legatio 135,13. morbus & receptus 152,2.bellum sacrum 170,13.dissidium cum vxore, ib.37. res aduersæ 171,4.mors, indeq; secuta rerū commutatio 173,30
Henrici regis Hierosol.mors 172,7
Henrico Leoni optio data 142,13
Henrico, Decano Magdeburgensi, oculi eruti 193,35
in Henricum bellū populare 30,21
in Henricum Leonem conspiratio 86,11
Hermannus Billingus Othonis per Saxon.legatus 10,41.creatur Dux Saxoniæ 10,55. contra Henricum IIII Cæsar designatus 26,18.infeliciter perit, ib.20
Hermanni Ducis Saxoniæ mors 12,31
Hermanni Com. Winceburgici cædes 58,45
Heridagus Episcopus 5,43
Hierosolymæ obsidio 140,40.deditio sub pactione, ib.47. captæ tempus 141,13
Hierosolymitana expeditio ductore Godefrido Bilioneo 26,37
Hierosolymitanæ cladis comploratio 141,37
Holsati de Slauis se vlciscuntur 46,39. ab hoste conseruati 50, 45.suspecti proditionis, ib.50.in Geroldum antistitem contumaces 76,19. pabulatores à Pribizlao cæsi 77,54
Holsatorum in Hercynia colonia 24,8. fines 47,26. obstinatio 76,53. institutum seditiosum 77,8
Hospitalarij proditionis anquisiti 138,30
ICONIUM metropolis Turcorum 144,54
Ignis Græcus 148,12
Ilouia tentata 82,4
Imperium de Græcis in Francos translatum 6,11
Imperatoris Byzant.fastus 99,47
Inaugurationis Episcoporum ritus 102,37
Indicium tempestiuum 53,24
Innocentij Papæ epistola 194,26. in propugnando Othone Imp. constantia 196,7. ad eundem epistola, ib.12.legatio de concordia sancienda, ibid.17
Innocentiæ vetus examen per candens ferrum 70,28
Ioannes XIII. Papa exauctoratus 11,1
Ioannes Episc. Megaburg. martyr 21,7
Ioppensis clades 171,52
Isaacij Angeli, Imp. Constantinopolitani, mors 190,4
Isfridi, Euermodi successoris, digna Episc. moderatio 107,14
Isfridi Raceburgēsis Episcopi mors 205,32
LATERANENSES mulctati 88,26
Lateranensium seditiosa in Cæsarianos eruptio 65,43
Lateranense concilium 108,3
Lauenburgum conditum 118,35. dirutum 121,19
Lauenburgi obsidio 183,29. deditio, ibid.40
Legatio ad Imp. Byzantinum 48, 54. Græcorum ad Henricum L. 84,50
Legenda S. Agathæ 163,34. miraculorum Ægidij 179,25. palmæ miraculosæ 202,22. de tabula miraculosa 203,50
Linones ad Christianismum perducti 198,11
Longobardorum rebellio 88,47. rebellio è schismate Pontificio 104,10
Lotharij in Italia res gestæ 45,9. mors, ibid.10
Lubeca emporium à Rugianis dirutum 41,24.noua ab Adolpho condita 47,37.à Cæs.obsessa 115,17. deditur 116,17. 184,40
Lubecæ elogium 2,4 fana ab Henrico constructa 103,24
Lubecense incendium 72,10
Lubecenses petunt Episcopum à Cæs. 122,54
Lubecensium clades 50,35. dissidium de electione Episcopi 130, 50.contentio cum Adolfo Com. de portorio 134,46.compositio ex interuentu Cæs. 135,2
Luderus Magni successor 31,8
Ludouici Landgr. Turingiæ cum vxore diuortium 131,35
Lutberti vaticinium 60,7
MAGDEBURGŪ Slauorum metropolis 11,14
Magnus, Ordulphi F. de auxilijs à Buthue solicitatus 22,21
Magnus Dux Sax. & Nordalbingi Henrici auxiliarij 30,25
Magni in exulem benignitas 22, 33. prouida cunctatio 30,29. victoria, ib.36.cæleste auxiliū, ibid.40.mors 31,4
Magni Nicolai F. parricidiū 42, 41.bellicus apparatus 43,26. cædes & clades, ibid.32
Manuel Imp. Byzantinus 94,44
Manuelis Comneni, Cæsaris Byzant.mors 124,36
Marchia colonia è Saxonib. 9,28
Marco primus Aldeburg. antistes 11,38
Marcomanni cur sic appellati 54, 20
Mathildis Com. ager controuersus 129,6
Mediolani quinquennalis obsidio 75,31.excidium, ibid.32
Megalburgum, Ilouia & Rostochium instauratæ 92,14
Meinardus Sigeberg. Euangelista Liuoniensis, ornatur Episcopi dignitate ab Hartuico Brem. 198,24
Micislaus religionis & nominis Germanici hostis 12,44.occulte Ethnicus 14,29
Miraculum in puero cæco & clauo 48,26
Mistoueus auus Godescalci 19,31
Mistouei de Christianismo repetito exilium 16,47

Moguntiæ conuentus Imperij 125, 52
Moguntini Episcopi tragicus conatus in Henrico IIII. Cæs. exauctorando 27,51
Monasterium Megalburg desolatum 14,33
Monachus lerna malorũ 124,48
Monachorum Cisterciensis ordinis exilium 75,26
Motus in Slauis 19,37. in Dania & Saxonia 46,24. ex Henrici L. proscriptione 109,23
NEapolis frustra obsessa 151,44
Neophytorũ martyriũ 199, 38
Nicea Rascia 96,30
Niclotus in armis 50,22. insidijs Lubecam frustra tentat 73,16. sua vastat, ibid. 31
Nicloti gratitudo 58,1
Nicloti Slaui ἀϑεότης 69,18. πλεονεξία, ibid. 20. temeritas & cædes 73,45
Nicolaus rex Daniæ iugulatur 43,35
Nili inundationes 201,23
Nordalbingorum gentes 40,15. mores, ibid. 17
Normannorũ copiæ è quibus gentibus collectæ 8,24. in Gallias et Germaniam irruptio, ibid. 30
Northusium exustum 112,9
ODeræ seu Viadri fons & origo 4,11
Ordulphus Dux Saxoniæ, bellator infelix 21,32
Ostentum 48,55. in pane mystico 91,3. 157,27. in baptismo 159,4
Otho IIII. Cæs. designatus 177, 49. inauguratur 178,4
Otho Palatinus Philippi regis percussor 207,22. literarũ rudis, ib. 38. proscriptus obtruncatur 209,30
Othocari Boiemi cum vxore diuortium 180,6
Othonis Magni expeditio in Danos 10,13. victoriæ, ibid. 18. in Italiam expeditio, ibid. 55
Othonis III. mors 15,34
Othonis IIII. & Philippi, Henrici VI. fratris, Impp. contentio 178,40
Othonis Brandeburg. in Danum bellum 182,32. & 53
Othonis Palatini homicidiũ 207, 26,54
PAnis fl. 19,21
Paschalis Papa renouat anathemata in Cæsarem 26,46. captus 35,5. inaugurat Henricum V. ibid. 33
Paschalis & Calixtus Antipapæ 88,9
Paschalis Papæ mors 36,31
Petri, Monachi Hispani, cœlestis epistola de recuperanda terra sancta 26,33
Philippus Colon. Episcop. Cæsarem cum Papa in gratiam reducit 105,13. exauctoratur 194,21
Philippus, Henrici VI. frater renunciatur & inauguratur Cæsar Moguntiæ & Aquisgrani 178,24. 193,23
Philippi Colon. in fines Henrici L. expeditio 108,42. 109,24. iterata in Turing. expeditio 182, 10. clades 197,3
Philippi regis apparatus bellicus 207,8. cædes 207,22. funus 208,17
Pisces volatici 200,46
Plune vrbs & castrum 22,40
Polonia & Boiemia Imperio vectigales 3,51
Prælium acre & cruentum 36,15
Pribizlaus solicitat populares ad defectionem 82,24. soluit obsidionem Ilouiensem, ibid. 35
Pribizlai hostiles blanditiæ 83,1. exilium & excursiones 85,26
Proue Aldeburgensium deaster 56,50
Prussi γαλακτοφάγοι 3,36
Prussorum religio Ethnica, Russorum Christiana 3,17,24
Puteus miraculosus 202,38
Pyramides 201,46
RAdegast idolum 4,39
Radgeri Mag. cum Raym. Com. Tripol. expostulatio 138, 33
Rani alio nomine Rugiani 4,50
Ranorum rex Deorum familiaris 4,51
Raymundi Com. Tripol. cum Saladino conspiratio 137,48
Regni Obotritorum prouincia in solitudinem redacta 85,1
Regum Daniæ inertia & crapula notata 91,15
Reinoldesburgũ instauratũ 183,19
Reinoldi Colon. & Hermanni Verdensis mors 88,33
Religiosorũ Crucigerorum profectio in terram sanctam 170,44
Riaduri & Tolenzi fusi 19,47. externa accersunt auxilia, ib. 50
Rigensis Episcopatus fundatio 198,33
Roma Imperatori, non Papæ, subiecta 6,40. ab Othone M. libertate donata 11,7. expugnata 88,20
Romæ strages in clerum & populũ 34,53
Romani Alexandri complices, victi ingenti strage à Germanis 88,13
Romanorũ stolida legatio 64,10
Romana synodus aduersus Henricum V. 35,40
Rudolphus dux Sueuiæ 24,28, 38. Cæsar designatus 25,14
Rudolphi clades 25,45. tragicus vitæ finis, ibid. 53
Rugiani carent moneta 34,17
Rugianorum sedes 31,37. veneratio erga sacerdotes, ib. 40. cupiditas dominandi, ib. 43. hospitalitas & ἀντιπελαργώσις 90,30
Russiæ diuersa nomenclatura 3, 18. metropolis, ib. 20. religionis ritus, ibid. 21
SAcerdos apud Slauos regi prælatus 90,10
Sacrilegij pœna 179,24
Saladinus assumit nouos titulos 140,24
Saladini insidiosa beneuolẽtia 138, 17. confœderatio cum Raym. Com. Tripol. 138,26. hostilis exultatio 139,12. 46. successus 140,18. sarcasmus in crucẽ Domini 141,6
Saladini filij superba denunciatio 145,8. legati reiecti 146,53
Sal fluuialis 201,22
Sarracenorum cædes 148,40. Zelotypia 204,40. lotiones, ib. 46
Saxonis Principes sub fide se dedẽtes in vincula conijciuntur 24, 43. custodia elapsi Cæsarem Papæ accusant, ibid. 49
Saxones & Turingi Francorũ vectigales 5,12
Saxones è maiorum institutis primum in agmine locum deposcũt 33,42
Saxonum colonia in Gallia 5,20. conspiratio in Cæsarem & clades 24,25,27. per Slauiam colonia 70,41
Saxonia in octo Episcopatus diuisa 5,34. à Caroli M. temporibus Duce caruit 10,40. vastata 36,10
Saxonicus tumultus 87,54
Saxonicum bellum tricennale 5,15
Scacco Com. Ditmarsiæ designatus 184,50
Schere cataracta 95,17
Schisma 25. annorum 26,10
Schismatis Pontificij diuturnitas 105,21
Senis Sarracenorũ præstigiæ 148, 52
Sepulchrum Domini 140,53
Seruij eorumq; barbaries 95,39
Seruiorũ nocturna impressio 96, 6. sagittæ venenatæ, ib. 21. princeps iurat in verba Friderici Cæs. 143,

Cæs. 143,17
Sigeberga constructa 44,33
Sigebergæ suburbium & monasterium destructum 45,28
Sigebergensis Ecclesiæ fundatio 44,44
Sigebergensium obsessorum stratagemata 186,5. deditio, ibid. 8
Simon Com. Teckenburg. ex hoste amicus 110,25
Slaui habitant in littore Baltici maris 3,6. ijdem qui Winithi siue Vinuli, Wenden 4,10. obstinati idololatræ 7,50. Othone victi tributo & Christianismo pacem redimunt 10,30. quam diu Christianismi cultores 16,34. Imperio se subijciunt 17,43. bello Saxonum ciuili ad rebellionem inuitati 46,26. illatas iniurias vlciscuntur 91,22. student piraticæ, ibid. 25. negligunt ædificiorum exquisitas extructiones, ibid. 29
Slauorum mores 4,55. 44,13. simulata promissa 17,50. à Christianismo defectio 21,31. peruicacia & Christianismi odium 22,2. 44,14. in Stormariam incursiones 31,10. barbarica religio 43,47. mos conuiuiorũ 44,3. hospitalitas 67,36. Aldeburgensium perfidia 83,46. internecio 85,3
Slauis ædes sacræ inuiolabiles 68,11. diuersi religionis ritus, ib. 13
Slauicum bellum 122,47
Slauina, vxor Cruconis, studet hosti 30,2
Slesuicum euersum 10,9
Soldanus pacem petit 145,33
Soldani in Henricum L. benignignitas 99,15. inuitati ad Christianismum cauillum, ibid. 31
Somnium monasticum 62,32. 103,5. miraculosum, ib. 51. ominosum 70,8. superstitiosum 97,49
Spectrum 62,14
Spectra auium 164,34
Speculatoris Saxonis ad virtutem cohortatio 33,55
Spirensis Episcopi ἀστοργία 29,10
Stadium ab Henrico L. præsidio & opere munitum 116,38
Strages in Hamburgenses & Aldenburgenses 16,22
Strale riuulus 22,54
Sueci & Gotthi ad Christianismũ reducti 9,49
Suein Ottonis in patrem Haroldũ impietas 14,36
Sueno apostata & tyrannus 15,5
Sueno, Erici F. à tutore rex designatus 52,43. sui contemtum vlciscitur 52,52. Adolfum in gratiam recipit 54,35. æmulum gemino prælio profligat 57,33. Canuto reconciliatur 58,54
Suenonis fuga 54,15
Suenonis regis tyrannis 70,53. perfidia 71,48
Sueones alio nomine Normanni 3,11
Suerinum instauratum 73,52. à Guncelino conseruatũ 82,40
Susle Frisiorum colonia frustra à Slauis oppugnata 51,10
Tempestas 49,10. 81,25. 97,47
Templarij & Hospitalarij mactati 140,9
Theodorici Marchionis contumeliosum dictum 16,2
Theodorici Episc. in vrbem Lubecam solennis ingressio 131,11
Theodorico abbati Hildesheim. & successoribus eius, honores à Papa concessi 167,40
Thomæ Cantuar. legenda 103,34
Trauena 4,46
de Treuirensi Episcopatu contentio 129,10
Turbæ in Imperio sub Henrico IIII. adhuc puero 20,39. 24,17
Turcorum incursiones 144,27
Tyri rex designatur rex Hierosolym. 173,41
Varscouiensis pugna 183,49
Vdalricus Halberstadensis Henrici L. hostis 105,25. anathemate contra Henricum L. pugnat 109,51. & in gratiam redit, ibid. 54
Vdalrici Halberstad. hostiles molitiones 110,40. periculum & captiuitas 111,3
Vdonis in Christianos odium & cædes 18,22
Verbenensis conuentus 17,40
Veronensium seditiosus conatus 66,13
Vicelinus Aldenburg. antistes designatus 55,18. fit syderatus 55,51. lingua vsu priuatur 60,53
Vicelini mirifica diligentia 37,43. in Gallia studia & mores 39,26. salubre consilium 44,22. in curatione ecclesiastica diligẽtia 45,1. mors 62,5. sepultura, ibid. 6. epitaphium 63,8
Vinnetæ excidium 4,28
de Virgilio fabulosæ narrationes 162,40. 164,20
S. Vitus Slauorũ Iupiter opt. max. 8,8
Vlyssipona expugnata Christianorum fit colonia 49,43
Vngariæ rex veneno à fratre necatus 95,2
Vngariæ regis hospitalitas 142,34. frater è captiuo itineris ductor 142,53
Vngarorum in Imperium irruptio 3,39. in Germaniam & Galliã incursio 9,11
Vnni Archiepiscopus, Slauorũ, Danorum, & Suecorum Euangelista 9,29. eius mors, ibid. 54
Vnstroth fl. 24,30
Volones plebeij 170,30
Volradi, Bernhardi Com. de Raceburg. F. epitaphium 153,4
Vrbanus III. Papa Turbanus 131,47
Waldemarus Dux obsidet Sigebergam 185,54
Waldemarus, Episcopus Slesuic. dimittitur è vinculis 186,46
Waldemari victoria de Suenone 72,1
Waldemari Dani expeditio in Rugianos 89,28
Waldemari, Episcopi Slesuicensis, captiuitas 160,40
Waldemari Ducis contra Adolfum expeditio 184,21
Waldemari regis mors 119,3
Waldemari regis successio & inauguratio 186,13. profectio in Germaniã, ib. 19. bellum Suecicum 205,42
Wertislaus, filius Nicloti, obsessus Wurlæ 77,32. sauciatus, ib. 48. abducitur Brunsuigam 78,23. captiuus belli fax 81,37. primus è Pomeraniæ principibus Christianismum amplexus 84,42
Wertizlai nex ignominiosa 83,24
Widekindi Dasenburg. maleficia 89,10
Wido rex è vinculis dimissus 140,36. fit rex Cypri 148,28
Widonis subita inauguratio 137,40
Wilhelmus Com. Iuliacensis immutatur Otthoni Imp. 193,12
Wilzi quatuor gentiũ nomen 4,44
Witichindus auctor & dux belli Saxonici 5,22
Woldemarus Henrici F. à Rugianis peremtus 32,55
à Wormaciensi Episcopo mota disputatio de processione spiritus sancti 96,54
Wurle inflammata 73,50
Ymme, virgo quadam, à dæmone vexata 45,51
Zvantevit idoli cultus 90,7
Zuentepolci & Kanuti fratrũ bellum ciuile 40,54
Zuentepolci expeditio in Obotritos & Kycinos 41,15. cædes, ib. 27
Zuinike F. Henrici Obotriti de posteritate sua vaticinium 41,28

FINIS.

# *HISTORIA*
# DE VITA IMP. CAES.
HENRICI IIII. AVG. ET HILTEBRANDI, PONTIFICIS ROM. COGNOMENTO GREGORII VII. circa ea tempora, quibus vterque vixit, conſcripta.



FRANCOFVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.

# MAGNIFICO VIRO, ERVDITIONE DOCTRINÆ, FACVNDIA, DIgnitate & virtute clariss. Dn. VITO ORTELIO WINSEMIO F. Doctori & professori Iureconsulto, illustriss. Electoris Saxon. &c. Consiliario, Patrono S. obseruand.

S. D.

REINERVS REINECCIVS STEINH.



*AXIMAM semper vim tempora habuere: & studia hominum diuersa non possunt non sententias atque iudicia diuersa parere. Vtriusque, vt infinita exempla alia omittam, memorabile nobis documentum præbet maximi & fortissimi Imp. Cæs.* HENRICI IIII. *historia. Hic enim vel eo saltē nomine præclarissimè de Imperio meritus, quòd pro maiestate & dignitate huius propugnauit constantissimè, nec eam imminui, quātum in ipso esset, passus vnquam fuit, quanto sui temporis odio publico flagrauit? quàm fœdissimis scriptorum maledictis laceratur? Contrà verò in aduersariis ipsius facilè princeps* HILTEBRANDVS *Monachus, cognominatus in Pontificatu Gregorius* VII. *tametsi nefariorum scelerum cumulatissimus extiterit, tamen quàm benigna fermè omnium studia habuit? quanta cum scriptorum commendatione celebratur?*

NON *possunt autem non, qui de his Annales perlegunt, graui dubitatione suspensi teneri. Et temerarium videtur, atq; insolens, ab iis, quæ tradita à plurimis sunt, discedere. Verùm ex eo tanquam labyrintho eluctari ei difficile non fuerit, qui normam veritatem potius, quàm affectiones vel suas vel alienas sequi maluerit. Vt vt enim è scriptoribus alij aliò inclinatione propendeant, vt vt sua tanquam* χρυσοφύγετα *quærant, hæc tamē occultari non potuit. Ac præstabitur ab eo quasi fundamento negotio nullo, vt ne alienarum quis sententiarum seruus esse cogatur, sed de re, vt se habet, iudicium ipsemet facere liberum posit.*

ODERIT *sanè dementata superstitionum fascino sua* HENRICVM IIII. *ætas, suspexerit è diuerso* HILTEBRANDVM: *& ad idem exemplum ita se scriptores accommodarint, vt hunc laudibus in cœlum efferāt, illum conuiciis proscindant acerbissimè. Nihil hoc apud eos, qui veritatis amore tenentur, & causam ponderant, quam defendendam vterque suscepit, vel Cæsari derogat, vel Hiltebrandum à scelestissimi instituti crimine liberat. Etenim vt inter se ambos conferamus, vixerat adolescentulus Henricus (neque enim hoc negari potest) dissolutius: & ij, in quorum esset potestate, multa proteruè, multa insolenter egere. Studuit hoc, vbi ætas maturuit, emendare, sed vt seueritate vti minus tempestiua existimaretur, & suspicionem incurreret, quòd ita*

*à paucis penderet, vt reliquos despiceret. Addidit his arces per Saxoniam, sibi quidem contra vim subitam receptaculum tutissimum, sed quibus gentis libertati insidiari crederetur. Ergo alienatis inde ab eo animis plurimorum, vbi eadem alienatio denique in bellum erupit, aduersarij armis impares, & omnino de Cæsaris reconciliatione desperantes, ad Religionis præsidium confugiunt: Cæsarem Hiltebrando Pontifici de atrocibus criminibus accusant, & vt partes is ipsorum constantius tueretur, hoc tanquam bolo hominem, ambitione perditũ, inescant: Esse proprium ipsius munus, Cæsarem creare: & eam dignitatem vrbis Romæ beneficium censeri: incumberet ergo in hanc curam, dignus quispiam imperium vt gereret: Roma ius suum defenderet. Fuisse autem Hiltebrandum professione initio Monachum, accepimus: A qua simulata humilitate deinde paulatim altius progressus, Pontificatum tandem artibus consecutus est pessimis. Adhuc priuatus id egerat, vt repetita ab* HENRICO III. *sanctio vetus, qua Pontificum creandorum ius ad Cæsarum assensum restringebatur, aboleretur. Quod quia tum non successerat, postquam hæc tam ampla delata ipsi potestas fuit, ratus occasione ea rei felicius gerẽdæ, & potentiæ suæ amplificandæ, vti se opportunissima posse, cupidissimè, & quod aiunt, ambabus manibus eam amplectitur: Cæsari neque audito, neq; quorum insimulabatur criminum conuicto, diras obnunciat, & vt ipso eum deturbaret Imperio, ordines vniuersos sacramenti religione soluit: Cùm ad hæc ausa & per Germaniam aduersantium Cæsari Principum studia, & Normannorum ac* MATHILDIS, *Comitis per Italiam potentissimæ, societas, ipsum confirmarent. Nec iacta ab illo alea ista frustra fuit: Quippe vnde eam telam inchoarit, quam successores pertexentes, Cæsarum inclinatam potẽtiam euerterint, suam stabilitam auxerint. Etsi enim Henricus, quia aliter se suáque præstare salua, & retinere in officio Principes ac populum nequiuit, nimis humili abiectione Hiltebrando Canusij supplicauit, & expiationem impetrauit, nequaquam tamen hoc accipi ita Pontifex voluit, quòd ea re etiam in Imperium illum restituisset, aut teneri ordines iterum sacramentis eius vellet. Et cùm Cæsar deinde propter Imperij negotia substitisset in Italia diutius, ac Principes aduersarij interea Forchemij congregati, ex Pontificis auctoritate Henrico Imperium abrogassent, vt* RVDOLFVS *ei surrogaretur, per legatum suum permittit, vel potius negotium hoc vehementer adiuuat. Inde bello accenso funestissimo, & toti Germaniæ exitiali, Hiltebrandus suo seruiens instituto, cùm in potestate se fore ipsius Rudolfus recepisset, hunc apertè defendit, Henricum verò iterum diris obstringit: Ac silentibus inter arma legibus, in Imperatorum præcipuè iniuriam promulgatam quidem iam antè, sed successu nullo, vrsit tum legem vehementius, vt ne scilicet dignitates ecclesiasticæ ab laico quoq; peterentur, tacitè potestatem illam sibi vendicãs, seu istud re & veritate spectans, vt sola quidem collegiorum suffragia valerent, ipse verò hæc auctoritate & consensu suo moderaretur, Imperatoribus exclusis. Deinde vetera sed impia Cyricij & Gregorij Magni de sacerdotum coniugiis interdicta renouat, & ita renouat, vt etiam iam contracta dissoluerit, nefaria appellatione hæresin Nicolaitarum nuncupans. Quaquam verò Henricus difficultatibus circumuẽtus multiplicibus, opitulari ordini Ecclesiasti-*

*clesiasti-*

clesiastico, hûcque ab eo iugo defendere, nequiuit, aut etiam, quæ tum persuasio hominum mentes occuparat, id ad munus suum non admodum pertinere existimauit, de Imperio tamen ita nũquam animum despondit, vt subiicere hoc Pontificum libidini, aut ius conferẽdi Ecclesiasticas dignitates, à maioribus per manus traditum, & recenti patris decreto sic stabilitum, vt & ipsi Pontifices eo comprehenderentur, id est, tum demum nomen id gerere permitterentur, si Cæsar, si reliqui Imperij ordines, comprobassent, concedere his vnquam vellet: Cumq; vt religionibus solueretur, & in reipub. tranquillitatem consuleret, sæpe cum Pontificibus componere studeret, dignitatem tamen suam, quam istis duobus capitibus intelligi volebat, semper excepit. Hinc iam studia partium acerrima extitere, aliis, iisq; numero plurimis, pro Pontifice, aliis pro Cæsare propugnantibus. Qui cum Pontifice faciebant, in Cæsare animum præfractum crimi nabantur, & Ecclesiæ ac religionis contemtorem atque hostem nuncupabant: ex hoc frigido commento argumento petito, quòd Pontifici omnes dicto audien tes esse oporteret. Econtrario Cæsariani nihil valere Pontificis anathema tantquam iniustum contendebant, vrgebant vetera Imperatorum iura, & iurisiurandi religionem, quam tam Pontifex ipse quàm Principes atque populus præstitisset: Addebant deinde de Hiltebrando, minus huius auctoritati tribuendum, quòd Pontifex creatus vitio esset, & scelerum plurimorum infamia laboraret. Quæ ita per summam animorum contentionem, & stylo & armis disceptata, etsi in eum tandem finem desiere, vt HENRICVS à Rudolfi cæde Hiltebrandum, turbarum omnium auctorem, & ipsius vitæ aliquoties insidiatum, Pontificatu deturbarit, surrogato ei CLEMENTE III. & post Hermanni ac Ecberti memorabilem occasum, rebus in Germania compositis, etiam Italiam pacarit, peruicit tamen religionis tum creditæ opinio, qua suam præcipuè Hiltebrandus causam venditabat. Qui cùm iam Salerni exul tertium in Henricum diras vibrasset, secuti exemplum idem sunt, suffecti illi à Mathilde & Normannis, Victor & Vrbanus. A postremo per Mathildem in partes traductus CONRADVS, Henrici filius, atque à patre alienatus, cùm Clementem vrbe pepulisset, patris fortunam, quæ inter aduersitates multiplices hactenus tamen se conseruarat, primus inclinauit: Atque exinde, qui surrogati à Cæsarianis Clementi fuere, extorres & exules ferè per Italiam vagati sunt. Pertractus in eandem postmodo nassam fuit PASCHALIS II. temporibus, qui Vrbano successerat, alter Cæsaris filius, HENRICVS: Qui etsi patri iuratus, & hoc summo beneficio obligatus, quòd in Imperio declaratus successor erat, propterea tamen à fide eius se discedere posse persuaderi sibi passus fuit, quòd cùm ille ex Ecclesia proscriptus esset, obstringeret sacramento neminem. Et quia Cæsaris hostes veteres tum iterum se cõmouerent, & coniungeret se Paschalis Pontifex, vno quasi momento res illius cum causa ipsa euersæ fuere. Nam Henricus F. palàm pro Pontifice propugnauit, & hic è diuerso in Cæsarem antecessorum execrationes renouauit. Qui cùm deinde post multa ludibria non diu superstes fuisset, etsi Henricus F. iam confirmato Imperio, postquam serò tandem cum Phrygibus sapiens, in quas se angustias cõiecisset, vt nimium Pontifici obsecundando Imperatorum iura labe[f]actasset, intelligere cœpit, in Ecclesiasticas di-

gnitates ius à Paschali repetiit, frustra tamen hoc fuit: atque anathematis fulmine propterea ipse etiam ictus, & in summum dignitatis suæ & fortunarum discrimen adductus, diplomate id confirmare Calixto II. compulsus fuit. Tentauit aliquanto pòst simile quiddam successor LOTHARIVS: sed dirarum Pontificiarum & turbarum nouarum formidine, cùm nonnihil etiã D. Bernhardi precibus largiretur, rursus destitit. Iamq; parte hac Pontifices superiores, vrgere mox alterum ab Hiltebrando intentatum Imperatoribus iugum de iure Imperij ad ipsos pertinente, vbicunque cõmodè potuere, non cessarunt. Quod licet in se etiam tentare ausum Adrianum IIII. masculè retuderit FRIDERICVS Barbarossa, neque Henricus VII. sibi à Cardinalibus obtrusum iusiurandum, quo Pontifici deuinciretur, præstare voluerit, res tamen per Clementem V. eò deuenit, vt formulam ille iuramẽti solennis promulgarit, & Clementinis suis inseruerit. Vnde fieri hodie & paulo superiore ætate videmus, vt cùm Pontifices antè Cæsares dominos agnoscere, & in verba horum iurare cogerentur, nunc vice versa præstare hoc Pontificibus Cæsares teneantur.

HÆC cùm ita sint, & eam Hiltebrãdus, eam Henricus causam propugnarint, ceu tenebris quibusdam de mentis acie discussis, aliter de illis nos iudicare, necesse fuerit. Et patet iam hinc temporis illius vesania, patet scriptorum ipsorum improba peruersitas. Cui hoc addo, redire inde suum magistratui summo, qui Cæsaris est, honorem, huiusq; vindicari existimationem, vindicari pro repub. susceptos labores honestißimos. Quemadmodum cõtrà in reprehensionem iustam incurrit proterua & malitiosa Hiltebrandi ambitio: Qua id Imperio inflictum vulnus fuit, cui cicatrix obduci nunquam potuerit, & imperatores ipsos in ordinẽ redactos non modica seruitute obstrinxerit. Quid? quòd eiusdem scelere datæ in re Ecclesiastica turbæ grauißimæ, abolito, vt diximus, penitus sacerdotum coniugio: Vnde quæ calamitates orbem Christianum inundarint, plus satis iam ab aliis demonstratum est, & agnoscere id tandem ipsi Pontifices cœpere, qua de re Pij II. & Pauli II. nota exempla: prodiitq; tandem ex eadem veluti officina recens ista omnibusq; modis execranda Alombratorum in Hispania secta.

CÆTERVM qui de HENRICI Cæsaris & HILTEBRANDI historia peculiaribus scriptis explicarunt, quantum quidem mihi constat, aut videre contigit, duo è veterioribus extant præcipuè: de Henrico auctor ἀνώνυμος, de Hiltebrando Benno Cardinalis: Quibus eo maior deberi fides videtur, quòd per ea tempora vixerint, quòd non audita, sed visa, & quorum adeò pars fuere, commemorent. De auctore ἀνωνύμῳ, vt ne quis fuerit, sciatur, sua ipse timiditate fecit. Cùm enim in vsum priuatum Historiam illam, aut, si cui de argumento magis denominatio isthæc placeat, apologiam conscripsisset, ea lege cũ amico communicauit, vt is vel supprimeret, vel si ederet, nomen suum tegeret: veritus nimirum & hòstium Henrici iniurias, & toti mundo tunc formidabile Pontificij anathematis fulmen. Bennonis παῤῥησίαν quin veritas expresserit, dubium nullum est: Etsi oratio ipsius minus bona, & expositionis contextus perturbatior est, sic vt farraginem potius quàm historiam dicere poßimus. Fuerit quod & hoc quispiam meritò in eo desideret, quòd de natalibus Hiltebrãdi, &

*di, & primæ ætatis studiis, nihil habet. De quibus quæ in nostris Annalibus reperissem, breuiter hic insero. Natum illum ferunt loco humili, hoc est, patre fabro materiario, homine Senensi. Cui cùm adhuc puer ligna cædenti ad pedes luderet, hoc futuræ potentiæ præsagium edidit, quòd seu casu seu præstigiis quibusdam, quibus postea deditißimus fuit, reiectanea in litterarum formas, quæ Psalmi 72. versum hunc exprimerent: Dominabitur à mari vsque ad mare, cōposuit. Isthuc enim & accipere tum pater iussus fuit, & postea euentus comprobauit. Vixit deinde aliquantisper in Imp. Cæs.* HENRICI IIII. *aula: Cui ex somnio quodam suspectus factus (viderat enim per quietem Cæsar, domum suam ab eo oppugnatum iri) cùm emergere ibi nō posset, cucullum sumit. A quo tempore, quæ ambitionis insanæ conatu susceperit egeritq́;, magis compendiario quàm historico stylo, Benno pertexit, & ita pertexit, vt monstrum hoc, in Ecclesiæ & Imperij perniciem natum, iustis depingere videatur coloribus.*

QVIA *autem vtriusque scripti iam pridem exemplaria desiderabantur, & lectio auidè expetebatur à plurimis, repetere nobis editionem ex iis exemplaribus, quæ nancisci potuimus, visum fuit: Cùm stimulum adderet, quòd alicubi nōnullam fortunæ nostræ imaginem (modò tamen comparare magnis parua licet) recognosceremus. Cui operæ nostræ tuum quasi patrocinium addidi,* VITE WINSEMI, *V. Cl. atque amplißim. quòd ad reliqua doctrinarum studia, quibus & summorum Principum tibi fauorem conciliasses, & famam nominis inter homines doctos promeruisses illustrem, etiam historiæ tractationem adijcere non ignauam soleres: Quandoquidem ab excellentißimi & felicißimi ingenij solertia facilè perspiceres, vt in artibus intelligi regulæ & præcepta absque exemplorum prolatione & vsu nequeunt, ita & ciuilem prudentiam præcipuè historiarum exemplis niti, expoliri & confirmari. Accesit deinde causa altera, quòd ex gente ea genus & originem duceres, in qua Henricus* IIII. *floruisset: nec ciui, patriæ amantißimo, tantus Princeps hospes ingratus futurus videretur. Quod si & hoc de me adijcere par est, ea scilicet extant in me merita tua, vt cùm referēdæ gratiæ non sim, ad voluntatis memoris edendam testificationem tenear. Ergo officium nostrum ita accipias, vt nos tui obseruantißimos beneuolentia complecti solita, mihiq́; perspectißima, & ornare officiis, pergas, oro obsecro. Quæ meæ erunt partes, has eo studio ea fide tuebor, vt nihil fuisse mihi antiquius intelligas. Bene feliciterq́; vale.*

*Francofurto ad Viadrum,* VIII. *Cal. August.*

CIↃ. IↃ. XXC.



# VITA HENRICI IIII. CAESARIS AVGVSTI, DVCIS BAVARIÆ VII. PAVLO POST MORTEM ILLIVS

*à quodam eius temporis conſcripta.*

## PROOEMIVM.

*Auctoris threni.*



VIS dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, vt lugeam non excidia captę vrbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, ſed mortem Henrici Imperatoris Aug. qui ſpes mea & vnicum ſolatium fuit, imò vt de me taceam, qui gloria Romæ, decus Imperij, lucerna mundi extitit? Erit poſthac mihi vita iocunda? erit abſque lacrymis dies aut hora? aut tecum, ô dulciſſime, potero illius mentionem habere ſine fletu? Ecce dum ſcribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forſan impatientiam doloris mei redarguis, & vt fletum meum reprimam, ne fortè iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innoteſcat, inſtruis.

*Communicatio.*

Rectè me doces, fateor: Sed non poſſum imperare mihi, quin doleam, non poſſum me continere quin lugeam, licet in me furorem ſuum exacuant, licet me membratim diſcerpere cupiant: dolor timere neſcit, dolor illatas pœnas non ſentit.

*Dolor.*

Nec ego ſolus mortem eius lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperium deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter inſidiatores potentiæ vitæq; eius, lugent. Nec mihi priuata doloris cauſa eſt: publicam lamentari cladem pietas me cogit.

*Occupatio.*

Nam illo recedente, iuſticia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei ſubintrauit, chorus laudantium Deum conticuit, ſolennitas officij diuini ſiluit, vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum non auditur: quia qui hæc omnia ſolenniter ordinauit, non inuenitur. Monaſteria patronum ſuum, clauſtra patrem amiſerunt, quibus quid commodi quid honoris ipſe conferret, nunc demum agnoſcitur, cùm extinctus ea non tenet. Ergo clauſtris omnibus vera dolendi cauſa ſubeſt: Nam cum illo ſepulto gloria eorum ſepulta eſt. Heu Moguntia, quantum decus perdidiſti, quæ ad reparandam monaſterij tui ruinam talem artificem amiſiſti? ſi ſuperſtes eſſet, dum operi monaſterij tui, quod inceperat, extremam manum imponeret,

*¶ Tum denique homines noſtra intelligim' bona, Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.*

imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille à fundo fundatum vsque mira mole & sculptili opere compleuit, vt hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus preciosis & sericis vestibus illi monasterio cōtulerit, difficile est credere, nisi cui contingit & videre. Vobis quoque, ô pauperes, vel maxima causa dolēdi est: nam nunc demū pauperes facti estis, cùm paupertatis vestræ consolatorem amisistis: ille vos pauit, ille manibus suis lauit, ille nuditatem vestram texit: non ante ianuam, sed ante mensam eius Lazarus iacuit: nec micas, sed regias delicias expectauit. In ipsa mensa famem & fœtorem vlcerosi non abhorruit, cùm minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obstiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuersis morbis confecti iacebant; hos ipsemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem ægritudo compulerat vsque ad sordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur: quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes suas vsquequaq; stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, vt & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem indixit, multa millia pauēda suscepit, verè memor verbi dominici præcipientis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiāt vos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cùm hæc bona, quæ enumerauimus, se habuisse, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit vbi æger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius iis misericordiæ officiis inseruit, quibus Henricus Imperator inseruiuit? O virum pietatis & humanitatis laude insignem! Imperauit mundo, pauperes illi: Mundus illi, pauperibus ipse ministrauit. Hæc de bono misericordiæ in pauperes, quos multum amauit: & quod ab hominibus abscondi non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenij primò locuti (quis enim scire posset, quæ solo DEO teste peregit?) de aliis quoq; virtutibus, quibus claruit, aliqua dicamus: Nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur, si luctui mortis eius vitæ quoque eius læta gesta immisceam, cùm hic mos dolentium sit, vt cùm extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam & mores in argumentum doloris sui edisserant. Itaque iuuat me de eo scribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit. Ille modò personam Imperatoris, modò tanquam militis gerebat: ex vno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbens humilitatis. Tam subtilis ingenij támque magni consilij fuit, vt dum sententia principum vel in causa decernendi juris, vel in tractandis regni negotiis hæsita-

*Fanum Spirense.*

*Henric. IIII. benignitas & comitas erga egenos.*

*Virtus bellica.*

*Solertia.*

ret, ipſe citò nodũ ſolueret, & quid ęquius, quid vtilius eſſet, tanquam ex ipſius arcano ſapientiæ ſumptum, edocent. Intendebat aliorum verbis, ipſemet pauca loquebatur: nec prius ad ſententiam erumpebat, ſed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum ſuorum fixiſſet, eius animi motus perſpiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, ſiue aduorſum ſe cor odij, ſeu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quòd in turba procerum cæteris eminentior & maior ſeipſo videbatur, & quod in vultu terribile quoddam decus præferebat, vnde intuitus aſpicientium tanquam fulmine reuerberaret, cùm inter domeſticos ſuos, & raram turbam, vultu placidus & ſtatura æqualis appareret. Non ſolùm potentes imperij ſui metuebant eum, ſed & reges orientis & occidentis adeò fama eius perterruit, vt antè tributarij ſint facti, quàm victi. Ipſe Rex Græciæ vt metum diſſimularet, amicitiam eius expetebat, & quem futurum hoſtem timuit, muneribus ne fieret hoſtis, præuenit. Teſtatur hoc aurea tabula Spirenſis altaris, tam artis nouitate, quàm metalli pondere miranda, quam Rex Græciæ dum Imperatoris votum & ſtudium circa Spirenſe monaſterium feruere cognoſceret, nobile donũ & tam eo qui miſit, quàm cui mittebatur, digniſſimum tranſmiſit. Sed & Rex Africæ quia potentiam Imperatoris timuit multum, eius fiſco multum addidit. Oppreſſores pauperum oppreſſit, raptores in direptionem dedit, contra ſe contumaces, contraque ſuam potentiam ſe leuantes, adeò retudit, vt in poſteris eorum regiæ vindictæ veſtigia vel hodie compareant: quo nimirum facto & ſuis in præſenti, & Imperij rebus in futurum prouidit, vt diſcant non diſturbare pacem, non armis imperium vexare. Hîc velim abrumpere ſtylum: nam ventum eſt ad factiones, ad fraudes & ſcelera, de quibus vera ſcribere periculum, falſa crimen eſt: hâc lupus, hâc canis vrget. Quid igitur faciam? eloquar an ſileam? manus incipit & dubitat, ſcribit, & renuit, notat & delet, vt penè ignorem, quid velim: Sed turpe eſt inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput abſque manibus pinxiſſe. Pergam igitur, vt cœpi, conſtans & ſecurus inde, quòd fides tua ea mihi perſpecta eſt, vt hæc ſcripta nulli detegas, aut ſi qua foras exierint, autorem non prodas.

*Prudentia & ſagacitas.*

*Statura heroica atque auctoritas.*

*Rex Græciæ.*

*Rex Africæ.*

*Henrici in facinoroſis plectẽdis ſeueritas.*

*Auctor vel hiſtoriã vel nomẽ ſuum vult ſupprimi.*

## HENRICI IIII. CÆSARIS AVGVSTI VITA.



CVM Imperator Henricus, de quo nobis ſermo eſt, patri ſuo glorioſiſſimo Imperatori, tertio Henrico, adhuc puer ſuccederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ conceſſit) regno priorem ſtatum adhuc tenente, non bella pacem diſturbabant, non claſſica quietem rumpebant, non rapina graſſabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iuſtitia ſui vigoris, adhuc poteſtas ſui iuris erat. Hunc beatum regni ſtatum Agnes Imperatrix ſereniſſima, virilis ingenij fœmina, multum iuuit, quæ vnà cum filio Rem-

*Status Imperij poſt mortẽ Henrici III. Caſ.*

*Agnes Auguſta.*

Rempublicam pari iure gubernauit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus languet, audacia crescit, pueriles anni regis multis ſuggerebant animum ſceleris. Igitur quiſque nitebatur maiori ſe æqualis, aut etiam maior fieri: multorumq; potentia ſcelere creuit. Nec legis metus vllus erat, quę ſub rege paruulo, paruulam authoritatem habebat, & vt omnia licentius facere poſſent, primo puerum matre ſpoliabant, cuius maturam ſapiẽtiam, grauesq; mores metuebant, illud cauſantes, non decere regnum adminiſtrari à fœmina, cùm multæ reginæ legantur adminiſtraſſe virili ſapientia. Sed poſtquam rex puer de ſinu matris abſtractus in manus principum nutriendus venit, quicquid illi præſcribebãt faciendum, vt puer fecit: Quem volebant, exaltauit, quem volebant, depoſuit, vt regi ſuo non tam miniſtraſſe, quàm imperaſſe meritò dicantur. Cùm regni cauſam tractabant, non tam regi, quàm ſuæ cauſæ conſulebant: Idq; præcipuum eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia ſuum quæſtum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quòd eum quaſi ſub ſigillo ſeruandum in puerilibus actis ſuæ poteſtati relinquebant, vt & ſic elicerent ab eo, quod affectabant. Sed cùm in eam ætatis & ingenij metam euaſiſſet, vt quid honeſtum, quid turpe, quid vtile, quid non, diſcernere poſſet, retractans quæ ſuggeſtione principum inductus geſſiſſet, multa quæ geſſerat, damnauit: Et ipſe iudex ſui factus, ex iis mutanda mutauit. Prohibebat quoque bella, violentiam & rapinas. Nitebatur pulſam pacem & iuſticiam reuocare, neglectas leges reſtituere, & ſceleris licentiam reſecare. Quos aſſuetos ſceleri, per edictum coërcere non potuit, per cenſuram legis & jus curiæ, mitius tamen quàm culpa exigeret, correxit. Quod illi nõ iuſticiam ſed iniuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati reſpuẽtes, qualiter eum vel extinguerent, vel priuatum facerent, conſiliis incumbebant, non recolentes ſe debere ciuibus ſuis pacem, regno iuſticiam, regi fidem. Igitur Saxones, gens dura, bellis aſpera, tam præceps ad arma quàm audax, vendicans ſibi prærogatiuam laudis ex incepto furoris, repente ſuper regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos, confligere periculoſum exiſtimans, vix elapſus vitam laudi, ſalutem fortunæ prætulit. Itaque videntes inceptum ſuum votis non reſpondiſſe, oſſa filij regis: nec dum enim Imperator factus erat (ô inhumanam mentem, ô probroſam vindictam!) effodêre. Qua vtraque iniuria grauiſſima rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit: Vicit, inquam, aciem contra ſe inſtructam, non obſtinationem erectam. Nam licet eos in pugna congreſſos vinceret, victos fugaret, fugatos perſequeretur: licet bona eorum deuaſtaret, munitiones euerteret, & omnia quæ victori libent, faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cùm inde digreſſus, reparato in breui exercitu, eos inuaderet, diffidentes viribus ſuis, vtpote in priori bello grauiſſimè contuſis, quod ſaluti proximum erat, ſe dedidêre, ſpe-

*Occaſio turbarum.*

*Henric. IIII. puer à matre abduct⁹, omnia ad aliorum præſcriptum agit.*

*Corrumpitur nimia captatorum indulgẽtia.*

*Ex ephebus adoleſcẽtiæ peccata corrigit.*

*Vocatur in odium.*

*Saxones in armis.*

*Sepulcrum filij Henrici violatum.*

*Saxonum acies non obſtinatio victa.*

rantes regem sola deditione contentum gratiam suam facilè donatũ rum. Sed longè præter spem euenit: nam rex eos exilio addictos, in alienas terras misit, vbi dura custodia cõstricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alij fuga elapsi, alij propter pecuniã à custodibus dimissi dum ad patriam & domum suam repedassent, recenti coniuratione se inuicem obligabant, vt parati essent, antè mori, quàm denuo deditioni subiici. Sed & validior eorum coniuratio facta est, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorum, Sueuorũ, data & accepta fide, illis conglutinati sunt, qui regem bellis vndique pulsarent. Videntes autem regem bellis tangi posse, non deiici: vexari, non superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires eius extenuarent, cõfictis cõscriptisq; super eo criminibus, quę pessima & immundissima potuit odium & liuor excogitare, & quæ mihi scribenti & tibi legenti nauseam pararent, si ea ponerem, vera falsis miscentes, apud Romanum pontificem Gregorium septimum eum deferebant: non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quàm nomine, regnare: maximè cùm sibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romę suũ ius in cõstituendis regibus reddi: prouiderent Apostolicus & Roma ex consilio principũ, cuius vita & sapientia tanto congrueret honori. Qua surreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi regis, quem sibi fallaciter obtulerãt, impulsus, regem banno innodauit, & Episcopis aliisque regni principibus, vt à communione excommunicati regis se retraherent, denunciauit: Se citò venturum in Teutonicas oras, vbi de negotiis Ecclesiasticis & potissimum de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: absoluit omnes à iuramento, qui fidem regi iurauerant, vt contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit (si cui displicere licet, quod Apostolicus fecit) & asserebant, tam inefficaciter quàm illicitè factum quod factum est. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apostolici factum refellere. Mox & Episcopi, tam illi quos amor, quàm quos timor in partem regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio se pleriq; retrahebant: quod & maior pars procerum factitabat. Tum verò videns rem suam in arcto sitam, inito tam occulto quàm astuto consilio, subitum & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, vnoq; facto duo peregit, scilicet & banni solutionem accepit, & suspectum sibi colloquium Apostolici cum aduersariis suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit: Quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuisset, nõ sibi respondendum asseruit. Quid vobis profuit hoc egisse, vt banno illigaretur, cùm de banno solutus potentia sua potenter vtatur? Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accusasse? cùm accusationem vestram facili responso, vt ventus puluerem, dissipauerit? Imò quæ dementia vos contra regẽ vestrum & orbis rectorem armauit? Nihil cõiurata vestra malignitas proficit, nihil

*Infelix deditio.*

*Inde nata conspiratio & rebellio.*

*Henricus accusatur Gregorio VII. Papa.*

*Declaratur absentus.*

*O scelestum institutum.*

*Defectiones ex anathemate.*

*Henrici ad Papam profectio & expiatio.*

*Apostrophe ad Cæsaris aduersarios vehemens.*

nihil peragit. Quem Dei manus in regno firmauit, veſtra deiicere non poterit. Vbi fides, quam illi iuraſtis? Quare beneficiorum, quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti eſtis? Vtimini vel adhuc ſano conſilio, non furore, pœniteat vos incepti, ne fortior vobis ſuperueniens vincat vos, & pedibus ſuis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris ſeculis demonſtret, quid regia manus valeat. Saltem vos, ô Epiſcopi, videte ne pereatis de via iuſta, videte ne tranſgreſſores fidei promiſſæ fiatis: alioqui quid conſequatur vos ipſi noſtis. Igitur rex ab Apoſtolico digreſſus, benedictione pro maledictione accepta, Rudolfum Ducem ſuper ſe regem creatum inuenit. Qui audita regreſſionis eius fama, antè paratus ad fugam quàm ad pugnam, antè pulſus quàm victus, in Saxoniam fugit. Facile eſt regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum ſit, virum in rebus bellicis exercitatum & ſtrenuum tunc fugiſſe: Quia ſæpe iuſtior & victrix cauſa fortes in metum mittit & in fugam. O auaritiam, peſtem peſſimam, quæ bonos mores tranſuertit, & ſæpe ipſas virtutes ad vitia trahit. Iſte Rudolfus Dux eximius, vir magnæ authoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique ſpectatus in omni genere virtutum: Iſte, inquam, auaritia, quæ vincit omnia, victus, & ſupplantator domini ſui factus, fidem incerto poſtpoſuit honori. Fuere tum qui dicerent, ab Apoſtolico eum immiſſum, nec vnquam tantæ virtutis virum magis auaritiæ quàm conſilio ceſſiſſe. Et hoc in argumentum ſumebant, quòd Apoſtolicus tacuit, dum poſt abſolutionem regis Rudolfus regnum inuaſit: iuxta illud Comici: Qui tacet, ſatis laudat. Itaque rex cedente Rudolfo, cuius caput, ſi deprehenſus eſſet, vindex gladius dignè rotaret, Bauariam, Sueuiamque inuaſit, & coniurationis aduerſum ſe ſocios vaſtauit, munitiones eorum fregit. Nec tamen pro iniuriæ ſuæ materia ſe vindicabat, ſed ſciens in vltione freno vti, longè infra metam culpæ cohibebat habenas vindictæ. Sed Rudolfus vt dedecus fugæ virtutis facto recompenſaret, Wirtziburgenſem ciuitatem obſedit, vbi tamen fraude magis quàm virtute pugnatum eſt. Nam cùm rex ad propellendum hoſtem exercitum conuocaſſet, inſtructa amborum partium acie, & primis inter ſe prælia miſcentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui ſe regis lateri quaſi fidi clientes applicuerant, ſubitò in ipſum arma verterunt: Sed ære munito corpori liuorem, non vulnus inflixerunt. Heu miſerrimi, quibus precium & ſceleris cauſa fuit & necis, quos vno in loco & crimen inuoluit & vindicta. Nam eos tot vindices dextræ in fruſta concidebant, vt in eis humani cadaueris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, ſpargitur rumor, regem interfectum: Quo rumore perterritus exercitus fu-

*Rudolfus Henrici æmulus.*

*¶Frangit & attollit vires in milite cauſa, Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.*

*Papa μηλαvoῤῥάφος κακῶν.*

*Henrici & Rudolfi bellum ciuile.*

*Præliũ Wirziburgenſe.*

*Auri ſacra fames quid non mortalia cogis Pectora?*

git, hoſtis inſequitur. Et quoniam in equis equitum ſalus, ſolis peditibus miſerabile fatum incubuit. Ideóque victoria quanto maior, tanto minoris tituli fuit. Sic hoſtis vrbe capta, impoſitóque præſidio, in Saxoniam regreſſus eſt. Quid improbe tibi profuit, vel indiſcreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ vrbis, cùm nec vrbe diu, nunquam autem regno potiaris? Rex enim breui pòſt tempore cum exercitu reuerſus, ereptam vrbem recepit.

*Wertzeburgum ab hoſte recuperatur.*

Nam ij quibus prouincia vrbis tuendæ tradita fuerat, ex vrbe profugerant. Poſtea Saxoniam cum exercitu ſæpius ingreſſus, aut victor aut æqua manu receſſit.

*Bella Henrici in Saxonia.*

Sed ad vltimum reuerſus, tam notanda quàm felici victoria vicit; magnúmque mundo documentum datum eſt, vt nemo contra dominum ſuum conſurgat. Nam abſciſſa Rudolfi dextera digniſſimam periurij vindictam demonſtrauit, qui fidem domino ſuo regi iuratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non ſufficerent, ad mortem acceſſit etiam huius membri pœna, vt per pœnam agnoſceretur & culpa.

*Rudolfus periur⁹ dextram & vitã amittit.*

Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quòd tam victor, quàm victus exercitus: Nimirum hoc ordinante deſuper diuina clementia, vt poſt ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis. Sed gens dura nec damno monita eſt, nec ſigno, quin potius vt obſtinatione vinceret, quod manu non poterat, Hermannum nouum ſibi regem conſtituit, qui & ipſe nouo modo periit.

*Hermãnus Rudolfo ſurrogatus.*

Nam cùm Saxones eum de terra ſua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo diſplicuit, reuerſus in patriam ſuam, portans inane nomen regis, ad Hermannum Treuirenſem Epiſcopum ſe contulit, quem etiam ad auſum ſentiendi contra regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat non ex ſuis, ſed ex opibus alienis? Quadam die cùm iter ageret, incidit animo ſuo iocus ille, vt ad caſtellum, quo ituri erant, ſub ſpecie hoſtium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium ineſſet, tentarent. Quam mirabilem viam, quam inopinam ſæpe inuenit, quod futurum eſt vt fiat? Cúmque portam abſque clauſtris & abſque cuſtode repertam irrumperent, aliis qui intus erant raptis armis viriliter contrà procurrentibus, aliis latebras eneruiter quæritantibus, fœmina ſexu, fœmina non animo, quæ in turrim euaſerat, molarem in caput regis demiſit: Et ſic ille manu fœminea, vt mors eius turpior eſſet, occubuit.

*Eiuſdẽ miſerabilis interitus.*

Sed vt hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum in virilem perſonam ex compoſito tranſtulerunt. Poſt hanc regum fortunam in creatione regum diu hæſitatum eſt, & caſus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cu-

*Ecber. Marchionis ambitus.*

dem cupiditas, & Ecbertum Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamen in morte serò didicit, quòd alter ex alterius damnis instrui possit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam regis prospero ire cursu videbat, in partes eius se conuerterat, præsumens fiduciam & ex loci sui firmitate & ex regia subuentione. Quod indignè ferentes Saxonum proceres, vrbem obsidione vallabant. Marchio verò Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, vt se accommodaret ad id, quod affectabat, maiori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissáque multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deuiantem à publica via, ne fortè incideret in hostes (quis enim tam potens qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta iudicia tua DEVS, quàm miro ordine & abscondis quæ facturus es, & aperis quod abscondisti! Iam meridianus ardor solis equos equorúmque sessores vrebat, & vt fit, sitim æstus accendebat. præterea tam grauis sopor fessis obrepsit, vt colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molendinum conspexere, quò diuertentes sopori se dedêre, misso interim molendinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis vtre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obuios habuit, qui erant occultè fideles regis, licet aduersæ partis. A quibus interrogatus vnde prodiret, quò tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens cælare, quod sciebat, hospitem suum & caussam itineris indicauit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quidque præmij, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam: maximam virtutē per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, immissis equis ad molendinum properabant. Sed peruenerunt antè votis quàm equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus non in acie sed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimium es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conuentus Procerum confusus, procinctum soluit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promouebant: aduersariorum autem eius deorsum vergebant, & omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat. Cùm ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione regum; iterum se conuiciis armauerunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa

*Nex in molendino.* (beside: votis quàm equis…)

*Henricus ab æmulorum occasu iterum Papæ accusatur.*

& nefanda criminati sunt, quòd reges christianissimos, quos ipsi non sine authoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris à regno factus, occidisset, regnum sanguine vsurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam aduersus Ecclesiam & re-

*Inde iterata dira.* gnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, vt ipsi iactabant, illigauit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quòd non rationis sed arbitrij, non amoris sed odij esse videretur. Cernens autem rex Apostolicum ad hoc tendere, vt se regno priuaret, nec alia sua obœdien-

*Talio.* tia contentum, nisi vt regno renuntiaret, ex obœdientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, vt Ecclesiasticum caput de suo culmine deiicias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque rex causas & occasiones qualiter eum eiiceret, inuentumque est eum Rom. sedem olim abiuratam insedisse: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam dum archidiaconus esset, adhuc viuente domino suo per ambitionem aspirare voluerit. Vtrum hæc vera sint an falsa, parum comperi: alij asserebant, alij figmentum esse dicebant: vtrisque Ro-

*Roma cupiditatis ancilla.* ma fuit in argumentum: his, quòd Roma mundi domina nunquam pateretur tale nefas: illis, quòd ea cupiditatis ancilla facilè permitteret ob precium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cùm incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igi-

*Henrici expeditio in Papam.* tur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curuauit, factiones dissipauit, in cuius aduentu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & re-

*Obsidio Romæ.* gi suo velut hosti portas præcludebat. Vnde rex iusta commotus indignatione, vrbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui sibi aditum, illis exitum negauit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas euerterent, bona diriperent: prouinciæque nocuit foris, quod Roma seclauserat intus. Foris bella, intus metus erat, vndique machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contrà qui in vrbe erant, tela, saxa, præustas sudes, ignemque iactabant, interdum egressi, comminus committebant, vtrinque fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die cùm exercitus vterque pugna æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, nec specula-

*Vide historiam de Viperto Groicensi.* tor (vt fortuna voluit) vigilaret, vnus ex scutariis propius ad murum, vt pila legeret, accessit. Cumque erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adiutus & animi confidentia, & cor-

poris

poris leuitate, manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem
muri summitatem apprehendit. Tum verò cùm iactatis circumquaq;
oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis
motu sociis innuebat, vixq; se à clamore, cùm tardius innuentem at-
tenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citiùs- *Roma expugnatur.*
que (vt aiunt) dicto murum superantes, captam vrbem serò defen-
dentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur iam rex reclusum
portarum aditum, vbi & sequens à præeunte tardaretur, & pręcedens
à sequente premeretur: sed in vltionem temerariæ præclusionis ius-
sit, vt fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quò totus
exercitus æquato iunctoq; latere se simul immergeret. Igitur vbique
mors, vbique luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium
altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum im- *Papa fuga.*
pulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam præsumptio-
nis suæ pœnituit, & quæ priùs meruisse poterat, vt à Rege donis ho-
noraretur, nũc ingenti pecunia apud regem vix obtinuit, ne tota sub-
uerteretur. Mox sedatis omnibus, Rex causam cur venisset, in publi- *Exauctoratio.*
cum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit: multis
hoc ita factum confessis, Clementem Papam ad electionem omni-
um instituit: à quo ipse communi omnium fauore consecratus Im- *Henric Imper. & patricius renunciatur.*
perator, & patricius factus, Romę se per aliquod tempus, dum omnia
in solidam reformaret concordiam, continuit. Nec prætereundum,
quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamauit,
& ipsa Roma asserit. Imperator consueuerat quoddam oratorium o-
rationis causa frequentare, & nullum diem, quin veniret, prætermit-
tere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi fami-
liarem, vbi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc *Petitur frustra insidijs.*
eius cõsuetudinem dum quidam profanę mentis attenderet, seu pro-
pria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super tra-
bem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataq; de la-
queari tabula, quæ caput Imperatoris recta despiciebat, mittẽdo pon-
deri foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in ca-
dendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum
in nocte scandens, desuper obseruabat, dum Imperator staret ad oran-
dum in loco quo consueuerat. Tamen ille auidus alieni exitij, sed ne-
scius sui, cùm pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator au-
tem parum se de loco mouerat) cum pondere infelix ipse pondus illę-
so Imperatore cecidit. Per totam Romam citò res innotuit, & plebs,
quæ non facilè sedari potest, dum mota fuerit, inuito Imperatore, se-
mianime corpus per rupes per saxa tractum, in frusta discerpsit. Tum
verò cuncti rem signo non euentui assignantes, fide & animis Impe-
ratori deuinctiores facti sunt: & inimicum consilium non solùm illi
fideles firmauit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: Sicq; dum no- *Regreditur rebus cõpositis in Germaniam.*
cere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ composi-

tis, impoſitoque vrbi præſidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reuerſus eſt. Sed nulla fortuna longa eſt. Nam hi, quos Imperator Romæ præſidio impoſuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æſtas) ne vno quidem ſuperſtite mortui ſunt. Tunc Roma iugo præſidij ſublato, compos arbitrij ſui facta ad ingenium rediit, & reſumptis aduerſus Imperatorem armis, pulſo Apoſtolico alium conſtituit. Nam ille prior Gregorius à vita diſceſſerat. Quod vbi Imperatori compertum eſſet, iterum aduerſus Romam exercitum promouit. Sed in Italiam veniens, cùm legati à Roma pactum pacis ferentes occurrerent, & cùm inimici moliminis fama ſequeretur, relicto in Italia filio Conrado, iam tum regni ſui hærede deſignato, regreſſus eſt, ſcilicet qui ſe graſſanti Mathildi, & pæne totam Italiam ſibi vendicanti, opponeret, & regnum, quod futurum erat ſuum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cùm inſurgant in parentes ipſi filij? vnde ſecuritatem ſibi quis promittat, cùm nec ab eo tutus ſit, quem genuit? Ceſſent iam connubia: nemo ſibi optet hæredem: hæres tuus erit hoſtis tuus. Nam non ſolùm te domo tua prædiisq; ſpoliat, ſed & vita ſpoliare feſtinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob cauſam relictum diximus, à Mathilde perſuaſus, (quem enim aſtutia fœminea non ſubuertat, aut decipiat?) iunctus inimicis patris, coronam ſibi impoſuit, regnum inuaſit, profanauit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris ſanguinem: Quia non niſi ſanguine patris regnare potuiſſet. Quod vbi ad hoſtes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filij, præcipuè fœminam ducem facti. Mittebant properè legatos, qui ſtimulum animo noui regis adiicerent, & adderent oleum camino, qui per ſe, ſed contra ſe fidem & opem perpetuam iurarent. Quanquam dudum ſe tam filio quàm patri nunquã obtemperaturos coniuraſſent. Imperator autem ad hanc famam tametſi intus doluit, in grauitate tamen ſua ſe foris tenuit: & non ſuam ſed filij fortunam conqueſtus eſt. Cùm autem eum ab incepto reuocare non poſſet, non tam ſuam iniuriam, quàm exemplum iniuriæ per vltionem tollere quærens, filium exhæredare, & fratrem eius Henricum adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igitur multis procerum conuentibus habitis, Imperator ſuper filio ſuo Conrado cõqueſtus eſt: Quia additus hoſtibus, regnum inuaſiſſet, & quòd patrem nõ ſolùm regno ſed & vita priuare conaretur: Iniuriam ſuam publicam eſſe debere, vel ſi nullum ea moueret, ſaltem hoc Reipub. cauſa præſtarent, vt per vim neminem & ſcelus regnare paterentur: Transferrent potius electionem in minorem filium ſuum, quam iure maior amiſiſſet. Plæriq; contrà nitebantur, magis vtentes ingenio quàm iuſto & vero. Multi autem publico bono fauentes, ſententiæ votoque Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in vnam

ſententiam

*Præſidij Romani internecio, indeque noui motus.*

*Conradus Henrici F.*

*Mathildis.*

*Exclamatio in liberorũ impietatẽ.*

*Conradi rebellio.*

*Aſſecla.*

*Henric⁹ alter Hẽrici F.*

sententiam coëuntibus, & concordi fauore approbantibus, Imperator minorem filium, inuasore prius ex decreto curiæ diiudicato, hęredem regni sui constituit: à quo, ne & ipse abiret in viam fratris sui, iusiurandum accepit, videlicet ne vnquam se vel de regno, vel de prædiis patris eo viuente (nisi fortè ex consensu ipsius) intromitteret. Iam tum murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamq; regni cladem futuram. Sed qui omnia dispensat, hunc metum letho maioris filij sustulit, & vt regnum in vnam concordiam redire posset, occasionem dedit. Quibus ita transactis, hostes Imperatoris detruncato toties capite nō habentes cui adhærerent, pactione subacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatem castra conuerterunt. Igitur vt vbique pax & tranquillitas esset, conuocatis ad curiam primatibus, pacem per totum regnum sub iuramento firmari fecit. Et ad inhibenda mala quæ fiebant, grauem pœnam in transgressores decreuit. Quod quidem pacis decretum quantum miseris & bonis profuit, tantum peruersis & potentibus nocuit: Illis copiam, istis egestatem & famem intulit. Nam qui in milites bona sua distraxerant, vt multo milite stipati procederent, & aliis armorum copia longè præstarent, hi dum sibi licentia rapinarum erepta est (quod pace illorum dictum sit) egestate laborabant, cellaria eorum penuria & fames possidebat. Qui nuper spumeo ferebatur equo, contentus esse cœpit vel rustico iumento. Qui nuper non aliam vestem quærebat, nisi quæ rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat, si nunc vestem quam natura suo colore tinxisset, haberet. Gaudebat aurum non se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret vti. Denique quicquid vanitatis quicquid superfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppida in ripis posita, quibus præda nauium victum præbebat, nauta securus, esuriente oppiduli præside, præteribat. Mira res, nec minus ridicula. Alij iniurias suas iniuriis vindicant, Imperator suas pace vindicabat. Cùm autem domini cum satellitibus suis per aliquot annos hac lege stringerentur anxij, quòd non liceret eis vti libertate peruersitatis suæ, iterum aduersus Imperatorem murmur mouebant, iterum super eius factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud (rogo) est, quod admisit? Nempe hoc erat, quòd scelera prohibebat, quòd pacem & iusticiam reuocabat, quòd iam latro viam non obsedit, quòd sylua suas insidias non occultauit, quòd nautis mercatoribúsque liberum erat suam ire viam, quòd vetitis rapinis raptor esuriebat. Cur, obsecro, vobis non aliunde nisi ex rapto viuere placet? Redditeagris, quos ex agro depulistis armis: coæquate numerum satellitum ad mensuram facultatum, recolligite prædia vestra, quæ stultè sparsistis, vt multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria vestra: Nec erit ampliùs necesse aliena tollere, cùm quilibet ex proprio possit abundare. Sic fit, vt nec Impera-

*Surrogatur Conrado exhæredi.*

*Pax à Conradi morte edicto sancita.*

*Eadem bellatoribus incommoda.*

*Apologia pro Imp.*

tor crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur. Sic fit, vt & corpori satisfacere habeatis, & animas vestras (quod fœlicissimũ est) saluetis. Sed nihil ago, asinum ad lyram voco: Consuetudo mala aut

*Auctores noui tumult⁹.*

nunquam aut vix tollitur. Igitur assueti rapinis, vt occasionem repetendæ consuetudinis inuenirent, mouendis iterum bellis animum intendebant, iterũ æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam

*Henricus F.*

rem filium eius maximè idoneum existimabant. Itaque vt suggestioni locum inuenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum secum abducebant, conuiuiorum illecebris inescabant,

*θέλγητρα corruptela.*

iocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda, quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Deniq; vt fit inter adolescentes, quodam sodalitatis glutino vincti sunt, vt etiam fidem dextramque mutuis sacramentis darent. Cùm ergo eum multis dolis irretitum decipi posse considerarent, quodam die inter alia tanquam ex

*O flagitiũ.*

obliquo patrem eius in mentionem adducebant: se mirari, quòd tam durum patrem pati posset: nihil eum à seruo differre, cùm omnia quæ serui sunt, toleraret; patrem eius senem esse, & moderandis regni habenis inualidum: Si inuestituram regni vsque ad obitum eius differret, haud dubium quin alter illud sibi præriperet: illum multos fautores habiturum propter inuidiam & odium patris sui: se autẽ omnium vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maximè cùm patrem eius excommunicatum & Ecclesia dudum reiecerit, & proceres regni reprobauerint. Nec sibi obseruandum, quod incautè iurauerit, imò tum demum se sanctificasse, si iuramentum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater verò de filio nihil mali suspicatus, familiaritatẽ eius cum maioribus regni probauit, sperãs eos sibi postmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum laturos, quanto prius inuicem in amore magis coaluissent. Quid multa? statim illectus & abstractus à concupiscentia, malignæ suggestioni (vt semper seductilis est adolescentia) nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris obseruans tempus recedendi à patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem

*Henrici F. fuga & defectio.*

illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles, qui per legatos obuiam Imperatori missos pactioni insistebant, repentè abstractis ab eo multis, deseruit, procul dubio deserendus ab iis, qui sibi, vt desertor fieret, persuaserunt. Missis Imperator post eum legatis, tam lacrymis quàm mandatis reuocauit, obtestans eum, ne senem patrem contristaret: imò ne patrem omnium offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne se fabulam mundo faceret. Insuper meminisset, qua se sibi cautione obligasset: hostes esse non amicos, insidiatores non consultores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, & se non vlterius secum partem habiturum, quia excommunicatus esset,

*Religio sceleris prætextus.*

asseruit. Ita sub specie causæ DEI suam causam egit. Illico Bauariam, Sueuiam, Saxoniam percurrit, proceres conuenit, attraxit omnes (vt

ſunt ingenia nouarum rerum cupida) & ſubintrauit in regiam poteſtatem, tanquam ſepeliiſſet patrem. Mox caſtellum Norinberch minax obſedit, vbi quanta virtute pugnatum ſit, clades vtriuſque partis argumento fuit. Sed obſeſſis quanto minus ſpei, tanto plus animi inerat: & niſi Imperator ſceleri parcens, caſtellum tradere præcepiſſet, adhuc ibi caſſa obſidione laboraret, excepto ſi ſola fames, quæ cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filij factum paternitatis affectum: non attendit iniuriam ſed naturam: maluit oppidum tradi, quàm filij diſcrimine liberari: maluit eius iniurias tolerare, quàm vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt: dimiſſóque exercitu, rex Ratisbonam ſe contulit, vt eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, ſtabilem ſibi fixáque fide immobilem faceret. Quod vbi comperit Imperator (ſedit enim tunc in vrbe Wirtziburgenſi) reputans filium vel in itinere vel in vrbe comprehendi poſſe, tam præcipiti tamque tacito curſu veſtigia eius ſequebatur, vt iter eius non antè, donec modica turba ſuorum, tranſito Danubio, ad vrbem immiſſis equis ruerent, præſciretur. Obſtupefactus filius ad tam ſubitam & inopinatam rem, ex vrbe profugit. Cur fugis non fugiendum? cur fugis patrem tuum? ſequitur te, non perſequitur: ſequitur, inquam, non vt hoſtis, ſed vt pater: non vt perdat, ſed vt ſeruet: ſequitur vt turbatam ex te Rempublicam in quietum ſtatum reſtituat, & tuis rebus in futurum proſpiciat. Miſſis illico rex nunciis per Bauariam & Sueuiam, ſparſum exercitum recolligit: Quæ res Imperatorem coëgit, vt & ipſe exercitum cogeret. Igitur exercitus vterque ad fluuium, cui Regino nomen, ſe ſibi oppoſuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor conſedit. Cumque potentiores vtriuſque partis, tanquam tanti diſſidij mediatores conuenirent, qui ex parte Imperatoris erant, perſuaſibilibus illecti verbis, & multis magnisque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & niſi domeſticam fraudem præſenſiſſet, ſolus cum paucis periculo relictus eſſet. Igitur quod faciendum fuit, ſceleri fortunæque cedendum putauit, & ad ſimilitudinem Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quàm mirabiliter gratia DEI operatur? quàm euidenti ſigno nos docet, ſi doceri vellemus, ſi cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quòd inimici ſui via, qua venerat, perſequerentur eum, ad Ducem Bohemiæ diuertit, qui quamuis nuper eum in arcto non bene reliquiſſet, cum magno tamen honore ſuſcepit, & vſq; in Saxoniam deduxit: vbi quamuis infeſtos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis vſque ad Rhenum honorificè deductus eſt. Vnde hoc? niſi quòd manus Domini erat cum eo, & inuiſibilē ducem habebat, qui eum ſecurū per tela, per hoſtes ducebat? Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, ſi mo-

*Norinberga.*

*ςοργὴ paterna.*

*Ratisbona.*

*Henrici F. fuga bellicíq; apparatus.*

*Regino fluuius.*

*Henrici patris ob ſuorum defectiões fuga.*

*Dux Boiemia.*

*Benignitas in hoſte.*

neri posses, vt disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem venerati sunt, cùm in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cùm ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cùm autem Imperatoris fuga cognita esset, euentus ille multos ab eo seduxit, multúmq; rebus filij sui accedere, suis autem decedere fecit. Con-

*Conuentus Imperij Mogunt.*

tinuò rex vt fauentem sibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos, vt cunctis innotesceret, quia dominus rerũ esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, conuocatis necessariis suis, venire disposuit, volens in ratione ponere, rectè ne secum an secus actum esset. Quod cùm a-

*Fraudulenta machinatio.*

gnouissent aduersarij eius, metuentes sibi & causæ suæ, si veniret ille, tã armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudẽ regi suggerebant, vt obuius patri sumpto valde pœnitentis vultu culpã fateretur, & gratiam expeteret: dolere se, quòd malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inueniret. Et si sic occasionem fraudis inuenire posset, vteretur illa: Sin autem, fraus ipsa

*Henrici F. simulatum obsequium.*

pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cùm venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filij, irruit super collum eius, flens & deosculans eum, gauisus instar illius Euangelici patris, reuixisse filium, qui mortuus erat, & inuentum, qui perierat. Quid multa? cõdonauit filio tam pœnam quàm culpam: & hoc fuit illi iniuriam filij vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, iuxta illud Comici: Pro magno peccato filij, paululum supplicij satis est pa tri. Post hæc patrem sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, sug-

*Dolus.*

gerens ei, quemadmodum sibi suggestũ fuerat, vt dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil esse, cùm ipsi coiissent in concordiam, quod illi resisteret: vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaq; multitudine, non plus quàm trecentis viris ad curiã filio comite pergebat. Ventũ est ad nocturnã mansionẽ: ibi se filius obsequio patris totũ impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, auidus recompensare damnũ oblectationis diu intermissæ: sed nescius illam oblectationis no-

*¶διζημένοισι τἀγαθὰ μόλις παραγίνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισι.*

ctem vltimam esse. Mirum, fraudem vimq; tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namq; die cùm appropinquarent Moguntiæ, venit nuncius subornatus qui diceret, Bauaros & Sueuos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis regi frenis: diuerteret potius ad castellum, quod iuxtà erat, dum ipse conueniret eos, & à sententia incœpti dedu ceret, & ad eum ob requirendam eius gratiam, secum adduceret. Fecit Imperator vti filius suggesserat, diuertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Cùm autem

tem Imperator cum paucis intraſſet, occluſa porta, fidelibus eius aditus negabatur, detectaq; fraude, qui receptus eſt vt Dominus, tentus eſt ibi vt captiuus. Itaque appoſitis patri cuſtodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reuerſus filius, tanquam rem virtutis egiſſet, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendiſſet. Tum verò curia plauſu lætitiaque reſonabat: & nefas iuſticiæ fraudem virtuti aſſcribebant. Statim miſſo legato, patri mandauit, vt ſi vitam ſeruare vellet, abſque mora ſibi crucem, coronam & lanceam, cæteraque regalia tranſmitteret: & munitiones, quas firmiſſimas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur omnia quæ iuſſus eſt facere, nec imperium pluris habebat quàm ſe. Sed non in hoc ſatis feciſſe videbatur, niſi & ipſe coràm veniret, & in conſpectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non ſuæ poteſtatis, ſed in comprehenſione adductus: Solus coram eis, qui dudum coram ſe ſteterant, ſtetit: nec orationis libertatem habens, vt captiui fortuna poſtulabat, loquebatur. Inquiſitus de ſpontanea Imperij renunciatione, non quod voluntas habuit, ſed quod neceſſitas coëgit, reſpondit: ſe videlicet Imperio renunciare, non vi coactum ſed propria voluntate inductum, ſibi iam defeciſſe vires ad moderandas regni habenas, non ſe eius iam cupiditate teneri, quod longo vſu didiciſſet, habere plus moleſtiæ quàm gloriæ: tempus eſſe, vt honore cum onere depoſito, prouideret animæ ſuæ: tantùm filius caueret, ne quid tale faceret in ſe, quod indignum eſſet, & illum facere & ſe pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas cõmouit: filium autem ad miſerationem nec ipſa natura mouere potuit. Et cùm caderet ad pedes filij, orans, vt recogitaret in ſe ſaltem ius naturæ, nec vultum nec animum ad patrem reflexit: Cùm ipſe potius ad patris pedes aduolui debuiſſet, eo quòd illi regnum (cuius hæres ab ipſo deſignatus fuerat) impatiens moræ, præripuiſſet. Præterea veniam precabatur ab omnibus, quos vnquam iniuſtè læſiſſet: Sed & pedibus Apoſtolici legati aduoluitur, orans & obſecrans, vt ſe à banno ſolueret, & communioni Eccleſiæ redderet. Laici miſericordia moti, veniam dabant: Legatus autem domini Apoſtolici abſolutionem negabat, aſſerens non hoc ſuæ poteſtatis eſſe: oportere ab ipſo Apoſtolico abſolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenunciata Imperiali dignitate priuatus diſceſſit, & ad quãdam ciuitatem, quam filius victui illius permiſerat, receſſit. Quàm impotens potentia mundi, quàm inſtabilis! Sed nec potentia dicenda eſt, quæ ad omnia quæ vult efficax non eſt, & quam qui aſſequitur, amittere poteſt. His ita tranſactis, finitaque curia, rex ſuperiores Rheni regiones & vrbes pertranſiit, & vt res poſtulabat, hos beneficio, illos iniuria ſibi ſubiecit. Cùm autem intraſſet Alſatiam, ibi fortuna eius aliquantulum hæſit, ibi pugnam tam infelici euentu, quàm imprudenmargin

*Henric. pater ex Imp. captiuus.*

*Spoliatur inſignibus & fortunis.*

*Abdicat ſe imperio.*

*O ἄστοργον & ferreum filij pectus.*

*Legatus Papæ durior Laicis.*

*Exclamatio.*

*Henrici F. imperium.*

*Clades & fuga è seditione Rufachana.* ti gessit incepto. Nam cùm in villa Rufach, quæ multitudine præualet & armis, satellites eius superbè grassarentur, frequentia ciuium iniuriam prohibebat: nec enim dum iniuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu, rex properabat, non vt iniuriam prohiberet, sed iuuaret, non vt pugnam sedaret, sed amplius commoueret. Quæ res totius villæ turbam exciuit: ruit irreuocabile vulgus, fœmina cum viro, seruus cum domino, ignauus cum forti: & vt plærunque fit, animum iniuria ministrauit. Incepta pugna, incepta est fuga: Nam qui regiæ partis erant, cùm viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto sitã, considerantes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga vitam seruabant. O infelicem euentum, ô dedecus *Talio.* regni: fugiente rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce tandem rex bone, resipisce, & supernam iram in hac sorte tua recognosce. Iudicium iræ DEI est, vt fugeres, qui patrem fugasti: & insignia perderes, quę patri abstulisti. Sed his postea receptis, interuenien te pacto pacis & gratia veniæ, regem sententiam mutare fecit altum *Vindicta.* vulnus iniuriæ, vt maiori robore collecto, villam incendio prædáque vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæuiret. Sed quod *Hostilis conatus aduersus patrem.* in se fortuna tantum ausa est, ex patris consilio prodisse suspicatus, nouas iniuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehẽsionem eius, vel ad expulsionem ani- *Leodium.* mum intendit. Itaque Leodij, vbi eum fidem & fortunæ suæ receptaculum inuenisse audierat, Pascha sibi celebrãdum statuit, vt & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab Episcopo, qui sui honoris æmulum recepisset, iniuriam expostularet. Cumq; pater audisset, quòd filius Leodij Pascha celebrãdum statuisset, legationem ad eum in hunc *Henrici patris ad filiũ legatio.* modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum an mandatum DEI præstantius, magisq; tenendum sit, respondebis, nisi à vero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, humanis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere patrem tuum, quàm verbum ipsius DEI, honora patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: Isti honori tuo non prouident, sed inuident: Isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, vt peccatis meis exigentibus (quæ sententia aduersariorũ meorum est) abiecerit me Deus, ne regnem: attamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, & regnũ quod tibi paraueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanũ facinus damnant ac deuouent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immatu- *Candor.* ram ætatem decepit, cùm etiam senes & fixum animi statum ad malum mala consilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius,

tius,quàm tui ſceleris eſt: Nam tu in manibus ſuadentium eras,non ille in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excuſari poteris,cùm & factam crimen eſſe ſcias,& infectam nō facere queas. Audiui enim, quòd Paſcha Leodij celebrandum decreueris: Quo in loco fides & pietas Epiſcopi me recepit, cùm non eſſet, qui vel beneficiorum noſtrorum recordaretur,vel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficiis in me te decet regia liberalitate reſpondere: tantoq; certior de eius fide poteris eſſe,quanto fidelius erga nos probatur egiſſe. Hic,niſi te fortè domo receperit, me ſecum in feſtiuitate paſchali retinendum decreuit. At dicis,dignum & conueniens eſſe,vt ea feſtiuitas nos iungat, potius quàm diuidat: te velle, te cupere, vt ibi tecum agam dies paſchalis lætitiæ: quod quidem & ego admodū cuperem, ſi non eſſet,quod timerem. Neque enim non poſſum non timere eos, quos mihi vitam permiſiſſe, pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuiſſet. Omnia mihi ſuſpecta ſunt, omnia timenda ſunt, maximè in turba, vbi tanto difficilior eſt periculi cautio, quanto maior ſceleris occaſio. Inde eſt,quòd ex medio eorum,qui me oderunt,longè receſſi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: vt vel ſeceſſu loci tutus ſim, vel ſi fortuna mea poſtulauerit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere poſſim. Precor ergo vt cauſſa patris tui paſchalem curiam alibi diſponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cùm non liceat Imperatorem, ſaltem hoſpitem eſſe ſinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quòd in ſolennitate dominicæ reſurrectionis incerta hoſpitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod poſtulo, maximas grates habeo: Sin autem, malo villicus eſſe in externis regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis. Hanc legationem patris aure ſurda audiuit filius, nec à ſententia ſua deduci potuit. Quamobrem cùm iam inſtante paſcha pater recedere vellet, Epiſcopus & Henricus Dux (qui & ipſe ab Epiſcopo fuerat inuitatus) eum recedere prohibebāt: Non ſe poſſe pati,vt in tāta feſtiuitate è tectis hominum ſyluas peteret latebraſque ferarum: Illum quidem abſque cauſa deſtitutum Imperio, ſed non amicorum obſequio: ſi pace frui permitterentur, nihil ſe magis quàm pacem velle: ſin autem res armis agenda ſit, arma ſibi non defore. Ille verò ne eis materia cladis eſſet, cedere quàm manere vtilius aſſerens,tandem eis cùm importunius inſtarent, conſenſit,& vt poſtulabant manſit. Iamque multus equitatus faciem regis longè præcedens ad pontem fluuij, qui vocatur Moſa, venerat, & alterius ripæ crepidinem filius prædicti ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longè per opportuna loca in inſidiis locauerat. Qui vt pugnam prouocaret, nunc equum in rectam curſus lineam immiſit, nunc in orbes flexit & reflexit, & ſi pares numero confligere ſecum auderent, inquiſiuit. Nec mora tranſierunt ad eos totidem ex parte regis, mixtique inter ſe vario reflexu, nunc pugnam in-

*Animus gratus.*

*Henrici F. impietas.*

*Leodiēſis & Hērici Limburg. fides.*

*Henri. Limburg. F. ad pugnam ſe comparat.*

ferebant, nunc fugam agitabant. Interim vnus & alter transito ponte sociorum numerum latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius ducis terga cum suis vertit, non tam vt fugeret, quàm vt falleret: nec tam vt fugiens periculum vitaret, quàm vt sequẽtes in periculum deduceret. Hi autem qui ex aduersa ripa erant, visa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis, quæ latebat. Postquam enim ventum est ad locum, vbi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo metuque turbante, nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit auertisse pectora, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: victorque cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem verò vbi fugax multitudo se coarctauerat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se mouere potuit. Sed multo plures fluuius absorbuit, quàm ensis hausit. Nam cùm hostis à tergo premeret, impellente metu se in fluuium præcipitabant, & attoniti confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseriam vel maximam, cùm pons multitudine prægrauatus repentè corruit, & fluuius homines equosque pariter inuoluit. Nulli locus erat euadendi: nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pondere aut inhærentium connexione fatigatus, in profundum trahebatur. Quod malum vt scelestius esset, in ipsa die parasceue contigit, creuitque magnitudo sceleris ex reuerentia temporis. His ita transactis, rex iter Coloniam conuertit. Sed cùm illa quoque aditum sibi præclusisset, in villa, quæ dicitur Bonna, dominica tantũ Paschæ peracta, Moguntiam festinus rediit. Et sparsis vbique legatis, querimoniam ad proceres in hũc modum direxit: Si per inuasionem regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderem, in quantum possem. Nunc autem cùm in sumpta regni dignitate vestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare. Cùm enim Leodium ituri, vbi nobis curia paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam venissemus, Episcopus Leodiensis & Dux Henricus, de quorum fide & obsequij deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant: Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre quàm inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cùm me recipere satis superbè refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ vtcunque peregi. Cui vnquam regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solùm me petit hæc contumelia, vos despecti estis: isti præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tantùm

*Eiusdē stratagema.* *Victoria.* *Colonia.* *Bonna.* *Henrici V. ad ordines Imperij querimonia.*

tùm statuta firma esse volunt: denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt; regem, quem constituistis, destituere parant, vt nihil eorum quę vos decernitis, ratum sit. Igitur hęc iniuria mea regni potius est, quàm mea. Nam vnius capitis licet summi deiectio, reparabile regni damnum est. Principum autem cõculcatio, ruina regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorũ superbia? Absit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti: pauca dixisse sat est: desides animi prolixę cohortationis stimulo opus habẽt: In strenuis causa magis ad incitamentũ facit quàm verba. Quia igitur cõtra tam superbos hostes R.P. viribus vtendũ est, expeditionẽ vobis & rogando præcipimus & præcipiẽdo rogamus, cuius collectioni tempus Calẽdas Iulias, locum Wirtziburgensem vrbẽ prętinimus. Cùm ergo audisset Henricus Dux & Colonienses cum Leodiensibus, quòd super se rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, vrbes firmabant, & ad resistendum pari voto studioq; se accingebant. Sed & Imperatorẽ consiliis & precibus vrgebant, vt imperialem dignitatem, quam non ratione conuictus, sed vi ferroq; mortem intentante coactus dimisisset, resumeret, se sibi nec armis defore nec animis: multos illũ in breui fautores habiturum, quia multi multum abominarẽtur tam insolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti cœpit: Impossibile esse amissum imperium, armis repetere, quod possessum armis retinere nequiuisset: Illud sibi non esse tanti, vt multorum exitio recipiendum existimaret: Beatius sibi & tutius fore, vt priuatus, licet indignè deiectus, viueret. Sic vtrinq; data redditaq; ratione, cùm instare non desinerent, ne benignitatẽ circa se remoueret à se, nec ad integrũ consensit, nec abnuit, prouidusq; futuri, præcipites eorũ animos spe dubia suspendit. Igitur primò Coloniã, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribusq; muniebant, & congestis belli stipendiis, impositoq; pręsidio periculũ suum fortibus animis expectabant. Sic & alias vrbes, quas inuadẽdas credebant, munitione, machinis & robore militum firmabant. Sed & edictum sub cõminatione crudeli vbiq; spargebant, vt aduersus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, & patriã, libertatem, vitamq; defenderent, nec sinerent vxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos dominos distrahi. Iam rex Rhenum cum exercitu valido transierat, & primò Coloniam, quæ quasi caput inter alias vrbes eminebat, magno impetu inuasit, putans se sibi membra facilius subiicere posse, contrito tam valido capite. Sed res longè præter spem euenit. Nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris vrbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim obsessores ab obsessis obsessos. Nam præreptis sibi nauibus, quæ per Rhenum descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim vt vrbem ab obsidione liberarent, totius patrię robur vndique coibat. Sed Impera-

*Expeditio indicta.*

*Apparatus aduersariorum.*

*Henric⁹ pater iubetur imperiũ repetere.*

*Eius prudẽtia & modestia.*

*Colonia ope remunitur.*

*Obsidetur ab Henrico F.*

*Henrici patris prudens consilium.* tor tam cruentum facinus deteſtatus, pugnã obnixè diſſuadebat: cur eis tantus ardor pellendæ obſidionis ineſſet: quæ non niſi magna ſui clade pelli poſſet: tollerent omnem ſolicitudinẽ capiendæ vrbis, quæ & ex firmitate murorum & ex forti milite tutiſſima, & omni victus genere eſſet opulentiſſima, accedente & Rheni beneficio, qui per naues delicias, quas appeterent, inuito obſeſſore ſubminiſtraret: ſinerent potius eos in cladem ſuam furere, & inexpugnabilem vrbem, vnde vulnera tantùm cæſosq́; reportarent, impugnare: ſinerent eos latè vaſtare, dum ruris copia conſumpta, eſurire inciperent: ſinerent eos graſſari, dum equos viresq́; labor eneruaret: fore vt victoria ſibi paruo conſtaret, ſi paulùlum tolerãtia & opportunitate temporis vti voluiſſent. Sic Imperatoris hortatu à pugna reuocati, hoſtiles tantùm excurſus obſeruabãt, & ignaros loci paſſim cædentes metum hoſti, ne longius euagaretur, incutiebant. Omnia verò quæ prædixerat Imperator, euenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres deiicere, infecto negotio, vulnera tantũ & funera ad caſtra reportabant. Sed nec vlterius progredi latitante in inſidiis hoſte, præſumebant: homines & equi exhauſti tam alimentorum penuria quàm laboris improbitate, viribus deficiebant. Nam agris in circuitu vaſtatis, nihil reperiebant. Acceſſit his malis etiam morbus, quem fœtor caſtrorum (vt fieri ſolet) aere vitiato concitauerat, qui non ſolum vulgus, ſed ipſos principes aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Huiuſmodi rerũ aduerſitate fatigati, quid facturi eſſent, ambigebant, quia volentes mori, occaſionem pugnę non inueniebant: aut ſi reditum pararent, certi quòd hoſtis à tergo premeret, exercitum ſuum fuga ſpargendum metuebant. Qua tempeſtate mentis dum fluctuarent, ſubitò fama veniens, nubila tantæ perturbationis in ſerenum conuertit. *Mors.* Retulit enim, Imperatorem mortis debitum perſoluiſſe. Ad quam famam primò hæſitabant. Sed cùm nuncius extremum munus, patris annulum videlicet & gladium, cum mandatis filio portans veniſſet, tanta lætitia oborta eſt, vt voces gratulantium minimè ſedari poſſent. *Luctus funebris.* Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamentabatur, vbique gemitus, vbique planctus, vbique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius patriæ pauperes conueniunt: deflent ſe orbatos patre, fundunt in corpus lacrymas, deoſculantur largas manus, vix auellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deſerebant, ibi vigiles lacrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera miſericordiæ feciſſet in ſe: quanquam mors eius plangenda non fuit, quam bona vita præceſſit, qui fidem rectam, ſpem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis ſuis tenuit, quem nec de pudendis admiſſis publicam agere confeſſionem

puduit,

puduit, qui tota cordis auiditate dominici corporis cibum ſumpſit. Fœlix es Imperator Henrice, qui tales excubias, tales interceſſores tibi paraſti, qui nũc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus pauperum abſcondiſti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectiuum pro ęterno: terrenũ pro cœleſti mutaſti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec aduerſarius inuideat. Ergo continendæ ſunt lacrymæ, ſi cõtineri poſſunt: huic tuæ fœlicitati debetur tripudium, nõ luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Poſt hunc rerum euentum hi qui cõtra regiam maieſtatem bellum ſuſceperant, mortua ſpe ſua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditione, pecunia, quoque modo quiſque poterat, recurrebant. *Rerũ commutatio.*

Ecce habes de geſtis, de expenſis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris Henrici, quæ ſicut non poterant abſque lacrymis à me ſcribi, ſic non poterunt abſque lacrymis à te legi. *Epilogus.*

F I N I S.

# EPISTOLAE ALIQVOT HENRICI IIII. CÆS. AVG. AD PONTIFICEM ROM. ET ALIOS principes.

## *HENRICVS DEI GRATIA REX, ANNOni, Colonienſi Archiepiſcopo, gratiam, ſalutem, dilectionem.*

IN maximis negotiis maximis maximorum opus eſt conſiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, vt rei, cui bene cupiunt, bene conſulere & velint & poſſint. Quia in cuiuslibet rei profectu, nec facultas ſine voluntate, nec voluntas ſine facultate proderit. Quod vtrunque tu fideliſſime, vt arbitramur, ęqualiter poſſides, vel vt verius dicamus, licet maximo tibi maxima nõ deſit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate (ſi te bene nouimus, ſi fidem tuam diligenter notauimus) in noſtram & regni vtilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis in futuris creſcit ſpes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus ne ſpes noſtra maior ſit fide tua: quia de nullius regni principum vel Epiſcoporũ fidelitate, quàm de tua, maiora ſperamus: Sicut hactenus non modò in præteritarum rerum exhibitione, verùm etiam in ſperandarum promiſſione tua gauiſi ſumus. Adſit igitur hoc tempore opportuna tua cum facultate voluntas, quam non modò noſtra, verùm & omnium Epiſcoporum fratrumq; tuorum, imò totius oppreſſæ Eccleſiæ exoptat neceſſitas. *Locus ſententioſus.* *Captatio beneuolentiæ.* *Adhortatio.*

Non etiam hanc oppreſſionem ignoras, tantùm vide ne oppreſſæ Eccleſiæ te ſubtrahas, ſed regno & ſacerdotio condoleas: Quo vtroq; ſicut hucuſq; Eccleſia eſt exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nã vnus dum vtrunq; ſibi vendicauit, vtrunq; diſſipauit, nec in vno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe quem dicimus, Hiltebrandum ſcilicet, Monachum habitu quidem, dictum Apoſtolicum, non paſtoris cura ſed inuaſoris violentia Apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ, pacis vnitæ vincula diſſipantem, vt tibimet in promptu eſt ſcire. Vt enim de pluribus pauca referamus, regnum ac ſacerdotium Deo neſciente ſibi vſurpauit, in quo piam Dei ordinationem contemſit, qui non in vno ſed in duobus duo, id eſt, regnum & ſacerdotium principaliter conſiſtere voluit: ſicut ipſe Dominus Saluator in paſſione ſua de duorum gladiorum ſufficientia typica intelligi innuit. Cui cùm diceretur: Ecce Domine, duo gladij hîc: reſpondit, ſatis eſt: ſignificans hac ſufficiente dualitate ſpiritualem & carnalem gladium in Eccleſia eſſe gerendum, quibus omne nociuum foret amputandum, videlicet ſacerdotali ad obœdientiam regis pro Deo, regali verò gladio ad expellendos Chriſti inimicos exterius, & ad obœdientiam ſacerdotij interius, omnem hominem docens fore caſtigandum: Vt ita de alia in aliam charitate tenderetur: dum nec regnum ſacerdotij, nec ſacerdotium regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica inſania confuderit, tu ipſe noſti, ſi ſcire voluiſti. Nam nullum eius iudicio licet eſſe ſacerdotem, niſi qui hoc à faſtu ſuo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in regnum, non autem illum vocauit ad ſacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipſe me regem non conſtituit, regno priuare ſtuduit, minitans regnum animamque mihi tollere, quorum neutrum conceſſit. Hæc & iis ſimilia cùm ſæpius in noſtram, vt ipſe noſti, contumeliam ſtruxerit, non tamẽ adhuc ſufficere credit, qui de die in diem noua exquiſita confuſionis genera nobis ingerit, vt in noſtris nunciis nouiter argumentum dedit. Nam charta exponere non ſufficit, qualiter eoſdem noſtros nuncios tractauerit, quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eoſdem incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, ſiti ac plagis contriuerit, ſicque demum ad exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus ſpectaculum præbere iuſſerit, ita vt eundem cum Decio tyranno inſanire, & ſanctos aſſare credas & dicas. Vnde ne pigeat, chariſſime, communi noſtrum, ſcilicet meæ & coëpiſcoporum tuorum petitioni ſatisfacere, vt in Pentecoſten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias principibus, & quid agendum ſit, doceas: Rogatus per dilectionem coëpiſcoporum, monitus per Eccleſiæ vtilitatem, obligatus per vitæ noſtræ & regni totius honorem.

*Hiltebrandus Monachus Pſeudopapa, auctor turbarum.*

*Duo Eccleſiæ gladij.*

*Papalis arrogantia.*

*Cæſar à Deo, non Papa poteſtatem ſuam habet.*

*Iniuria in legatos.*

HENRI-

*HENRICVS DEI GRATIA REX VNIVERSAE sanctæ Rom. Ecclesiæ, Clero & populo, gratiam, salutem & omne bonum.*

HÆc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti seruatur, nec diuturna eius, cui debetur, absentia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia epistola: Exurgite in eum fidelissimi, & primus in fide, sit primus in eius damnatione. Non autem vt sanguinem eius effundatis, dicimus: quippe cùm maior sit sibi post damnationem pœna vita quàm mors. Sed vt eum, si nolit descendere, cogatis, & alium communi omnium Episcoporum & vestro consilio à vobis electum, in Apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in Ecclesia vulnerauit, curare velit & possit.

*Fides.* *De Hiltebrando solio deturbando loquitur.*

*HENRICVS NON VSVRPATIVE, SED pia Dei ordinatione Rex, Hiltebrando non iam Apostolico, sed falso Monacho.*

HAnc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem prętermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ Ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos vel presbyteros non modò non tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorum cóculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti: qua vtique scientia non ad ædificationem sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum Gregorium, cuius nomẽ tibi vendicasti, de te credamus prophetasse dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerunque animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cùm se videt plus omnibus posse. Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ sedis honorem conseruare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timori fore intellexisti: ideoque in ipsam regiam potestatem, nobis à Deo concessam, exurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari: quasi nos à te regnum acceperimus: quasi in tua & non DEI manu sit regnum vel imperium. Quia DOMINVS noster IESVS CHRISTVS nos ad regnum, te autem non vocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astutia & fraude, quódque monachica professio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in Prælatos armasti, dum Episcopos nostros à DEO vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti: dum laicis ministerium eorum super sacer-

*Causa inscriptionis.* *Hiltebrandi tyrannis in ordinem Ecclesiasticum.* *In Cæsarem.* *Gradus ad solium Papale.*

dotes vſurpaſti, vt ipſi deponant vel condemnent, qui ipſos de manu Domini per impoſitionem manuum Epiſcoporum docendos acceperant. Me quoque licet indignus inter Chriſtianos ſum ad regnum vocatus, te teſte, quem ſanctorum patrum traditio ſoli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitauerim, deponendum aſſeruit: cùm etiam Iulianum Apoſtatã prudentia ſanctorum Epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli Deo deponendum commiſerit. Ipſe verò quid verus Papa beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate. Tu, inquam, quia Deum nõ times, me conſtitutum eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, vbi angelo de cœlo alia ſi prædicauerit non pepercit, te quoq; in terris alia docentem non excepit. Ait enim: ſi quid vel ego vel angelus è cœlo præter id, quod euangelizauimus, vobis euangelizauerit, anathema ſit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium Epiſcoporũ noſtrorum iudicio damnatus, deſcẽde, vendicatam tibi ſedem Apoſtolicã relinque, alius in ſolium beati Petri aſcendat, qui nulla violentia religionem palliet, ſed beati Petri ſanam doctrinã doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia cum omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus deſcende, deſcende.

*Imperatorẽ à ſolo Deo iudicari debere.*

*Hiltebrandꝰ cedere ſolio iuſſus.*

## *HENRICVS IMP. ROMANO Pontifici Paſchali.*

SI illa inter nos pax eſſet & concordia, quę inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quæ inter nos etiã & Nicolaum & Alexandrum, viros catholicos & religioſos Romanos pontifices, plena charitate & integra deuotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: ſed diſtulimus expectantes, & recognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit, nobis in charitate & amicabiliter poſſe conuenire, & Eccleſiam ſuã noſtris temporibus, noſtro labore ipſo cooperante in ſtatum redire vnitatis priſtinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teſte, deſiderauimus, tamen cognita nimia eorum auſteritate, qui in Romana erant Eccleſia, non vtile nobis viſum eſt, vel cõpetens, eos de hac cauſa conuenire: quia magis videbantur nos proſequi odio & indignatione, quàm zelo iuſticiæ, vel etiam, quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum Eccleſiæ. Effectus hoc probat: quia cùm ipſi regnum hæreditario iure nobis collatum tempore religioſorum virorum Romanorum pontificum pacificè à nobis diu poſſeſſum contra nos commouere ſtuderẽt & armare, multa inde orta eſt ſtrages populorum, tam corporum quàm etiam, quod magis dolẽdum eſt, animarum. Nunc quoq; filius noſter, quem tam vehementer dileximus, vt vſque ad ſolium regni noſtri exaltaremus, eodẽ veneno infectus, conſilio quorundam perfidiſſimorum & periuratorum ſibi adhærẽtium, inſurgit in nos; poſtpoſitis omnibus Sacramentis, quibus ſe nobis obligauerat: poſthabita omni fide & iuſticia, tantùm vt Eccleſiarum bona & regni liberè valeant perdere, rapere & inter ſe diuidere. Et cùm multi

*Nicolaũ II. & Alexandrum II. dicit.*

*Pontifices Rom. tuba bellorum.*

*Henrici filij ingratitudo & rebellio.*

multi nobis perſuadeant, abſque dilatione in eos vi & armis eſſe vlciſcendum, maluimus tamen adhuc differre, vt tam in Italico quàm in Teutonico regno ſciatur manifeſtè, quòd nec noſtræ ſit voluntatis, nec culpæ, ſi tandem inuiti & coacti in eos inſurrexerimus, quæcunque mala vel infortunia vel populorum ſtrages inde euenerint. Præterea quia audiuimus, te hominem diſcretum, Deum timentem, charitati inſudantem, ſanguinem hominum non ſitire, rapinis & incendiis non gaudere, vnitatem Eccleſiæ ſuper omnia diligere, conſilio & ſuggeſtione principum noſtrorũ mittimus tibi nuncium iſtum cum legatione noſtra. Per hanc quippe volumus cognoſcere, ſi eſt tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos vniri tibi, ſaluo nobis honore regni & imperij & totius noſtrę dignitatis, ſicut & auus & pater noſter aliique anteceſſores noſtri habuerunt, ſeruato etiam tibi à nobis honore Apoſtolicę dignitatis, ſicut anteceſſores noſtri, tuis anteceſſorib. ſeruauerunt, & nos præfatis pontificibus. Quod ſi placuerit tibi, paternè nobiſcum agere, & eam, quam mundus dare non poteſt, pacem integrè nobiſcum componere, mitte nobis familiarẽ nuncium tuum, cum priuatis literis tuis & ſecreta legatione, cum hoc nuncio noſtro, vt hoc modo indubitanter poſſimus cognoſcere omnem de hac re certitudinem voluntatis tuę. Qua cognita, mittemus tibi de maioribus principibus noſtris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere, ad tantam rẽ componendam, per quos excluſa omni ambiguitate manifeſtè poſſis cognoſcere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus ſecretè. Prætereà quæ hîc inſcripta non ſunt, commiſimus huic fideliſſimo noſtro nuncio, quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quàm ſcriptis credas.

*Conditiones quibus Cæſar componi cupiat.*

## *EPISTOLA HENRICI REGIS AD Hiltebrandum.*

CVM hactenus à te ea, quæ ſunt patris, expectarẽ, tibiq; in omnibus magna fideliũ noſtrorũ indignatione obœdirẽ, recepi à te viciſſitudinẽ, qualẽ oportebat ab eo, qui vitæ regniq; noſtri pernicioſiſſimus hoſtis eſſet. Nã cùm primũ omnẽ hæreditariã dignitatem, quæ mihi ab illa ſede Apoſtolica debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progrediens, regnum Italię peſſimis artibus alienare tentaſti: neq; hoc contentus, in reuerendiſſimos Epiſcopos, qui nobis velut dulciſſima membra vniti ſunt, manum mittere non timuiſti, eoſq; ſuperbiſſimis iniuriis acerbiſſimiſq; contumeliis contra diuina & humana iura, vt ipſi aiunt, exagitaſti: Quę omnia cùm ego quadã patientia diſſimularem, tu hoc non patientiam ſed ignauiam exiſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es, mandãs quæ noſti, ſcilicet, vt tuis verbis vtar, quod aut tu morereres, aut mihi animamq; regnumq; tolleres.

*ἀντὶ πέρκης σκορπίον.*

*Hiltebrandi in Cæſ. iniuria.*

*Mina.*

## *HENRICVS REX REGI CELTARVM.*

PRINCEPS clariſſime, & omnium in quibus poſt Deum ſperamus fideliſſime: primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui

cõqueri & deplorare omnes calamitates meas & miſerias neceſſarium duxi, & etiam genibus veſtris aduolui, ſi licet ſalua maieſtate imperij. Primum quidẽ eſt, quod non ſolùm vobis, ſed totius Chriſtianæ profeſſionis hominibus grauiſſimum ac intolerabile arbitramur, quòd *Sedes Romana lerna malorum.* de Apoſtolica ſede, vnde vſq; ad memoriam noſtri temporis ſalutifer fructus conſolationis, dulcedinis & ſaluationis animarum oriebatur, modò perſecutionis, excommunicationis & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt vllum modum ſententiæ, tantum vt ſatisfiat voluntati indiſcretæ. Huius voluntatis ſuæ intemperantia adeò vſque nunc abuſi ſunt, vt nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proueniat penſantes, per ſe & per ſuos omnibus modis in nos inuehãtur, cùm obedientiam & omnem ſubiectionem debitam ſæpe obtu- *Cæſaris æquiſs. poſtulatio.* lerim Apoſtolicæ ſedi: ſi tamẽ honor debitus & reuerẽtia, ſicut anteceſſoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius ſignificabo vobis, ſi quando optati colloquij copiam Deus dederit nobis. In hac igitur perſecutionis & odij ſui inflammatione, cùm parum viderent ſe proficere, contra ipſum ius naturæ laborãtes, *Henricus V. alter Abſolon.* quod ſine maximo cordis dolore, ſine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremiſco, filium meum, Abſolon inquam dilectiſſimum, non ſolùm contra me armauerunt, ſed etiam tanto furore animauerunt, vt inprimis cõtra fidem & ſacramentum, quod vt miles Domino iurauerat, regnum meum inuaderet, Epiſcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & perſecutores meos ſuſtineret: ad vltimum, quod maximè vellem taceri, aut ſi taceri non poteſt, vellem non credi, omnem affectum naturæ abiiciens, in ſalutem & animam meam intenderet, nec quicquam penſi haberet, quomodo vi & fraude ad hãc periculi & ignominiæ ſuæ ſummã aſpiraret. In hac tãta mali ſui machinatione, cùm eſſem in pace & in aliqua ſalutis meæ *Cõfluentia.* ſecuritate, in locum, qui Confluentia dicitur, in ipſis dominici aduentus ſanctiſſimis diebus ad colloquium euocauit me, quaſi de communi ſalute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cùm vidi, illi- *παραίνεσις paterna.* co ex paterno affectu tactus, intrinſecus dolore cordis mei ad pedes ſuos procidi, admonens & obteſtans per fidem, per ſalutem animæ, ſi pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipſe nullam cõquireret maculam honori & nomini ſuo, quia culpæ patris vindicem fi- *Subdolũ inſtitutum.* liũ eſſe nulla diuinæ legis conſtituit ſanctio. At ille tam pulchrè, imò miſerrimè inſtitutus ad malitiam, quaſi abominabile & execrabile ſcelus cœpit deteſtari. Et procidens ipſe ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari: In reliquum vt miles Domino, vt patri filius, cum fide & veritate per omnia ſe mihi obauditurum promiſit cum lacrymis, ſi modò ſedi Apoſtolicæ vellẽ reconciliari. Quod cùm promtiſſimè annuiſſem, & deliberationi ſuæ & conſilio principum hoc tantum mancipandum promiſiſſem, in præſenti natiuitate ſe producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quàm

fidelius

fidelius posset acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum, promisit in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles verissimè me deceptum affirmabant & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum à me instantissimè admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cùm ergo ad locum, qui Binga vocatur, peruenissem, iam existente die Veneris ante natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa de se detegebatur, & filius ad me, Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus Episcopus in suam ciuitatem non admittet vos, quàm diu in banno eritis. Nec vos inpacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic natiuitatem cum honore & pace agatis, quoscunque placuerit vobis, vobiscũ habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis vtrisq; laborabo, quia caussam vestram meam existimo esse. At ego, mi inquam fili, iudex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie DEVS, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius es. Ille autem tertiò sub eiusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. Sic postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifestè rei ostendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit, custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici. Benedictus per omnia Deus exaltandi & humiliandi, quæ voluerit rex potentissimus. Cùm ergo ipso sacratissimo die natiuitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceam opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem, præterea famem & sitim, quam perferebam ab illis, quos iniuria erat videre & audire, vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis fœlicem fuisse, illud nunquam obliuiscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quòd illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam princeps Wigbertus, dicens: nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate & imperio principum. At ego etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus esset, nollem regno vitam commutare: quia vellem

*Binga.*

*O sceleratã in filio perfidiam.*

*Henrici IIII. captiuitas.*

*Cõtumelia & iniuria illata.*

*Vipert⁹ Oratiensis.*

nollem ſic agendum, & ſicut definitum intelligebam, coronam, ſceptrum, crucem, lanceam, gladium miſi Moguntiam. Tunc communicato conſilio cum inimicis meis meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quaſi me eò adducturus, ſub multa frequẽtia armatorum ſuorum me abductum ad villam, quæ dicitur Engilzaim, fecit me ad ſe adduci, vbi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipſum filium cæteris mihi meliorem reperi: Et quia firmius & ſtabilius videbatur eis eſſe, ſi propria manu cogerent me regnum & omnia regalia exfeſtucare, ſimili modo & ipſi omnes minabãtur mihi, niſi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ conſiliũ fieri poſſe. Tunc ego inquam: quia de ſola vita mea agitur, qua nihil precioſius habeo, vt ſaltem viuens pœnitentiam exhibeam Deo, quicquid imperatis faciam. Cumque inquirerem, ſi ſaltem ſic de vita mea certus eſſem, Apoſtolicæ ſedis legatus, qui ibidem aderat (non dico qui omnia hæc audiuerat) reſpondit, me nullo modo eripi poſſe, niſi publicè confiterer, me iniuſtè Hiltebrandum perſecutum eſſe: Wigbertum ei iniuſtè ſuppoſuiſſe, & iniuſtam perſecutionem in Apoſtolicam ſedem & omnem Eccleſiam hactenus exercuiſſe. Tunc cum magna cõtritione animi proſtratus cœpi per Deum, per ipſam conſcientiam orare, vt locus & tempus mihi daretur, vbi in præſentia omnium principum, cùm innocẽs eſſem, vellem ex iudicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoſcerent, ex conſilio omnium ſanioris ſententiæ pœnitentiam & ſatisfactionem, quo ordine iuberent, quærere, & in principibus regni de fidelibus noſtris, quoſcunq; obſides vellent, dare. At idem legatus locum & diem mihi abnegauit, dicens: aut tibi totum debere determinari, aut nulla ſpes mihi eſſet euadendi. In tanto tribulationis articulo, cùm interrogarem, ſi confiterer omnia, quæ imperabantur, an confeſſio mea, vt iuſtum eſt, veniam & abſolutionem conſequeretur: Ibi legatus dixit, nõ eſſe iuris ſui me abſoluere: Si vellem, inquit, abſolui, Romam irem ſatisfacere Apoſtolicæ ſedi. Sic deſolatum & ſpoliatum (nam & caſtella & patrimonia, & quicquid in regno conquiſieram, eadem vi & arte ſua extorſerant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cùm aliquo tempore commoratus eſſem, & filius meus ex eodem fraudis ſuæ conſilio demandaſſet, vt ibidem eum expectarem, ſuperueniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, vt ſiquidem ad monitum ibidem remanerem, fore aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio ſatis tunc vitæ meæ diffiſus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, poſtea Leodium veni. In quibus locis fideles viros & in fide regni conſtantes ſemper inueni. Horum cæterorumq; regni fidelium cõſilio vſus, vobis fiducialius & honeſtius habeo deplorare has omnes meas miſerias. Fiducialius quidem propter mutua cõſanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honeſtius autem propter tanti regni nomen

*Ingelheim.*

*Henric.IIII. cogitur ſe abdicare imperio.*

*Exagitatur à legato Papæ.*

*Exuitur patrimonio & fortunis.*

*Præmonitꝰ inſidiarum profugit.*

men gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamen & omnium regum terræ interesset, iniuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare. *Obtestatio.*

*HENRICVS DEI GRATIA ROMANORVM Imp. Augustus, Henrico filio suo.*

SI ea nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubētissimè tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus: verùm quia longè alius quàm paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quàm quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione deuotionis promisisti, nos ducere Moguntiā coram principibus, & inde nos securissimè reducere quocūq; vellemus. Hac fiducia cùm tecum amanter & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti: vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec tristitia, qua ad pedes tuos aliorumq; aduoluebamur, te commouit ad misericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & custodiendum traderes, vbi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus ferme venire vsq; ad ipsum mortis articulum. Ante captiuitatem abstulisti nobis Episcopatus, & quicquid de honore regni potuisti, & prædia nostra, & ipsam familiam; in captiuitate verò quicquid residuū erat, vt lanceam & crucem & omnia regalia insignia vi & timore mortis, vt ipse bene scis, & omni ferme notum est Christianitati, à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cùm hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper vbicunq; fuimus, modis omnibus, quibus potuisti, nos persequi nō cessasti, vt vel perderes vel de regno expelleres. Verùm nos satis mirari nō possumus, qua ratione vel occasione tam obstinatè facias, cùm de Domino Papa & Romana Ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nūcio domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ te præsente parati fuimus & sumus obœdire, & omnem debitam obœdientiam & reuerentiam ei coràm & semper exhibere, & consilio principum & spiritualis patris nostri, Henrici Cluniacensis Abbatis, aliorumq; religiosorum virorum de statu Ecclesiæ & honore regni libentissimè agere. Te ergo rogamus pro honore regni & tua & paterna deuotione, & per autoritatem Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, vt de iniuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & iniustè abstulisti, iusticiam facias. Rogamus etiā, vt cùm nil rationis tibi sit, quare nos prosequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imò permittas nos pacificè & quietè viuere, vt integrè & cū tranquillitate possimus omnia supradicta age-

*Exordium ab excusatione.*

*Henrici F. perfidia & in patrem impietas.*

*Henricus Abbas Cluniac.*

*Petitio æquissima.*

re. Recognosce etiam, & tecum cogita quia Deus iustus iudex est, cui commisimus causam nostram & vindictam : cuius etiam iudicia sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniã quantumcunq; super afflictionẽ & infortunia glorieris, & super humilitatẽ te extollas, forsitan de sede sancta sua inter me & te gratuita misericordia aliud iã definiuit, intercedente iusticia, quàm tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia vel reuerentia vel intercessio nobis valet, opto vt iusticiam consequi possimus, vel vt tuæ persecutionis impetus cesset. Ad hoc idẽ Romanũ Pontificem, & sanctã vniuersalẽ Romanã Ecclesiã appellamus.

*Appellatio.*

## *HENRICVS DEI GRATIA ROM. IMP. AVG. Archiepiscopis, & cæteris Saxoniæ principibus, ac etiam reliquo populo, gratiam & dilectionẽ dignantibus eam recipere.*

*Henric. IIII. de iniuriis sibi illatis querela.*

CONQVERIMVR Deo omnipotẽti, & dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro, principi Apostolorũ, patrono nostro, & vobis principibus omnibus, quia iniustè & inhumanè & crudeliter in illa cõfisi fide, qua dubitare non debuimus, tractati sumus, & tam honore regni quàm prędiis omnibus, quæ habebamus contra diuinũ & humanum ius, ad infamiã & vituperiũ regni, ita expoliati sumus, vt nihil penitus pręter vitã nobis relictũ sit. Vbi cùm ferme omnes essetis, magna pars vestrûm visa est dolore contristari: sed proh dolor, nihil nobis cõtulit vestra tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorũ odiosa. Et quia consilio & rogatu filij nostri, fide & securitate vitæ & honoris primùm ab eo accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiã in præsentiã Legati Romani & principũ tenderamus, vt eorum dispositione ageremus tam de statu Ecclesię & honore regni, quàm de salute animę nostræ, ipse nõ est veritus in hac voluntate & obœdientia nos contra datã fidẽ capere, & vsq; ad articulũ mortis ferme ducere: non ausi sumus ita nos illi credere, vt iniuria & contumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multũ vos rogamus, & obnixè precamur, vt pro timore Dei & honore regni, & honestate vestra, dignemini studere, quomodo de iniuria, in manibus vestris nobis illata, per vos possimus recuperare iusticiam. Nos autẽ pro cõsilio vestro & aliorũ, qui nos odio non habent, religiosorũ virorũ parati sumus, tam filio nostro, si in aliquo eũ offẽdimus, quàm alicui in regno libenter rationẽ dare. Præterea sicut domino Papę in præsentia legati sui & vestra obœdire parati fuimus, ita nũc parati sumus ei omnẽ debitã reuerentiã & obœdientiã syncero corde & deuotione præsentialiter exhibere, & tã consilio vestro quàm spiritualis patris nostri, Henrici Cluniacensis Abbatis, aliorumq; religiosorũ de statu Ecclesiæ & honore regni quantũ in nobis est disponere. Cùm ergo ad hęc omnia parati simus, rogamus vos & obnixè precamur, quatenus pro Deo & honore regni & vestro instãter moneatis filiũ nostrũ, cùm nulla ei secundũ pręfatã sententiã aduersum nos residua sit occasio, à modo desistat nos & fideles nostros persequi, & pacificè & quietè viuere permittat,

*Petitio ad ordines Saxon.*

*Henricus Cluniac.*

mittat, vt suprà dicta integrè & cũ trãquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per autoritatẽ Rom. Ecclesiæ, cui nos cõmittimus & honorẽ regni, ne super nos & fideles nostros veniatis, q̃a manifestũ est, non eũ diuinæ legis zelo, vel Romanę Ecclesię dilectione, sed cõcupiscentia regni, patre iniustè eo priuato, hoc incepisse. Apud quẽ si interpellatio vestra nullaq; alia interuẽtio ad pręsens ꝓdesse poterit, appellamus Rom. Pontificẽ, & sanctã vniuersalẽ Ro. sedẽ & Ecclesiã. *Appellatio.*

*HENRICVS DEI GRATIA IMP. ROM. AVG. Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisq; regni principibus, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.*

ROGAMVS filiũ nostrum, & vos multũ precati sumus, vt dimisso exercitu ordinaretur, quomodo possemus cõuenire, vt de iniuria nostra & pace componenda ad honorẽ regni possit dignè & decẽter definiri. *Vult absque armis componi.* Placuit vobis remãdare, vnde nobis longè grauior priori oritur querimonia, quòd dimissa obsidione Coloniæ vultis super nos & fideles nostros sub specie colloquij cũ exercitu venire, datis induciis octo dierũ, quæ nunquã datę sunt homini alicuius conditionis, vt bene scitis, vsq; ad hanc diẽ pro legitima definitione alicuius minoris negotij, ne dũ pro tãta re, secundũ legẽ diuinã vel humanam, vel etiã secundũ vsum hominum. *Colloquij & induciarũ postulatio iniqua.* Oportet enim nos habere, si vobis placeret, saltẽ tales inducias, intra quas possimus conuocare, & precibus inuitare, ad hanc eandẽ causam, Moguntinũ, Treuirensem & Bremensem, Archiepiscopos; Frisingensem, Augustensem, Curiensem, Basiliensem, Episcopos; Ducẽ Magnũ cum Duce Theodorico, & Ducẽ Bohemicũ & Comitẽ Flandrensem cũ Comite Burgundiæ, & aliis qui ad prędfatum negotiũ, vt bene scitis, sunt valde necessarij. Quapropter sicut prius rogamus & obnixè precamur, quatenus pro Deo & anima vestra & pro appellatione Domini Rom. Pontificis Paschalis & Rom. Ecclesiæ, & pro honore regni, dignemini apud filiũ nostrũ efficere, vt dimisso exercitu cesset nos persequi, & ordinetur, quomodo securè & absq; ambiguitate possimus nos cũ cæteris supradictis ad agendũ de nostra iniuria & pace in regno componẽda, quietè & pacificè cõuenire. *Obtestatio.* Quod si nullatenus cessare voluerit, ꝓclamationẽ inde fecimus, & semper facimus Deo & sanctę Mariæ, & beato Petro, patrono nostro, & omnibus sanctis, & omnib. Christianis, & vobis maximè, omni deuotione precãtes, vt dignemini cessare eũ persequi ad persecutionẽ tantę iniuriæ, & vos eũ imitari. *Appellatio.* Appellauimus, & tertiò appellamus Dominum Rõ. pontificẽ Paschalẽ, & sanctã vniuersalẽ sedẽ & Rõ. Ecclesiã. Quod si hoc tãtũ nobis, & ad hoc, vt ipse cesset nos ꝑsequi, prodesse nõ poterit, cõmittemus nos omnipotẽti Patri & Filio, sanctoq; Spiritui paracleto, & beatę Marię perpetuæ virgini, & beato Petro & Paulo & sancto Lãberto omnibusq; sanctis, vt diuina miseratio, omniũq; sanctorũ intercessio humilitatẽ nostrã respicere, nosq; cõtra tantũ tãq; iniuriosum Imperiũ defendere dignetur. Amen.

FINIS.

# VITA ET GESTA HILTEBRANDI, QVI ROMANVS PONTIFEX FACTVS, GREGORIVS SEPTIMVS DICTVS EST,

*descripta per Bennonem Cardinalem, Archipresbyterum Ecclesiæ Romanæ, qui eo tempore vixit.*

***REVERENDISSIMAE MATRI SANCTAE ROMANAE ECCLEsiæ, deuotus filius eius & humilis seruus, Benno, Cardinalium Archipresbyter.***

*Auctoris institutum.*



CVM de omnibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ferè solus Eusebius Liberium Papam declarauerit hęreticum, & clerici Romanę Ecclesiæ Anastasium secundum, duas Ecclesias excommunicatis communicãdo facientem damnauerint, non absurdum existimaui, maiorum nostrorum nomina atq; dignitates memoriæ commendare, qui Hiltebrandum reliquerunt, cuius intolerabiles & grauissimos errores publicè detestati, nunquã ad eum reuersi sunt. Diuersas etiã scholas Romanæ Ecclesiæ litteris adnotauimus, quæ ab eius cõmunione recesserunt. Leo tunc temporis archipresbyter Cardinalium, & Benno & Vgobaldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus Cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hiltebrandi: Natro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo consecrati, deseruerunt eum, errores eius execrati: Similiter Theodinus Archidiaconus, quem ipse constituit Archidiaconum, & alij Cardinales diaconi: Ioannes, modò Archidiaconus, & Crescentius, Ioannes, primicerius scholæ cantorum, cum omnibus suis: Petrus oblationarius cum omnibus suis, excepto vno: Poppo, prior scholæ regionariæ cum omnibus suis subdiaconis: Archiacolythus & Subpulmentarius cum suis: Centius, iudicum primicerius cum aliis iudicibus, & cuncti milites signa banda gestantes: prior scriniariorum cum plerisque suis. Ipsi etiam Episcopi cùm iam vellent eum deserere, Hiltebrandus conuocatis ad se laicis, eis consilium suum aperuit, & quòd Episcopos à colloquio Cardinalium vellet separare, indicauit. Post hæc ipsos Episcopos conuocauit, & turbis laicorum stipatus, sacramentum ab ipsis Episcopis cum terrore & minis exegit & extorsit, & in manu sua iurare coëgit, ne vnquã ab eo dissentiret, nunquam regis causam defenderent, nunquã superordinato sibi Papæ fauerent, vel obœdirent. Quo facto, eos per Principem Salernitanum in Campaniam misit: & sic eos à consortio Cardinalium & à Romana vrbe separauit. Nec solùm Episcopos, sed etiam Vrbis presbyteros & inferioris ordinis clericos, insuper & laicos iuramentis allegauit, ne vlla ratione, vllo tempore, condescenderẽt in causa regis.

*Hiltebrãd⁹.* — *A quibus & cur desertus ac damnatus.* — *Circunscribit arte Episcopos & clerum.*

*Inuadit Põtificatum contra Canones.*

Alexandro Papa iuxta vespertinam horam defuncto, eadem die contra Canones à laicis electus est. Sed Cardinales nõ subscripserunt in electione eius: sub anathemate enim Canones præcipiunt, nemi-

nem

nem eligi in ſedem Romani Pontificis ante diem tertium poſt ſepulturam ipſius prædeceſſoris. Poſtquam aliunde aſcendit, à conſilio remouit Cardinales ſacræ ſedis.

Cum quibus perſonis conſilia ſua diebus ac noctibus habuit, Roma vidit & audiuit.

*Expellit à ſe Cardinales.*

Eiectis à conſilio & à cuſtodia eius Cardinalibus, vita eius & fides & doctrina ſine teſtibus fuit: cùm ſacri canones præcipiãt, vt in omni loco tres Cardinales presbyteri & duo diaconi Papam non deſerant, propter teſtimonium eccleſiaſticum, & propter ſtylum veritatis.

*S. Scripturã violenter detorquet.*

Scripturas ſacras violenter intorſit in adiutorium falſitatis: quod genus idololatriæ quantum ſit, latè patet in ſcripturæ ſacræ campis ſpacioſis.

*Cæſarẽ indicta cauſa damnat.*

Præter voluntatem & conſilium Cardinalium extra ordinem iudicandi, ſacris canonibus determinatum, Imperatorem in nulla Synodo Canonicè accuſatum, præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium ſubſcripſit.

*Prodigium.*

Vt primùm ad excommunicandum Cæſarem de ſede ſurrexit, ſedes ipſa nouiter lignis fortiſſimis compoſita, ſubito Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: Vt manifeſtè daretur intelligi, quanta ſeſſor ille tam periculoſa excõmunicatione, & præſumptione, quámque terribilia ſchiſmata ſeminaret contra Eccleſiam Chriſti, contra ſedem beati Petri, quàm crudeliter diſſiparet cathedram Chriſti, conculcando leges Eccleſiæ, imperando cum potentia & auſteritate.

*Dira iniquiſſima.*

In deſcriptione eiuſdem excommunicationis ea interſeruit, in quibus manifeſtè à fide Catholica errauit, cùm iniuſtè excommunicatum Imperatorem, & Epiſcopos cõmunicantes ei, excepit ab excommunicatione tertio gradu communicantes eis, & vnitatem Eccleſiæ ſcindens, quantum in ipſo fuit, duas Eccleſias fecit.

*Hiltebrãdi ieiuniũ de doctrina Berengarij.*

Idem præſumptor ieiunium indixit Cardinalibus, vt Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romana ne Eccleſia, an Beringarius: per hoc manifeſtè probatus infidelis, cùm in Niceno conſilio ſcriptum ſit, quia dubius in fide, infidelis eſt.

*Prodigium de eodẽ expetitum.*

Et de corpore domini ſignum quæſiuit, quod petente Beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Chriſti formam accepit digiti. Et miſit duos Cardinales, Othonem & Cunonem, ad ſanctam Anaſtaſiam, vt cum Suppone, eiuſdem Eccleſiæ Archipresbytero, triduanum ieiunium peragerent, & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & miſſas decantarent, vt ſuprà dictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet: quod minimè contigit.

*Inſidiæ Cæſari ſtructæ.*

Imperator ſolitus erat frequenter ire ad orationem ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in monte Auentino. Hiltebrandus autem cùm per exploratores ſuos omnia eius opera ſolicitè inquireret, locum in quo frequentius Imperator vel ſtans, vel proſtratus orabat, notari fecit: & quendam promiſſa pecunia ad hoc induxit, vt ſupra trabes Ec-

cleſiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto ſuper caput orantis Imperatoris demitteret, & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris cùm feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet, lapis pondere ſuo eum traxit, & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & ille miſer homo Dei iudicio in pauimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus eſt. Huius rei geſtæ ordinem poſtquam Romani cognouerunt, pedem illius miſeri fune ligauerunt, & triduo per plateas vrbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem ſolita clementia iuſſit eum ſepeliri.

*Diuinationes è pane myſtico.* Ioannes Portuenſis Epiſcopus, qui intimus fuerat & à ſecretis Hiltebrandi, aſcendit in ambonem beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo, ait: Tale quid fecit Hiltebrandus & nos, vnde deberemus viui incendi: ſignificans de ſacramẽto corporis Domini, quod Hiltebrandus, reſponſa diuina quærens contra Imperatorem, fertur iniecisse igni, contradicentibus Cardinalibus, qui aſſiſtebant ei.

*Falſum de Cæſare Vaticinium.* In Paſcha Domini feria ſecunda, cùm ad Eccleſiam ſancti Petri ad miſſam clerus & populus conueniſſet, poſt Euangelium in ambonem aſcendit, ſicut erat indutus Pontificalibus indumentis. Et in præſentia Epiſcoporum & Cardinalium, in frequentia cleri & ſenatus & populi Romani, publicè clamauit inter multa ſuæ diuinationis verba: Regem Henricum vſque ad proximum ſancti Petri feſtum ſine dubio moriturum, aut à regno penitus deiiciendum, in tantum, vt vlterius non poſſet congregare quàm ſex milites. Prædicauit etiam Epiſcopis & Cardinalibus & omnibus qui aderant, de ambone clamans: Nullo modo habete me pro Papa vlterius, ſed ab altari me auellite, ſi vſque ad prædictum feſtum prophetia hæc effectum non habuerit. *Deuotio.*

*Noua in Imper. inſidia, & inde Vaticinij Vanitas detecta.* Eiſdem diebus parauit Imperatorem perdere per occultos proditores, Deus autem eum cuſtodiuit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui exiſtimauerunt, ipſum Hiltebrandum conſcium extitiſſe, & ordinatorem proditionis: quia eiſdem diebus paulo ante proditionem de morte regis falſò prophetata præſumſit. Quod verbum vehementer percuſſit corda multorum. Et palàm factum eſt, Hiltebrandum voce propria in conuentu Eccleſiæ eſſe damnatum, qui (vt dictum eſt) iudicauerat ſe nullo modo eſſe Papam, neque pro Papa vlterius habendum, ſed proditorem & mendacem eſſe credendum, niſi vſque ad proximum feſtum ſancti Petri Imperator moreretur, aut omni honore ſpoliaretur, adeò vt vltra ſex milites congregare non poſſet: & diuino nutu actum eſt, vt à ſeipſo quoque damnaretur hæreticus. Sic enim ait Apoſtolicus: Dominus ipſe inquit: Propheta, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quę ego nõ præcepi, vt diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur. Quod ſi tibi tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus nõ eſt eloquutus? Hoc habebis ſignũ, quod in nomine Domini propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non

nus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

Tempore autem transacto, quod Hiltebrandus in diuinatione sua præfixit, Rege verò neq; mortuo, neq; militibus suis imminuto, timēs se suis verbis deprehensum, & ore proprio condemnatum, ad callida argumenta se conuertit, persuadens vulgo indocto, nō de corpore sed de anima Regis se prophetasse: quasi anima regis milites omnes præter sex perdidisset, vel illo spatio mortua esset. Et his verbis vulgus indoctū delusit. Contra huiusmodi prophetas beatus Gregorius super Ezechielem ait: Inter Prophetas veros & falsos ista est distantia, quia Prophetę veri, si quid aliquando per suum spiritum dicunt, citius corrigunt: Prophetæ autem falsi, & falsa denunciant, & alieni à sancto Spiritu in sua falsitate perdurant. *Ineptum de falso vaticinio commentum.*

Tres homines non conuictos, non confessos, absq; secularibus iudicibus Hiltebrandus morti adiudicauit, & eos in patibulis iuxta Ecclesiā sancti Petri, in loco qui dicitur Palatiolum, interfici suspensos coēgit, sine dilatione, sine discussione, contra leges, quę præcipiunt etiam manifestos reos intra spacium & retractionē triginta dierū nō interfici. Quæ etiam apud paganos vigent & seruantur, sicut docet authoritas B. Ambrosij, & passio sanctorum Marcelliani & Marci. *Tyrannis & animi impotentia.*

Centium, filium præfecti Stephani, prius fidelem suum, in carcerem misit, & in vase vndiq; aculeis vestito mille & mille mortibus cruciauit. Qui postquam euasit, ipsum Hiltebrandum cepit. De cuius captione antequā euaderet, omnibus, qui captionis illius cooperatores fuerant, hoc debitum publicè remisit, quod postea infideliter vindicauit, Centium, cui omnia remiserat, persequi cœpit, & nouē de hominibus Centij in patibulis suspendio interfecit ante portas sancti Petri. *In Centium iniuria & perfidia.*

Filius cuiusdam viduæ captioni eius interfuit, cui cum multis aliis pœnam & exiliū vnius anni indixit. Quo expleto, vidua ampliori satisfactione volens placare animum Hiltebrādi, funem immisit collo filij sui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hiltebrandi procidit, dicens: Domine Papa, de manu tua volo recipere filium meum, qui exiliū vnius anni, & pœnam à te iniunctam portauit. Ad hæc Hiltebrandus in præsenti, propter eos qui aderant, iram dissimulans, filium ei reddidit, cum austeritate dicens: Vade vade fœmina, dimitte me in pace. Postea missis apparitoribus suis, filiū viduæ apprehendit, & iudicibus, vt eum morti damnarent, præcepit. Qui vno ore responderunt, se vlterius non posse illum condemnare, qui ad iudicium Papæ confugisset, & pœnitentiam & exilium vnius anni ab ipso Papa iniunctum iam impleuisset. Ad hæc gloriosus Hiltebrandus iudicibus iratus, præcepit abscindi pedem filio viduæ, quæ frustra apud Hiltebrandum existimauerat pœnitentiam & leges & iura valere. Et pede truncatus dolore illo post triduum mortuus est. *Atrocitas in supplicis.*

Multa quidem alia fecit Hiltebrandus, in quem clamat sanguis Ec *Flagitia.*

clesiæ, gladio linguæ eius miserabili proditione effusus, propter quę à communione eius iustissimè Ecclesia recessit, sicut fecerunt maiores nostri temporibus apostatarum Liberij & Anastasij.

Vt Liberij festum celebraretur, iussit. Hoc præcepto eius hæresin firmauit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

*Liber magicus.* Die quodam cùm de Albano Romam veniret, oblitus est secū ferre familiarem sibi librum necromanticæ artis, sine quo nusquam aut rarò incedebat. Quod cùm in itinere ei ad memoriam redisset, in introitu portæ Lateranensis festinanter vocauit duos de familiaribus suis assuetos & fidos ministros scelerum suorum, & vt eundem librum citissimè sibi afferrent, præcepit, & terribiliter interminatus est, ne librum in via aperire præsumerent, nec vlla curiositate secreta libri inuestigarent. Sed quanto amplius inhibuit, tanto vehementius eorum curiositatem ad inuestiganda eiusdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum reserassent, & diabolicæ artis præcepta curiosè legerent, subitò affuerunt angeli Satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè affecti amentes, vix ad se reuersi sunt. Et (vt ipsi retulerunt) maligni spiritus instabant, dicentes: Ad quid nos vocastis? quare fatigastis? citò præcipite, quod nos agere vultis, alioquin insurgemus in vos, si nos diutius tenueritis. Ad hoc alter iuuenum: Festinanter (inquit) muros illos deiicite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus deiecerunt. Et iuuenes sanctę crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes vix Romam ad Dominum suum peruenerunt.

*Auctoris epistola.* Venerandis Ecclesiæ Romanæ patribus & dilectis in Christo & semper diligendis fratribus, Benno, Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, fidele seruitium & salutem, seruantibus Ecclesiæ Catholicæ communionem: De cuius communione & disciplina, vel potestate, frustra sibi applaudit, quisquis iniustè ex potestatis præsumptione quenquam ligauerit vel soluerit. *Iniusta excommunicatio quæ.* Iniustè autem ligat, quisquis aliquē paratum satisfacere, & audientiam implorantem, neque conuictum neq; sponte confessum anathematizat, imò seipsum frustra maledicendo, quasi proprio iaculo in se intorto, maledicit & condemnat. O noua proditio, procedens de sanctuario, imò de eo, qui vt summus sacerdos videbatur Ecclesiam regere, & senioribus iudicibus præesse.

*Hiltebrādi artes de Episcopis Simoniacis.* Hiltebrandus instabat Imperatori, vt eiiceret Episcopos Simoniacos. Imperator credens, quasi ex zelo legis, quasi à throno Dei procederent hæc mandata, sine mora obœdiebat, sine mora, sine discussione, sine iudiciario ordine Episcopos eiiciebat: dū per hanc obœdientiam se Deo sacrificare existimabat, dum adhuc versutias Hiltebrandi minus intelligebat.

Hiltebrandus verò expulsos à rege Simoniacos relocabat, & quos regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat, &

multis

multis & magnis iuramentis ſibi fidos & obnoxios efficiens præ aliis exaltabat. Et modico tempore iis artibus regia domo perturbata, & penè amicis deſtituta, ſibi verò amicitia maiorum principum comparata, ex improuiſo ſine legitima accuſatione, ſine canonica vocatione, ſine iudiciario ordine, obœdientem ſibi Imperatorem excommunicauit, & regni principes ab eo ſeparauit.

*Anathema iniquiſſimum.*

Et cùm Apoſtolus præcipiat, ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuum, quantum in eo fuit, mortificauit potius quàm caſtigauit. Sic autem Imperator multimodò circumuentus, præter Canonicum ordinem excommunicatus, & conſenſu Hiltebrandi & cõſilio magna ex parte imperij honore expoliatus, & bellis & cędibus immenſis fidelium ſuorum prægrauatus, fruſtra Canonicam audientiam implorauit, & extortam confeſſionem inuitus ac coactus apud Canuſium in pręſentia Hiltebrandi protulit.

*Cæſaris anguſtia, & indepetita expiatio.*

Dicite quæſo qui iuſtitiam diligitis, qui ad dextram vel ſiniſtram fauore alicuius perſonæ declinare non noſtis, dicite quæſo, ſi cõfeſſio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæſari, præiudicare debuit? Si ex confeſſione extorta potius non extitit reus Canonum hic, qui extorſit, quàm qui peruerſè iudicatus peruerſoris iudicis iniuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lachrymabili afflictione, nudis pedib. in laneis veſtibus, hyeme præter ſolitum aſpera, apud Canuſium SPECTACVLVM ANGELORVM FACTVS ET HOMINVM, & Hiltebrandi ludibrium, triduò pertulit?

*In confeſſionem & anathema illegitimum.*

*Cæſar ſpectaculum Angelorum & hominum.*

Dicite quæſo, ſi quiſquam ſanctorum Pontificum quenquã plebeium, niſi aut ſponte cõfeſſum, aut in ſynodo conuictum, nec in eadem prouincia, ſed in longinquis terrarũ partibus ſemotum, tam præcipiti iudicio damnare præſumſit? Si quis tam audacter abuſus eſt poteſtate ligandi & ſoluendi? Equidem Ambroſius Theodoſium ligauit, ſed præſentẽ ſponte confeſſum. Maximus, Salonitanus Epiſcopus, per plures annos extra prouinciam ſui Epiſcopatus Romæ apud beatum Gregorium de Simoniaca hæreſi, & diuerſis adulteriis accuſatus, vno tandem anno, deficientibus accuſatoribus, ſacramẽto ſola manu præſtito, purgatus eſt, ſicut in regiſtro eiuſdem beati Gregorij legitur.

*D. Ambroſ. Theodoſius Imp. Maximus Epiſc.*

Et beatus Auguſtinus in lib. de pœnitentia: Satis (inquit) oſtendit Apoſtolus, non temere & quomodolibet, ſed per iudicium auferẽdos eſſe malos ab Eccleſię communione, & ſi per iudicium auferri non poſſint, tolerentur potius, ne peruerſè malos euitãdo, ab Eccleſia ipſe diſcedẽs, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Multi, inquit, corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi neſciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminat abſcondita tenebrarum. Et quidam, inquit, metuentes præcepta ſeueritatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare ſanctum canibus, Ethnicum habere Eccleſiæ contemtorem, à compage corporis membrum, quod ſcandalizat, euellere, ita perturbant Eccleſiæ pacem, vt conentur ante tempus ſeparare zizania, atque hoc errore cæcati, ipſi potius à Chriſti veritate ſeparentur.

*Auguſtini de excommunicatione ſententia.*

Qualis nobis causa est aduersus schismata Donati, & non cum illis, qui nouerunt Cæcilianum non veris sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosam sententiam suā mortifero pudore non deserunt: sed cum illis, quibus dicimus, etiamsi mali fuissent, propter quos in Ecclesia non estis, vos tamen eos ferendo, quos emendare aut segregare minimè poteratis, in Ecclesia pmanere debuistis. Et paulò post: Nos, inquit, ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex vtrisque testimoniis vitam sententiamq; moderari, vt canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum, vbi Ecclesiæ pax tuta est, non demus. Hiltebrandus autem non solùm Ecclesię perturbauit pacem, sed etiam ecclesiasticam scidit vnitatem, & vnicæ fidei vestem inconsutilem: dum Cæsarem & Episcopos communicantes Cæsari absq; iudiciario ordine excommunicabat, & tertio gradu communicātes eis ab excommunicatione noua pietate excipiebat: quos huiusmodi artibus & regi subducere, & sibi allicere festinabat.

*Hiltebrandus perniciosi schismatis auctor.*

Dicant nunc Hiltebrādi discipuli, quibus cōmentis, quibus coloribus deaurare possint, quòd ipse Hiltebrādus in synodo generali hæretica prædicauit, prædicando excommunicatis communicare consensit, prædicata scripsit, prædicatione & scriptis alteram catholicam, alterā excommunicatorū Ecclesiam faciens, vnitatē scidit, & scripta per orbem terrarū disseminauit: prædicādo, scribēdo, scripta disseminādo seipsum hæreticū manifestauit, & ore proprio, & cōfessione hæreseos non extorta, diuino vrgente iudicio, cōdemnauit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tanti erroris, cùm etiam prudentiores eius laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem, si fieri posset, etiam electi.

*Arguitur hæreseos.*

Mentimur, nisi tredecim Cardinales sapientiores, & religiosiores, ipse Archidiaconus & ipse primicerius & multi alij Lateranensium clericorum, quorum iudicio ex priuilegio sanctæ sedis totus subiacet mundus, apostasiam eius intolerabilem perpendentes, ab eius communione recesserunt.

*Habetur pro apostata.*

Dicant, oramus, Hiltebrandi discipuli, qua præsumptione magister eorum vnitatem Ecclesiæ in duas vel plures partes diuisit? Si enim Cæsarem iniustè, & absq; iudiciario ordine damnauit, seipsum potius ab Ecclesia separauit. Si verò iustè excommunicationis gladiū in Cæsarem vel Episcopos communicantes Cæsari exeruit, quare communicātes ipsis Episcopis tertio gradu per scripturam excipiendo absoluit? Nunquid etiam vnius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari, vel ab excomunicatis baptizatus, & continuò mortuus, creditur saluari? Equidē sacer Ecclesię Chalcedonensis canon prædicat, apud hæreticos non posse ad salutem baptizari, & damnat eos, qui paruulos extra Ecclesiā baptizādos obtulerint. Quid propriè de paruulis apud excōmunicatos baptizatis beatus Augustinus scribat Bonifacio Episcopo, in serie eiusdē epistolæ facilè & lucidè po-

*Dilēma de dictis Cæsari cōmunicatis.*

*Baptismus excommunicatorum.*

dè poteſt reperiri. Reperitur & hoc ipſum in epiſtola beati Gregorij, quam pro paruulis ſolicitus, Epiſcopis Longobardiæ miſit. Reperitur etiam multipliciter in campis ſacræ ſcripturæ latis & ſpatioſis.

*Turbanus Hiltebrãdi pediſequus.*

Glorioſus autem Hiltebrandus, & pediſequus eius Turbanus, noua poteſtate ſoluentes decreta Chalcedonenſis Concilij, non ſolùm verbis ſed & ſcriptis publicis conſenſerunt extra Eccleſiam communicare & baptizare: quàm cæſi eſſent, quàm hæretici ſcriptis propriis deprehenſi. Proh nefas, ij præſumſerunt de Eccleſia iudicare, qui nuſquam reperiuntur non erraſſe, quibus etiam ipſa veritas reputatur in mendacium, quam ſolo fallendi ſtudio verbis & ſcriptis ſuis, ne venena erroris eorum perciperentur, quaſi mel veneficorum more adminiſcuerunt. Mendaciũ enim eſt, vt beatus Auguſtinus ait, omnis enunciatio prolata intentione fallendi.

*Mẽdacium.*

*Hæreſis Liberij.*

Vterq; autem, Hiltebrandus ſcilicet & Turbanus, in hæreſin Liberij cecidit, qui poſtquam publicè communicauit excommunicatis, duas Eccleſias faciens, vnitatem ſcidit. Sed non tacuit beatus Presbyter Euſebius, quo legitimè defendente vnitatem vſque ad mortem, & vita & morte eius clarificante doctrinam catholicam, Liberius declaratus eſt hæreticus.

*Euſebius Presbyter.*

Liberium vnus Euſebius communionem eius deſerendo, & iuxta Euangelium tanquam Ethnicum & publicanum deuitando, ligauit, vno ſpiritu cum beato Auguſtino magis opere quàm verbo dicens: Cœpiſti habere fratrem tãquam publicanum, ligas illum in terra, ſed vt iuſtè facias vide, nam iniuſta vincula iuſtitia diſrumpit.

*Locus Auguſtini.*

Vnus Euſebius Liberium recedendo à communione eius ligauit: quanto magis Hiltebrandus in errore perſeuerans cum angelis ſuis apoſtatis damnatus in abyſſum relegatus eſt, Romanæ Eccleſiæ patribus ab eius communione recedentibus, & eius hæreſes & ligandi & ſoluendi abuſionem execrantibus.

*Argumentatur à minore ad maius.*

Anaſtaſius Papa canonicè intrauit: ſed quia vni excommunicato ſine ſatisfactione publica communicauit, quidam Romanorum clericorum ex poteſtate & priuilegio ſanctæ ſedis communionem eius deſerentes, eum ligauerunt, quia communicando excommunicato Eccleſiam diuidere præſumſit. Hiltebrandus verò à diſcipulis ſuis ſanctus prædicabatur, quaſi æqualia & longè deteriora non commiſerit, quaſi Romanæ Eccleſiæ clerici & laici publicè ab eius communione non receſſerint.

*Anaſtaſius Papa vnde abſtẽtus declaratus.*

*Hiltebrãdi diſcipulis eorumq; aſſentatio.*

Sileant hypocritæ, ſicut ait beatus Petrus piratis ſimiles, beati Petri nomen igne malitiæ ſub nomine catholico, ſub obtentu iuſtitiæ, artificioſè ſuppoſito deſtruentes, & ferè demergentes. Obſtupeſcant Pſeudoprophetæ ad vocẽ Petri, in facie humani, in cauda ſcorpiones, lupi ſub ouina pelle latentes, corpora trucidãtes in oris gladio, & animas pariter deuorantes: quorum religio nihil aliud redolet, niſi proditionẽ & auaritiam: penetrantes domos viduarũ captiuas duxerunt

*Hypocriſis.*

*Nefaria religio.*

mulierculas oneratas peccatis, ſub occaſione impacati tẽporis attendentes ſpiritibus erroris,& doctrinis dæmonum, quas accepit Hiltebrandus magiſter eorum à magiſtris ſuis,à Theophylacto,qui cognominatus eſt Benedictus Papa I X. à Laurentio, Malaſitano Archiepiſcopo,à Ioanne Archipresbytero S.Ioannis de porta Latina,qui poſtea cognominatus eſt ſextus Gregorius Papa.

*Magiſtri Hiltebrãdi.*

*Ioãnes Gratianus Archipresbyter.*

*Theophylactus magus poſt Benedictus IX. Papa.*

Theophylactus,ſacrificiis dæmoniorũ deditus,in ſyluis & montib.mulieres poſt ſe currere faciebat,quas magicis artibus ad ſui amorem coëgerat. Teſtantur hoc libelli ipſius inuenti in domo eius, poſtquam vitam malè finierat. Et hæc fabula adhuc ruſticis Romanorum eſt notiſſima. Is dum ad Eccleſiam rediret de ſyluarum ſecretis, vbiq; ſecum habens prædictũ Laurentium, principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Matheſi diſputabat, & vulgus auidum nouarum rerum nouis diuinationibus in ſui admirationem excitabat. Nomen autem Laurentij apud ſimplices pro eo habebatur celebre,quia videbatur aliquando ex improuiſo prophetare. Et de complice & diſcipulo ſuo Papa ſecurus, gaudebat etiam publicè in conuentu Epiſcoporum & Cardinalium & Senatorũ auguria ſua magnificare, & ad cantum auium ſubito augurio denunciare, quid ipſo die,vel heſterno vel nudiuſtertius factum eſſet in oriente & occidente, in meridie, in ſeptentrione,& in remotioribus vel extremis terrarum partibus,ſiue de bellis ſiue de morte principum. Ad quem tentandum cùm quodam die multi conueniſſent,ſubitò audita eſt auicula,quæ vulgo paſſer dicitur,dulces voces frequentare. Et Laurentius ſubitò interrogatus in præſentia Theophylacti & Epiſcoporum qui conuenerant, quæ auis illa caneret, ſubitò reſpondens: Auicula, inquit, hoc aliis canit auiculis, vt citò conueniant ad portam maiorem, vbi modò fractus cuiuſdam ruſtici currus,& effuſum eſt milium,quod ſuper illum ferebatur. Inuitat autem frequenti cantu,vt illuc citò conueniant & ſaturentur. Quo audito, plures aſtantium concito curſu maiorem portam alij alium certatim præuenientes,petierunt,& ſicut dixerat,inuenerunt.

*Laurentius Archiepiſc. magorum princeps.*

*Eiuſdem auguria.*

*Impunitas.*

Auguria eius nullo diuinæ legis zelo vindicabantur,inſuper à cõplice ſuo Papa ſemper magnificabantur. Vnde factum eſt, vt aliqui curioſa ſectati, publicè & liberè frequentarent contubernium & magiſterium eius. Morabatur autem in domo prædicti Archipresbyteri Ioannis de porta Latina, qui ſtudioſè eius magiſterio adhærebat, & imbuebatur artibus illius.

*Magia initium Romæ à Gerberto.*

Theophylacto autem & Laurentio adhuc iuuenibus, infecerat vrbem iis maleficiis Gerbertus ille,de quo dictum eſt:

*Tranſit ab R. Gerbertus ad R. poſt Papa viget R.*

*Eiuſdem Paparum.*

Et Gerbertus quidẽ paulo poſt completum millenarium aſcendens de abyſſo permiſſionis diuinæ, quatuor annis ſedit, mutato nomine dictus Syluester II. Et per quæ multos decepit,per eadem dæmonum reſponſa deceptus morte improuiſa, Dei iudicio,eſt interceptus. Hic

reſponſum

responsum à suo dæmone acceperat, se non moriturum, nisi prius in Hierusalem missa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquivocatione delusus, dum ciuitatem Hierusalem prædictam sibi credit, Romæ in Ecclesia, quæ vocatur Hierusalem, Missam faciens in die stationis, ibidem miserabili & horrida morte præuentus, inter ipsas mortis angustias supplicat, manus & linguam sibi abscindi, per quas sacrificando dæmonibus Deum inhonorauit. Et hic quidem dignum suis meritis exitum inuenit. Sed discipulos illius, Theophylactum & Laurentium, magistri mors teterrima à studiis idololatriæ non absterruit, quibus vltio diuina (vt paulò pòst dicendum est) non defuit.

*Miserabilis interitus.* *Discipuli.*

Igitur post infelicem exitum Gerberti, certamen erat inter discipulos ipsius, dum quisque anhelaret ad rapiendum Papatum sibi. Sedit autem post eum decimus octauus Ioannes, & quinto mense veneno suffocatus dicitur à suis. Huic successit decimus nonus Ioannes, & vix annum peregit. Cui successit quartus Sergius, & sedit tribus annis. Anno quinto post Gerbertum sedit octauus Benedictus, Laicus, frater Albrici Tusculanensis, patruus Theophylacti, & vndecimo anno decessit. Huic successit frater eius carnalis, & patruus Theophylacti, vigesimus Ioannes, neophytus, & sedit annis nouem. His duobus suis patruis successit Theophylactus, & anno vigesimo quinto post Gerbertum, magistrum suum, sedem fraudulenter obtinuit, & condiscipulum suum Laurentium & Archipresbyterum Ioannē Gratianum intimos & secretorum conscios habuit.

*Successores.* *Ioan. XIIX.* *Ioan. XIX.* *Sergius IIII.* *Benedictus VIII.* *Ioann. XX.* *Theophylactus cognomento Benedict⁹ IX.*

Eodem tempore Hiltebrandus, relicto monasterio, prædicto Archipresbytero hæsit, & Archiepiscopi Laurentij magisterium secutus, in breui factus est vtriusque magistri imitator egregius. Qui cùm vellet, manicas suas discutiebat, & in modum scintillarum ignis dissiliebat: & iis miraculis oculos simplicium veluti signo sanctitatis ludificabatur. Et quia Diabolus per paganos Christum publicè persequi non poterat, per falsum monachū sub habitu monastico, sub specie religionis, nomen Christi frauduleter subuertere disponebat. Sed quamuis peccatis exigentibus talia fieri permitteret dispensatio diuina, tamen tempus retributionis propinquabat.

*Hiltebrādi magistri.* *Præstigiæ.*

In diebus illis defuncto Conrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito consilio cum familiari suo Laurentio, & aliis suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Conradi, Henricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia schismata diuersa seminare. Hoc enim est, quod amplius exigitur à mundi principio à tenebrarum principe. Misit igitur coronam Romani Imperij Petro, regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imper. Henricus Ducem Lotharingæ Gotfridum, virum fidelem & bello strenuum, & inter regni Principes clarissimum. Qui primo con

*Conradus II. Cæs.* *Henric. III. F. in eumq́3 Papæ machinatio.* *¶ Benedict. IX. Petro, regi Vngariæ, misit corōnā hoc inscriptā ver-*

e

*fu. Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Vide Stumpfium li.1. de vita Henri. IIII. Papat⁹ precio vendit⁹.*

flictu Petrum bello captum,& omnes vicinas nationes,ne in eum aliquid præſumerent,deterruit,& vt digna factis tanti ſchiſmatis auctori Theophylacto redderet,Romam venire diſpoſuit.

Quo audito Theophylactus timore perterritus,vendit Papatum complici ſuo prædicto Archipresbytero Eccleſiæ S. Ioannis de porta Latina, magiſtro Hiltebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis.

*Ioan. Gratianus Papa Gregori⁹ VI. Hiltebrād⁹ κακȢ κόρακος κακὸν ὠόν.*

Qui aſcendens ſacram ſedem tantę iniquitatis gradibus,nomine mutato ſextus dictus eſt Gregorius. Igitur Hiltebrandus in ſchola tam profundæ peruerſitatis vſu & arte edoctus, erat tantorum fidus miniſter maleficiorum, & peſſimis magiſtris peior diſcipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipſius poſtea percepit Eccleſia,per eum ſub obtentu Catholici nominis graui ſchiſmate lacerata, percepit & mundus, bellis feralibus,& immenſis cædibus,ipſo auctore laniatus, & ſub colore mellis veneno propinato hæreſibus nefandiſſimis propè ſuffocatus.

*Syluester III.*

Eiſdem diebus ſuperpoſitus eſt in Papatum prædicto Archipreſbytero Sabinenſis Epiſcopus,qui mutato nomine dictus eſt Syluester III. & factum eſt, vt Romana Eccleſia in partes diuerſas ſcindi videretur.

*Henric. III. ſeditioſos Pōtifices ſolio deturbat.*

Cùm autem tanta peruerſitas Romam ludificaret, diuino nutu affuit Imperator Henricus, & (vt multa breuiter concludam) religioſorum Cardinalium precibus efflagitatus, ipſis auctoribus, pro loco officij ſui,pro officio Imperiali, pro poteſtate ſibi à ſacris canonibus conceſſa,ad purgandam Eccleſiam,ad exturbandum & vlciſcendum vi ſacrilegos, deuotum ſe præbuit, Theophylactum in fugam coegit, ſextum Gregorium in cuſtodiam recluſit,quem poſtea in exilium miſit, Sabinenſem Epiſcopum, quem non ambitio, ſed vis ad Papatum coëgerat, ad ſedem propriam redire compulit. Romana verò Eccleſia eius reſpirans auxiliis, ſecundum Clementem Papam elegit, ſub quo Eccleſiæ vnitas,à quo & ſubſequenter Romanorum Imp. Auguſtus venerandæ memoriæ Henricus coronatus eſt, & pro tantis meritis vnicè glorificatus triumpho ſingulari, vnici amoris priuilegium, pellendo idololatras Simoniacos, & vnitatem Eccleſiæ defendendo, promeruit.

*Inungitur à Clemēte II.*

*Deportat Gregorium VI. & Hiltebrandum in German. Eius intem peſtiua & infelix clementia.*

Quibus ſtrenuè peractis, ſextum Gregorium, vt ſuprà dictum eſt, cum Hiltebrando diſcipulo ſuo in Teutonicas partes deportatione damnauit. Nimia tamen pietate deceptus, nec Eccleſiæ Romanæ, nec ſibi, nec generi humano proſpiciens, nouos idololatras nimis laxè habuit, quorum memoriam æterno carcere à contagione hominum remouere debuit.

*Hiltebrandus Gregorij VI. hæres.*

Defuncto autem in exilio ſexto illo Gregorio, Hiltebrandus perfidiæ ſimul & pecuniæ eius hæres extitit.

*Damaſus II.*

Eodem tempore Clemens Papa defunctus eſt. Huic ſucceſſit Damaſus, & ſedit viginti tantùm & tribus diebus, veneno, vt dicitur,

propinato

*Theophylactus sedem Romanam vexat. Eiusdē explorator Hiltebrandus.*

propinato suffocatus. Theophylactus enim magister Hiltebrandi, post fugam reuersus Romam cum familiari suo Laurentio, multis maleficiis sacram sedem vexabat, & per litteras discipuli sui Hiltebrandi ea, quæ in palatio Imperatoris gerebantur, resciebat. Eo igitur immaniter grassante, iterum Romana Ecclesia legatum ad Imperatorem dirigit, & vt consilio Cardinalium Papam eligendum Romam mittat, exposcit.

*Leo IX.*

*Hiltebrandus redux.*

Bruno igitur, qui & Leo, ex consilio Cardinalium Romam inuitus & coactus dirigitur. In cuius comitatu nimia Imperatoris indulgentia permissus est reuerti Hiltebrandus, hac permissione sacerdotium pariter & regnum sub specie religionis euersurus, & iuramenta Imperatori præstita non diu seruaturus.

*Insinuat se Leoni.*

*Rem facit.*

*Adiūgit ad amicitiam Brazutum sex Pontificum parricidam.*

Brunoni igitur multa loquendo in itinere se supposuit. Et, vt Romam venit, ab eo obtinuit, vt fieret vnus de custodibus altaris beati Petri. Et in breui loculos impleuit, & cui pecuniam illam committeret, filium cuiusdam Iudæi nouiter quidem baptizatum, sed mores numulariorum adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Et iam diu reconciliauerat sibi quendam alium incomparabilibus maleficiis assuetum, Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui subdola familiaritate dicitur sex Romanos Pontifices intra spatium 13. annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt: Clemens, qui sexto Gregorio damnato, & Theophylacto expulso, sedit mensibus nouem, & diebus septem: post Clementem Damasus, qui sedit dies 23. post Damasum Leo, qui sedit annos quinque: post Leonem Victor, qui sedit ann. 2. mensibus tribus, diebus septem: post Victorem Stephanus, qui sedit menses septem, dies 28. post Stephanum Benedictus, qui sedit menses septem, dies 20. Hic non veneno, sed vi & dolis Hiltebrandi fuit eiectus. Post Benedictum Nicolaus, qui sedit ann. 2. mensib. 6. diebus 25.

*Per sequestres largitiones facit.*

*Reconciliat Theophylactum Leoni.*

Huius tempore Hiltebrandus prædictis duobus familiaribus suis pecuniam suam & consilia sua communicauit, & per eos venales linguas multorum sibi comparauit. Et post hæc Theophylactum antiquum dominum suum & magistrum, simulantem pœnitentiam, Leoni Papæ in dolo reconciliauit, & Theophylacti consilio & factione ipsum Papam Leonem contra Normanos armauit.

*Fit auctor & proditor expeditionis Normanicæ.*

*Theophylactus Normanorū emissarius.*

Igitur Leo Papa eorum dolos minus intelligens, & Romam deserens, Alpes transiuit, & multis Teutonicis sibi aggregatis, ad expugnandos Normanos Romam rediit, & Hiltebrando & Theophylacto instigantibus, in Apuliam contra Normanos transiuit. Et quia Theophylactus manifestè eum lædere non audebat, simulato obsequio cum eo manens, & ingressus & egressus eius explorans, singula per secretos nuncios intimabat Normanis, & in manus eorum, Hiltebrando dictante, ipsum Papam tradidit. De quorum manibus vix Pa

pa (interfectis per proditionem Teutonicis) desolatus euasit.

*Vexator sedis Rom.*

Leone post modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præsumens, Romanã Ecclesiam, quam prius toties vexauerat, iterum vexare non destitit.

*Hiltebrandi artes.*

Interim Hiltebrandus, nouus Proteus, nouis præsumens tergiuersationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romam absque consilio Romanæ Ecclesiæ discurrebat. Et si quis alius in Papatum eligeretur quàm ipse, prædictus Gerhardus, cognomine Brazutus, familiaris eius, in breui illum veneno suffocabat.

*Veneficia per Brazutum.*

*Ambitus de Archidiaconatu.*

Postquam autem sedit Nicolaus Papa, Hiltebrandus, quia Papatum adipisci non potuit, ad archidiaconatum quoquo modo inuadendum se conuertit. Et Mancium tunc archidiaconum Romanæ Ecclesiæ multis iniuriis afflixit & circumuenit. Qui victus contumeliis & dolis, & pecunia deceptus Hiltebrandi, ad vltimum concessit, vt Hiltebrandus vice eius archidiaconatu fungeretur.

*Violentia.*

Hac concessione Hiltebrandus arrepta, Nicolaum Papam ex improuiso aggressus, coëgit inuerecundis precibus & minis militum, quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, vt eum archidiaconum ordinaret & constitueret. Et post paucos dies ipse Nicolaus defunctus est, veneno, vt dicitur, suffocatus.

*Repulsa.*

Cardinales autem ambitionem Hiltebrandi non ignorantes, Imperatorem multis precibus coëgerunt, vt eis in electo suo Parmensi Episcopo Cadolo fauorem & auxilium præstaret. Quod factum cor Hiltebrandi altius percussit. Et manifestè factus est Imperatoris inimicus. Omnia iuratæ fidelitatis vincula disrupit: & facta conspiratione cum inimicis Imperatoris & cum Normanis, quem Parmensi Episcopo Cadolo, à Cardinalibus electo, opponeret, Anshelmum, Lucensem Episcopum, decepit, & eum in Papam eligi à quibusdam Romanis fecit. Et ipsum Anshelmum, mutato nomine, Alexandrum vocauerunt.

*Hostilis in Cæsarem animus.*

*Vindicta de Antipapa.*

*Iniuria in vtrunque Papam.*

Igitur Anshelmum, quem in dolo elegerunt, pariter & Parmensem Episcopum, quibus poterat artibus vexabat, quia vtrique succedere anhelabat.

Igitur vbi Alexander intellexit, se dolis & arte ab Hiltebrando & inimicis Imperatoris electum & intronizatum, die quodam, cùm intra missarum solennia sermonem haberet ad populum, prædicauit se nolle sedere in sede Apostolica absque licentia & gratia Imperatoris. Et publicè dixit, se litteras huius rei gratia missurum ipsi Imperatori.

*Insania in Alexandrũ moris maiorum obseruantem.*

Quo audito, Hiltebrandus vix manus, multa murmurando, donec missa compleretur, abstinuit. Missa expleta, ipsum Alexandrum cum militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutum Pontificalibus indumẽtis, pugnis durè colaphizauit, increpans & improperans,

perans, quòd vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et ſtatuit, vt ex eo die non daretur ei amplius quàm quinque ſolidi Lucenſium denariorum. Et ex tunc ipſe Hiltebrandus omnes reditus Romanæ Eccleſiæ ſibi retinuit, & immenſam pecuniam congregauit.

*πλεονεξία in Eccleſiæ redditibus intercipiẽdis.*

Alexandro igitur ſub miſerabili iugo Hiltebrandi quodam veſpere defuncto, eadem hora Hiltebrandus à ſuis militibus ſine aſſenſu cleri & populi eſt intronizatus, timens, ne alius per moram eligeretur. In cuius electione nullus Cardinalium ſubſcripſit. Ad quem cùm veniret Abbas Caſſinenſis, ait ipſe Hiltebrandus: Frater, nimium tardaſti. Reſpondit Abbas: Et tu Hiltebrande nimium feſtinaſti, qui nondum ſepulto domino tuo, Papa, ſedem Apoſtolicam contra canones vſurpaſti. Hoc modo intronizatus Hiltebrandus, qualiter vixerit, qualiter à ſe Cardinales, qui teſtes vitæ & doctrinæ eius eſſe debuerant, remouerit, quàm miſerabiliter vexauerit, quantis hæreſibus mundum corruperit, quanta periuria, quàm immenſas perditiones conſecrauerit, vix à multis deſcribi poteſt. Clamat tamen altius ſanguis Chriſtianorum, eo auctore & incentore miſerabiliter effuſus.

*Papatus ex ſuffragiis militum.*

*Flagitia.*

## *HOC EST DECRETVM HILTEBRANDI, IN quo à doctrina & fide catholica aberrauit.*

GRegorivs Papa Romanæ Synodo præſidens dixit: Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut ſacramento conſtricti ſunt, apoſtolica auctoritate à ſacramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruẽt, omnibus modis prohibemus. Item: Et quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excõmunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, de victu vnà anathematis ſententiam ad tempus, pro vt poſſumus, temperamus opportunè. Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo liberamus, videlicet vxores, liberos, ſeruos, ancillas ſeu mancipia, nec non ruſticos & ſeruientes, & omnes alios, qui nõ adeò curiales ſunt, vt eorũ conſilio ſcelera perpetrẽtur, & illos, qui ignoranter excommunicatis excõmunicant, ſeu illos qui communicãt cum iis, qui communicant excommunicatis. Quicunq; autem aut orator, aut peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit, vbi non poſſit emere, & non habet vnde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis non pro ſuſtentatione ſuperbiæ ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus.

*Papale inſtitutum de excommunicatis.*

## *LITTERAE, QVIBVS VOCATI SVNT Hiltebrandini ad audientiam.*

ADELBERTVS, Episcopus S. Rufinæ, syluæ candidæ, Ioannes, Episcopus Hostiensis, Hugo, Episcopus Prænestinus, Albertus, Episcopus Nephesinus, Benno, Cardinalis presbyter vrbis Romæ, Romanus, Cardinalis presbyter vrbis Romæ, Guido, Cardinalis presbyter vrbis Romæ, Octauianus, Cardinalis presbyter designatus, Paulus, Primicerius Romanæ Ecclesiæ, Nicolaus, electus Abbas S. Syluestri vrbis Romæ, N. Abbas S. Pancratij vrbis Romæ, & clerus: Et clarissimi principes laici, Theobaldus Chinebij & Vdalricus de S. Eustathio, & populus Romanus, omnibus Deum timentibus & salutẽ Romanæ reipub. diligentibus.

*Hiltebrãdi hæreses.* Nolumus ignorare prudentiam vestram, quòd ad destruendas hęreses, nouiter ab Hiltebrando inuentas, & antiquas sub nomine pietatis impiè ab ipso renouatas, & ad defensionem fidei catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui nouiter ipsam fidem catholicam (quantum in ipsis erat) scindere non timuerunt, Deo authore, Nonis apud S. Blasium conuenimus, octauo Idus apud S. Cellum, septimo Idus apud S. Mariam in Ecclesia, quæ vocatur Rotunda, consedimus, ipsas hæreses damnatas sicut maiores nostri & nos damnamus, omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatæ prauitatis pari sorte censemus, ne si vel paululum taceamus, consentire videamur. Eos verò, qui authoribus errorum communicant, data securitate liberè veniendi & abeundi, vocamus, & vt per maiores suos dominum Raynerium & Ioannem Burgũdionem causam suam agant, admonemus: securitatem integram in quantum possumus vsque ad festum omnium sanctorum proponimus, etiam cùm in causa sua defecerint, neminem circumuenientes, nullius sanguinem, sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commouentes. De causa enim sua diffidere videtur, quisquis auctor est seditionis. Pacem verò & dilectionem synceram proponimus omnibus, pacem & veritatem & vnitatem catholicæ Ecclesiæ amplectentibus, vt simus filij patris nostri, qui in cœlis est. Qui enim ex patre Diabolo sunt, opera patris sui faciunt conspirationibus, seditionibus, & cuius filij sint, manifestè ostendunt. Nos verò illius discipuli esse desideramus, cuius doctrina etiam inimicis sanè est intelligenda. Orent pro nobis Ecclesiæ filij, vt crescat sermo Domini, &c. Data Romæ cõtra schismaticos in sacro conuentu, Anno ab incarnatione Domini 1098. indictione sexta, 7. Id. Augusti.

*Reinerus & Ioãnes Burgundio.*

*Hæreticis fidem seruandam.*

*In seditionum & turbarum auctores.*

*Hiltebrãdinorum peruicacia.* His litteris vocati sunt. Declinarunt autem audientiam schismatici per 16. annos, per obsides potentes & clarissimos, etsi per sacramenta inuitati, ne caperentur suis mendaciis, ne suis libellis conuincerentur, quibus auctores eorum corruperunt terram hæresibus variis, longè lateque disseminatis per Apostolos multiplicis erroris. Sacer etiam conuentus toties deprehensa eorum versutia, in conspectu Ecclesiæ coram

*In eosdem nouum decretum.*

ſiæ coram multitudine Romanorum ait: Eos, qui ſanctam Eccleſiam ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam DEO auctore celebrare diſpoſuimus circa Calend. Nouembr. In præſenti tamen, quia venire renuunt, teſtes inuocamus contra eos cœlum & terram, quòd nullum conſenſum adhibemus eorum peruerſitati. Et in teſtimonium illius in medio Eccleſiæ, in conſpectu angelorum & hominum, incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ peruerterunt, verbum Dei adulterantes, ſub ementito colore pietatis quærentes plus ſe, quàm fidem catholicam amari. Qui per 16. annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum aſſueti, falſis expoſitionibus violenter intorquentes ſcripturas in adiumentum nefandiſſimi ſchiſmatis. *Libri exuſti.*

Hiltebrandus in extremis ſuis vocauit ad ſe vnum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt omnipotenti Deo, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum erat commiſſa. Atque hunc confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, vt optarent illi veniam. *Hiltebrandus moriturus Imp. & Eccleſiã iniuriarũ veniã poſcit.*

FINIS.





Ona

